This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

NYPL RESEARCH LIBRARIES
3 3433 06661361 7

Fornmanna

GGM

Fornmanna sögur

SCRIPTA HISTORICA ISLANDORUM

DE REBUS GESTIS

VETERUM BOREALIUM,

LATINE REDDITA

ET

APPARATU CRITICO INSTRUCTA,

CURANTE

SOCIETATE REGIA ANTIQUARIORUM SEPTENTRIONALIUM.

VOLUMEN PRIMUM.

HISTORIÆ OLAVI TRYGGVII FILII

PARS PRIOR.

HAFNIÆ, 1828,

TYPIS HARTVIGI FREDERICI POPP.

LONDINI,

APUD JOHN & ARTHUR ARCH,

No. 61, CORNHILL.

LPH.

THE NEW YORK
PUBLIC LIBRARY

ASTOR, LENOX AND
TILDEN FOUNDATIONS

Óláfs saga Tryggvasonar.

HISTORIA

OLAVI TRYGGVII FILII,

EX VETERE SERMONE

LATINE REDDITA

ET

APPARATU CRITICO INSTRUCTA,

CURANTE

SOCIETATE REGIA ANTIQUARIORUM SEPTENTRIONALIUM.

PARS PRIOR.

OPERA ET STUDIO

SVEINBJÖRNIS EGILSSONII,
COLLEGÆ SCHOLÆ BESSASTADENSIS
IN ISLANDIA.

HAFNIÆ,
TYPIS HARTVICI FREDERICI POPP.

1828.

C.H.

THE NEW YORK
PUBLIC LIBRARY

ASTOR, LENOX AND
TILDEN FOUNDATIONS

AUGUSTISSIMO REGI DANIÆ,

CLEMENTISSIMO DOMINO,

FREDERICO SEXTO,

ANTIQUITATUM PATRIÆ FAUTORI

ÆTERNUM COLENDO,

EGREGIA HÆCCE

VETUSTI SEPTENTRIONIS MONUMENTA

LATÍNE REDDITA

HUMILLIME CONSECRAT

SOCIETAS REGIA ANTIQUARIORUM

SEPTENTRIONALIUM.



Præfaturi huic operi, quod complectitur historiam nobilissimi herois, Olavi Tryggvii filii, Norvegiæ quondam regis, Normannorumque, ut nostri loquuntur, apostoli, primum ostendamus, quod sit argumentum operis, qui fontes, quis auctor, quam mereatur fidem, atque tandem, qualis sit nostra in edenda hac historia opera, quique habeantur, quique a nobis adhibiti sint hujus historiæ codices manuscripti.

§ 1. De argumento.

Consilium auctoris in componenda hac historia fuit, ut res a rege Olavo gestas et ejus fata exacte describeret. Præmissa narratione de primis Norvegiæ regibus ab Haraldo Pulcricomo (Cap. 1-42) vitam Olavi explicare aggreditur, in qua tres partes distinguendæ sunt, nempe primo, quæ ab Olavo gesta sunt, antequam regnum Norvegiæ administrandum suscepit, deinde quæ rex gessit, denique ultima ejus fata, rebus Norvegicis et etiam Danicis (C. 60-4, 66-70, 83-90), juxta temporum rerumque seriem, narrationi suo loco intertextis. Cum autem scopus auctoris primarius fuerit, Olavum sistere, ut christianismi in Norvegia primum introductorem, multus est in parte, quam diximus secunda; hæc enim pars historiam christianismi continet

1. Norvegiæ, et hanc quidem
   - A) primo generaliter, quatenus totæ provinciæ ad christianismum perductæ sunt, nempe: in Vicia, C. 140: in Agdis et Sunnhördia, C. 141: in communi Gulathingensi, C. 143. 147: conventus Dragseidensis, ubi Sognenses, Fjördenses, Sunnmærenses, Raumsdalenses christianismo nomen dederunt, C. 149: in Thrandheimo C. 162, 165-7: in Ringariko et Upplandis, C. 194, init.: in Halogia et Naumudalo, C. 209, 212-3.
   - B) secundo specialiter, quo referri possunt sequentes particulæ:
     1) De Sunneva et Albano, C. 106-8.
     2) — Rögnvaldo et Raudo, C. 144-6, 148, 150, 155.
     3) — Ögmundo Ditto et Gunnare Bicolore, C. 173.

4) — Eyvindo Kelda, C. 195 fin., 197-8.
5) — Thorvaldo Tasaldio, C. 200.
6) — Sveino et Finno, C. 201-3.
7) — Eyvindo Kinnriva, C. 199, 204.
8) — Raudo Valente, C. 210-11.
9) — Eindridio Plauto, C. 235.

II. Islandiæ, præmissa expositione de primis occupatoribus hujus insulæ, in primis iis, qui aliqua religionis christianæ notitia fuerant imbuti (C. 110-29, 214); huc pertinent hæ in primis particulæ:
1) De Thorvaldo Peregrinatore et Fridreko episcopo, C. 130-8.
2) — Thangbrando, C. 74, 81, 188, 216.
3) — Stefnere Thorgilsis filio, C. 139, 142, 187, 263.
4) — Thidrando Sidæ-Halli filio, C. 215.
5) — Gissure et Hjaltio, C. 217-8, 228-9.
6) — Suadio et Arnore Vetulæ-naso, C. 225-6.
7) — Thorhallio Knappstadensi, C. 227.
8) — Halfredo Difficili-poëta, C. 151-4, 165, 170-2, 175, 219, 232. 264.
9) — KjartaneOlavi filio C. 156-61, 163-4, 174, 233.

III. Orcadensium, C. 94-8.

IIII. Færeyarum; quæ pars tota in Sigmundi Bresteridis historia versatur, per quem christiana religio his in insulis publicata est, C. 176-86, 189-91, 205-7.

V. Grönlandiæ, de Eiriko Rufo, C. 220-1, 231.

§ 2. De fontibus.

Fontes, qui in hac historia allegantur, ad tres classes referri possunt: 1) carmina: 2) opera historica: 3) traditiones.

1) Inter carmina, quorum etiam in Heimskringla mentio fit, hæc potissimum notari merentur:

Bandadrápa, auctore (Eyolvo Dadaskald), C. 243.
Belgskakadrápa . Thordo Kolbeinis filio, C. 243.
Eiríksdrápa . . . . eod. q. *Belgskakadrápa*, C. 87.
Eiríksdrápa . . . . Halfredo Difficili-poëta, c. 264.
(Glymdrápa) . . . . Thorbjörne Hornklovio.
Gráfeldardrápa . Glumo Geiridæ, C. 16.
Hákonardrápa . . Guttormo Sindrio, C. 17.
Olafsdrápa . . . . . Hallfredo Difficili-poëta, C. 59, 71, 130, 250.
Rǫðadrápa . . . . . Thordo Sjareki f., C. 271.
Sendibit . . . . . Jorunna poëtride, C. 5.

Vellekla . . . . . Einare Laucicrepo, C. 35.
þórálfsdrápa . . . Thordo Sjarcki f. C. 28.

Hæc vero peculiaria carmina exhibet historia nostra:
Búadrápa, auctore Thorkele Gislii filio, C. 86.
Jómsvíkinga-drápa . . . . . Bjarnio episcopo, C. 86.
Olafsdrápa tviskælda . . . . eod. q. *Reksteſja*, C. 250.
Reksteſja . . . . Hallarsteine, C. 58, 59.

Auctor encomii de piratis Jomensibus fuit Bjarnius Orcadensium episcopus, qui obiit anno 1222. Thorkel Gislides, auctor Buadrapæ, Bjarnio episcopo antiquior fuisse videtur, cetera nobis ignotus. De Rekstefja ejusque auctore Hallarsteine, nostrum qualecunque judicium in excursu ad calcem hujus operis expromemus; de ejus fide infra dicetur.

2) Opera historica: 1) historiæ regum Norvegicorum: vita regum Norvegicorum, C. 284 fin.; Haraldi Pulcricomi, C. 95.: Haraldi Grænlandi, C. 93 sub fin.: historia Olavi Sancti, C. 270 fin.: 272 fin: 276 fin.: 279 fin.: Snorrii opus historicum, C. 250, 256; 2) historia Færeyensium, C. 207 fin.: Sigmundi Bresteridis, C. 183, sub fin.; 3) historia dynastarum Orcadensium, C. 97; 4) historia Laxdalensium, C. 233; 5) scripta Arii et Sæmundi Polyhistoris; 6) Gunnlögus monachus, C. 132; 136, 225; 7) exotica: Imago mundi, C. 76 sub fin.: Bedæ Venerabilis historia, c. 110; huc quoque pertinet citatio „*sumar bækr segja*" C. 76 fin.; 8) opera incerta: de Albano „*þat finnst skrifat*" C. 108; de Sveine et Finno „*þat finnst ritat á bókum*" C. 201, init.

3) Traditiones: Thorkelis Dydrilis, C. 239, fin.: „*þat er sagt, hermt*" C. 240: traditio Kolbjörnis aulæ-magistri, C. 256, 267: Einaris Thambarskelveris, ibid., 283 fin.: Skulii Thorsteinis filii, C. 256: Astridæ Burizlavi filiæ, C. 267-8: Teiti et Thorarinis, C. 283 fin.: Thordi Sjareki et Hjaltii Skeggii filii, C. 271: Æqualium: „*þat segja þeir menn, er í Selju hafa verit ok þar er kunnigt*" C. 108: Glumi et Arnoris, C. 132: de Manio, C. 136. Huc et referri potest Legenda de Olavo Tryggvii filio, C. 269, 286.

§ 3. De auctore.

Constat, Gunnlögum, monachum Thingeyrensem, historiam regis Olavi Tryggvii filii latino sermo-

ne composuisse, et ad finem perduxisse circa annum 1200*. Ex hoc opere latino, peculiari adumbratione et in Islandicum sermonem translatione, prodierunt binæ tractationes sive recensiones, una, quam jam publici juris fecimus, altera, quam exhibet Codex Flateyensis, quo pertinet historia regis Olavii Tryggvii filii, edita Skalholti anno 1689. Utra tractatio sit antiquior, vel leviter intuenti facile apparebit. Recensio Codicis Flateyensis, ut multis in rebus cum nostra concordat, ita in aliis ab ea discrepat; huic multæ insertæ sunt particulæ historicæ, levem cum historia regis Olavi connexionem habentes, e. gr. *Fundinn Noregr*, *Nornagestssaga*, *Sörla þáttr*, *þáttr af þorsteini skelk*, *þorleifi Jarlaskáld*, *þorsteini uxafœti*, *Helga þórissyni*, *Hrómundi halta*, quarum nonullæ seriorem ætatem produnt. Codex Flateyensis literis mandatus est[2] ab anno 1387 ad annum 1395, recensioni vero hujus historiæ, quam exhibet, ultimam manum additam esse ante 1380, quo anno rex Olavus Hakonis filius regnum Daniæ et Norvegiæ conjunxit, ex epilogo historiæ concludi posse videtur: „*fyrir vald ok verðleika þessa guðs ástvinar, Olafs konúngs Tryggvasonar, eru sælir Noregsmenn, ok eigi at eins þeir, heldr jafnvel þeir er hèr byggja Island, og öll þau lönd, er undir Noreg liggja.*" Ex quo apparet, hanc recensionem ad finem perductam esse, dum jam Norvegia regnum per se esset, cui Islandia ceteræque provinciæ fuerint subjectæ. Ubi vero hanc recensionem cum nostra pertendimus, haud dubitamus, nostram ad postrema reipublicæ Islandicæ tempora (circa 1260) evehere; nec obstant genealogiæ aut citationes: descendunt nempe genealogiæ ad Sturlæsonios, C. 214 fin., ad episcopum Magnum Gizuris filium, qui episcopus Skalholtensis fuit ab anno 1216 ad 1236, ad Gudmundum Bonum, episcopum Holanum, qui obiit 1237; citatur carmen, auctore Bjarnio, episcopo Orcadensi, mortuo c. ann. 1222; citantur opera

[1]) Vide Hist. Ol. Tr. Tom. 3, p. 163. 173; Hist. Eccl. Isl. Tom. 4, p. 31; P. E. Mülleri *Sagabibliothek*, Tom. 3, p. 197-211; Ejusdem *Ueber den Ursprung und Verfall der isländischen Historiographie*, p. 68-9. Cum Gizur Halli filius, cujus censuræ hoc opus subjecit Gunnlögus, obierit 1206, absolutio operis haud inferius deprimi jure potest, quam ad annum 1204.

[2]) P. E. Mülleri *Sagabibliothek*, Tom. 3, p. 440.

historica Snorrii Sturlæi, qui 1241 obiit, cujus vero opera historica literis jam mandari cœpta sunt anno 1230, teste Sturlunga.

Quis vero hoc Gunnlögi opus in sermonem Islandicum transtulerit et in præsentem formam redegerit, dicere quidem non possumus; persuasum vero habemus, doctum aliquem virum fuisse, eumque hac in re libere versatum esse, et quædam aliunde adjecisse. Ambitum sanè operis Gunnlögiani ignoramus; ex verbis vero Codicis Flateyensis concludere possumus, eum in exponenda regis Olavi historia prolixiorem, saltem non breviorem, fuisse, quam Oddum Monachum[1]. De orationis colore, quo usus est Gunnlögus, judicare possumus ex particula ejusdem Codicis de episcopo Sigurdo, quæ particula verbo tenus ex Latino translata videtur[2]. Similiter apud Nostrum C. 196-8, 225-7, ad verbum ex latino versa, facile tibi persuadere poteris. Singula persequi, nostri non est instituti, pauca tantum afferemus, quæ Gunnlögo, quæ translatori putantur vel putamus deberi. Præter ipsam Olavi vitam, narrationem de Kjartane Olavi filio ad Gunnlögi opus pertinuisse, magna eruditorum nomina censuerunt[3]; idem de vita Thorvaldi Peregrinatoris et Hallfredi (de quo et singularis extat narratio), et particula de Sunneva et Albano statuendum putamus, item de aliis, quæ ad historiam annunciatæ in Islandia christianæ religionis pertinent. Ad ejusdem opus etiam pertinere credimus particulam de Islandiæ primis occupatoribus C. 110-29, quæ variis in locis a Landnama differt, et simplicissimam de exstructione templi Holmensis relationem Cap. 128, (coll. Landn. 1, 15), continet. Eodem pertinere putamus, quæ de Sancto Martino, C. 141, de Ambrosio, Cornelio et Placido, C. 76, memorantur, quæ quidem ab auctore vitæ Sancti Ambrosii exspectari potuerunt[4]. Contra quæ sequuntur Cap. 76 verba: „*Þessir hlutir sem nú voru sagðir*" usque ad finem Capitis, translatoris explicationem continent, citatur enim h. l. Imago mundi, quemadmodum hic idem liber a Brando Jonæ filio, cui

[1]) Text. isl. Tom. 3. p. 172: *Bróðir Oddr, er flest hefir kompónerat á latínu, annar maðr enn Gunnlaugr, af Olafi koningi Tryggvasyni.* [2]) P. E. Müllеri *Sagabibliothek*, T. 3, p. 207. [3]) *Laxdælasaga*, ed. Hafn. 1826, Præfat. p. VI. [4]) Hist. Eccl. Isl. Tom. 4, p. 138.

translatorem æqualem putamus, allegatur in *Stjórn*. Ad hunc quoque referimus membrum de Sveine et Finno, C 201-3, quod ad Gunnlögi opus non pertinuisse, sed aliunde desumtum esse, indicant verba: „*þat finnst ritat á bókum*"; huic antiquiori, ut videtur, particulæ sua quoque admiscuit, v. c. Cap. 203, ubi Thorem cum Saturno comparat, quod quoque cadit in Brandi Jonæi æqualem, cujus ætate dii ethnicorum septemtrionalium cum diis Romanis jam cœpti sunt contendi, ut in *Stjórn* Gefjon cum Venere, et ab eodem auctore Thor cum Jove. Hic idem particulam de regibus danicis, C. 60-5*, historiam Jomensium, C. 84-90, genealogiasque nonnullas, interseruisse, Snorrii Heimskringlam vel aliud historicum opus, in historia regum Norvegicorum, ut et in descriptione prœlii Svöldrensis, consuluisse, et haud pauca ex antiquis carminibus intertexuisse videtur. Oddi Monachi, Gunnlögi æqualis, in nostra recensione nulla mentio fit, quare opus historicum Oddi de rege Olavo non videtur translatori ad manus fuisse; nam locus de profectione Olavi in Gardarikiam indeque in Græciam, quantisvis ad chronologiam difficultatibus, potuit ad opus Gunnlögianum pertinuisse; et potius miramur, hoc membrum non fuisse ab Gizure Halli filio intercisum. Denique monendum, hanc nostram recensionem, a seriore quodam fundamenti loco positam, cum Oddi Monachi opere collatam, multisque membris hinc inde collatis auctam esse, auctoritatibus Nostri partim exclusis, partim aliis subjectis, indeque prodiisse tractationem hujus historiæ, quam conservavit Codex Flateyensis.

§ 4. De fide scriptoris.

Fides scriptoris historici inde probatur, quod perspicuum sit, eum vera dicere et potuisse et voluisse. Ubi de scriptore sermo est, qui res ducentis ante memoriam suam annis gestas describit, hic scriptor, an verum dicere potuerit, a testibus, quos sequitur, pendet necesse est, an voluerit, ex eo, qua fide testibus utatur. Jam vero ex supradictis apparet, quam sollicitus sit Noster in producendis testibus, et quidem talibus, quos idoneos non potuit non existimare, ut historiam antiquam regum Norvegicorum, item Færeyensium, Orcadensium, Laxdalensium, et carmina in his occurrentia, item Rekstefjum, quæ, si ab Steine Herdisæ filio, ut putamus, com-

*) vide P. E. Müller *Sagabibliothek*, T. 3, p. 115.

posita est, pro teste satis idoneo haberi ab auctore debuit, cum veri perquam simile sit, hunc poëtam inter alios ab Einare Thambarskelvere relationes suas hausisse; neque hoc nomine aspernandæ videntur *Búadrápa* et *Jómsvíkingadrápa*, quæ, etsi ab serioribus compositæ, tamen et veterum consensu confirmantur, et sane dignæ fuerunt, quæ ab auctore docto sic ab interitu vindicarentur. Testantur hæc, auctorem satis abundanti idoneorum testium copia et ampla rerum notitia instructum fuisse. Eundem autem noluisse certa et confessa incertis et dubiis miscere, neque fucum lectoribus venditare, signo est insignis ea diligentia et sinceritas, qua testes, qui traditione nituntur, allegat; quod in primis animadvertendum est in ultima parte historiæ. Hoc loco tenendum est, primo consilium scriptoris, deinde quo fonte traditiones ad posteros manaverint. Consilium scriptoris in hac parte historiæ est, publicam de fuga regis Olavi opinionem sub examen vocare, testantur enim optimi scriptores antiqui, vulgo creditum esse, Olavum e pugna evasisse incolumem. Cujus rei satis erit testimonium afferre Fagurskinnæ, qui codex tam ob antiquitatem, quam rerum pertractationem, perquam memorabilis est: „*Svá mikit gerðu menn sér um, at vingast í allri umræðu viðr Olaf konúng, at mestr luti manna vildi eigi heyra, at hann mundi fallit hafa, nema létu, at hann væri í Vindlandi eða í Suðrríki, ok eru margar frásögur um þat gjörvar; en hans ástvinir ræddust, at þat mundi logit vera, ok lýsti Hallfröðr því vandræðaskáld, sá maðr er svá mikit hafði unnt konúnginum, at menn segja, at eptir fall konúngs fékk hann vanheilsu af harmi, þá er honum vannst til dauðadags*". Hanc in rem Noster testes antiquitatis producit fide dignos, qui ipsis rebus gestis interfuerunt: Einarem Thambarskelverem, Kolbeinem aulæ-magistrum, Norvegos: Skulium Thorsteinis filium, Islandum: nec non Astridam Burizlavi filiam; horum assertiones invicem comparat, et alias traditiones in auxilium vocat, e. gr. Hjaltii Skeggii filii, horum temporum æqualis, et Thordi Sjareki filii, viri tantæ fidei et prudentiæ, ut ejus relationem de pugna Stordensi testimonii loco afferre Snorrius non dubitaverit. Norvegicarum vero traditionum coryphæus est Einar Thambarskelver, vir in historia notissimus, tam

ob ingenium maxime heroicum, quam summam auctoritatem, prudentiam, religionem, fidem. Ad testem tam locupletem refertur narratio Gauti, C. 283, per Thorarinem et Teitum tradita, qui postremus, temporum ratione, æqualis fuerit necesse est Asgrimo Vestlidii filio, a quo suas narrationes hausisse Gunnlögum Monachum testatur Codex Flateyensis[1]. Per eundem quoque deditam esse Thorkelis Dydrilis de Olavi mire gestis relationem, C. 238-39, vix est quod dubitemus, in primis cum eædem res in Rekstefja ab Hallarsteine memorentur, qui poëta has res ex ipso Einare cognoscere potuit.

§. 5.

Ut operam nostram in edenda hac historia paucis attingamus, monendum est, textum Islandicum, qualis curante Societate Regia antiquariorum Septentrionalium editus est, Hafniæ 1825-1827, ex codice membranaceo exscriptum esse ab S. Egilssonio, collatum et variis lectionibus adornatum a C. C. Rafn, Prof., Doct. Philos. et Equite aur. Ord. Danebrogici, et Th. Gudmundsonio, Sacri Ministerii Cand., a mendis typographicis trina lectione purgatum ab Th. Gudmundsonio, et Proff. C. C. Rafn et Er. Rask. Versionis latinæ laborem suscepit Dr. Gislius Brynjulvsonius, ecclesiæ Holmensis in Islandia minister, ita tamen, ut S. Egilssonius carmina tantum in hoc opere occurrentia transferret et enodaret. Quod pensum cum hic annis 1824 et 1825 absolvisset, Brynjulvsonius vero, publici muneris negotiis occupatus, versionem primi voluminis ad se transmissi ad finem nondum perduxisset, cura 2di et 3ii voluminis in Egilssonium est devoluta, qui hæc duo volumina annis 1826 et 1827 deproperavit. Interea nobis Brynjulvsonium, virum amplæ eruditionis, insignis doctrinæ et felicissimi ingenii, summo patriæ, summo rei literariæ et antiquitatum damno, infelix hora subito casu eripuit die 26 Junii 1827. Quæ vir doctissimus absolverat, nonaginta septem capita primi voluminis, ad Egilssonium transmissa venerunt, cum jam hic septuaginta capita hujus voluminis verterat; unde factum est, ut a capite 70 ad 97 maximam partem secutus sit versionem Brynjulvsonianam, ita tamen, ut operis ratio, quantum fieri posset, sibi constaret. Tabulas genealogicas collegit Egilssonius; idem quoque chronologiam

[1]) Text. isl. Tom. 3, p. 173.

contexuit, non quidem eo consilio, ut diversas computandi rationes conciliaret, quod speciali disquisitioni relinquendum videbatur, sed ut chronotaxin sisteret, qualem ipsa historia et rerum gestarum nexus proxime suadere viderentur. Ad illustrandum vero fundamentum chronologiæ seculi decimi ab hoc loco non alienum videtur, afferre doctam Brynjulvsonii annotationem de anno emortuali Haraldi Pulcricomi; ea sic se habet: „Quo anno æræ nostræ mortuus sit Haraldus, non adeo planum est ostendere, siquidem multa hac in re est nostrorum historicorum dissensio. Monendum est, duplicem e scriptis Islandorum, quoad æram regum Norvegicorum, erui posse chronotaxin; unam, quam, secundum Sæmundum Multiscium, sequuntur Oddus Monachus in vita Olavi Tryggvii filii, Theodoricus Monachus de regibus Norvegiæ, (qui fatetur se ex Islendingis suam chronologiam didicisse); atque auctor Flagurskinnæ, qui omnes in eo consentiunt, Haraldum circa annum 926 mortuum fuisse, ita tamen, ut duorum vel trium annorum discrimen observetur. Altera classis, duce Ario Polyhistore, ut sunt Snorrius in Heimskringla, atque auctores variorum compendiorum historiæ Norvegiæ (*Langfeðgatal*, *Ættartal Noregskonúnga*, *Noregskonúnga tal*, &c.), nec non ea, quam nunc edimus, recensio historiæ Olavi Tryggvii filii, atque Landnama, maximaque annalium pars, sive in universum omnes scriptores, qui post sec. 12 vixerunt, vitam Haraldi ad annum usque 932-934 (nam in his etiam aliquis invenitur dissensus) protrahunt. Cuneti vero Haraldo 80-83 annos vitæ assignant. Ex hoc diverso computo oritur magna in chronologia rerum Norvegicarum seculo 10mo diversitas; nam, licet in numero annorum, quos singulis regibus assignant, plerumque consentiant, in annis tamen æræ constituendis valde fluctuant. Haraldi mortem quod attinet, eam nec cum Sæmundo ad annum 925, nec cum Ario ad annum 935 referre audemus, sed veritatem hoc in medio jacere credimus. Quominus Sæmundum sequamur, officit chronologia Hakonis Adalsteini alumni; hic enim, a quo Hakon educatus fuit, Adalsteinus, juxta scriptores Anglicos, anno 925 imperium adiit; et cum certum sit, Haraldum aliquot annis exinde vixisse, facile colligitur,

eum demum post 925 obiisse; annum vero ejus emortualem definire, non adeo in promptu est. Si contra statuimus, Haraldum obiisse 935, non bene cohæret synchronismus inter Olavum Tryggvii filium et Ottonem Rufum. Aptissimum ergo credimus, terminum ei fatalem (per numerum licet rotundum) ad annum 929 referre. Juxta hunc calculum Hakon Adalsteini alumnus regnare incepit 930, decessit 955; post eum Haraldus Grafeldus regnavit per 9 annos, obiit vero 964. De tota hac chronologia confer inprimis *Jon Loptsons Encomiast ved Erichsen, Kh.* 1787, Torfæi Hist. Norv. P. 2, p. 73, sqq.; *Schöning Norg. Hist.* 3 *Deel*, p. 97, seqv."

Adjecit Egilssonius in brevi excursu suam de poëta Hallarsteine et carmine *Reksteſja* opinionem. Postquam autem hunc excursum scripserat et Hafniam vere anni 1828 miserat, ejusdem anni subsequenti æstate, missu Th. Gudmundsonii, qui anno proximo, curante Societate Reg. Antiquar. Septentrional., Holmiam missus, præter alia hoc carmen exscripserat ex codice Birgeriano Bibliothecæ Holmianæ, integrum hocce carmen ei videre contigit. Cum vero, aliis interea occupatus, impeditus sit, quominus hoc carmen, librariorum negligentia haud leviter depravatum, a vitiis et mendis purgaret et explicaret, satis habet h. l. illud quasi a facie describere. Inscribitur carmen in hoc codice: *Reksteſja, er Hallarsteinar orti um Olaf konúng Tryggvason;* in ipsius carminis stropha prima appellatur „*Reksteſja*," in ultima „*tviskelſd drápa*;" constat strophis triginta quinque. Integrum esse, ostendit introductio et conclusio. Continet decem integras strophas et duas semistrophas, quæ in Historia Olavi non citantur, et præterea omnes in hac historia citatas, præter stropham Vol. 2, p. 314: „*Varð um Vinda myrði*," unde apparet, lectionem Codd. C, F: „*Hallfreðr*" præferendam esse lectioni Cod. B: „*Hallarsteinn*." Ignorat omnino strophas illas, quas ex exscripto Snorriano Egilssonius adduxit, quasque spurias esse interioribus argumentis conjectavit; ignorat et eam semistropham, quæ in Edda Snorriana, p. 123, 1, Steini Herdisæ filio tribuitur, quamque ad hujus carminis introductionem pertinere credidit Egilssonius. Præmissis octo strophis, a nona incipit ea pars carminis, in qua versus intercalares dominantur (*stefjamál* dicunt). Notio,

quam de versibus intercalaribus animo suo informaverat Egilssonius, recta esse comperitur. Versus intercalares per tres continuas strophas absolvuntur, et quinquies repetuntur per ter quinque proximas strophas, 9-23; reliquæ duodecim strophæ, ut octo primæ, versibus intercalaribus carent. Ceterum nihil continet hoc carmen, quod cum totius carminis genio ac indole non bene conveniat. Valde memorabilis est ea mentio, quam de encomiastis regis Olavi Tryggviadæ et de se ipso facit poëta: dicit enim in duobus postremis strophis, multos composuisse de rege Olavo Tryggvii filio carmina breviora, non intercalata (*flokka*), Hallfredum vero ac Bjarnium, seque tertium (nomine non edito), carmina longiora et intercalata (*drápur*) confecisse. Recensus poëtarum septemtrionalium, *Skáldatal*, editus a Petro Undalino ad calcem Chronicorum regum Norvegicorum Hafn. 1633, duos tantum affert poëtas Olavii Tryggvii filii, nempe Hallfredum Difficilem-poëtam, et Bjarnium poëtam, quamquam non ignoramus, hunc recensum, si singula spectes, suis non carere vitiis. Cum vero poëta in ultimo versu se cum his nominibus comparare sustineat, cum poëma suum haud ita humile (*eigi einkar lága drápu*) appellet, et exquisitiori rariorique metri genere compositum esse prædicet, haud sine ratione statuendum esse videtur, auctorem a temporibus Hallfredi et Bjarnii non multum abfuisse.

§. 6.

Venimus jam ad Codices manuscriptos, quos in hac editione et versione adornanda secuti sumus, et primo recensebimus eos Codices, qui in ipsa historia regis Olavi edenda adhibiti sunt, deinde eos, secundum quos et cum quibus particulæ historicæ, ad calcem adjectæ, editæ et collatæ sunt.

Codices historiæ Olavi Tryggvii filii ad duas classes referendi videntur, quum alii sequantur antiquiorem recensionem, alii recentiorem, sive Flateyensem. Ad priorem classem tres codices membranacei pertinent:

1) Codex membraneus, in folio, num. 61, inter Codd. Mscriptos legati Arnæ-Magnæani. Secundum hunc codicem textus Islandicus excusus est, Hafn. 1825-1827; sicubi vero aliam lectionem prætulimus, hunc codicem in notis per Lit. *A* indicavimus. Hic codex, quanquam a vitiis librariorum non omnino immunis, tam scriptura,

quam dispositione rerum; omnium, quos heic habemus hujus historiæ codicum manuscriptorum, præstantissimum esse judicamus. Commendat eundem codicem, quod omnino integer est, præter unum folium, quod in autographo defuisse, librarius in margine adnotavit, nempe in Versionis lat. Vol. 2, pag. 299, lin. 11, a verbis: „meminit Hallarstein," usque ad verba pag. 312, lin. 10, „adeo spissa volabat"; quo loco textus exaratus est secundum Cod. *B*. Ex hac lacuna concludere possumus, hunc codicem vix prius scriptum esse, quam initio seculi 15ti vel in fine sec. 14ti; nam, cum tam in hoc, quam in eo, secundum quem noster exscriptus est, codice hoc idem folium defuerit, sequitur, hanc recensionem plus una vice transscriptam fuisse.

2) Codex membraneus, in folio, num. 54, inter variantes lectiones notatus Lit. *B*. Hic codex cum Cod. *A* egregie congruit, quare cum eo summa, qua fieri potuit, cura collatus est, et quæ verba uncinis inclusa in textum recepimus, ex hoc codice desumta sunt; multa in hoc codice folia desunt.

3) Codex membraneus, in folio, num. 53, notatus Lit. *C*, ad Codd. *A* et *B* prope accedit, nonnulla tamen lectionum varietate, multorum autem foliorum defectu. Quod attinet ad dispositionem rerum, utræque membranæ *B* et *C* cum codice *A* conspirant, easdemque atque hic narratiunculas omittunt.

Ad posteriorem classem pertinet Codex Flateyensis, notatus Lit. *F*, qui aliam tractationem historiæ regis Olavi Tryggviadæ exhibet, multis locis longiorem, insertis hic illic nonnullis particulis historicis, quæ leviorem cum historia Olavi connexionem habere videntur, ut ex appendice, quam in volumine 3io adjecimus, lectori apparebit. Huc pertinet editio Skalholtensis (ed. Skalholti 1689), notata Litt. *Sk*, et Cod. membr. in 4to, num. 309, notatus Lit. þ, qui ut multis locis mancus est, ita quoque multis locis omnem refugit lectionem. Proxime ad *F* accedit codex membraneus, in folio, num. 62, qui tamen multa prætermittit, multa brevius exponit; idem quoque multis locis mancus.

Codicem membraneum, in 4to, num. 310, qui continet historiam Olavi Tryggviadæ, auctore Oddo monacho, ob brevitatem et diversitatem expositionis, in hac editione non adhibuimus. Secundum apographum hujus codicis parum accuratum Reinhjelmius hanc histo-

riam edidit Uppsaliæ 1691; quæ editio cum jam perquam rara sit, novaque editio diligentiorem curam postulare videatur, Societas nostra hanc futuro tempori reservavit.

Sicubi opus historicum Snorrii Sturlæi, Heimskringla dictum, attulimus, id literis *Hkr* significavimus.

§. 7.

Alter Codicum manuscriptorum recensus versatur circa decem particulas historicas, ad calcem historiæ regis Olavi adjectas, eo memorabiles, quod omnes, præter 1am et 8vam, in Codice Flateyensi reperiantur. Hoc vero loco primo indicabimus codices, secundum quos typis expressæ sunt, deinde afferemus gravissimi critici, P. E. Müllerí, de his scriptis judicium.

1) Historia de poëtis regis Haraldi Pulcricomi. Hanc historiam tria exhibent apographa chartacea, in collectione antiquaria legati Arnæ-Magnæani, quorum duo, invicem congruentia, sunt in folio, num. 67, *A* et *B*, et in hac editione iisdem literis notata; tertium, in 4to, num. 307, notatum Lit. *C*, ad singulas voces quod attinet, ab cæteris divergit, quædam, ubi lacunæ sunt, omittens; secundum quæ apographa hæc particula typis exarata est, Hafn. 1827. Cum vero typographus operi jam finem imposuerat, indagavit eam Cand. Phil. Thorstein Helgasonius inter manuscripta legati Arnæ-Magnæani, in membrana valde vetusta, num. 544, in 4to, ut videtur initio sec. 14ti, minuta manu et abbreviata, exaratam. An Codd. chartacei ex hac membrana exscripti sint, haud facile dijudicatu est: lacunæ, quæ in Codd. chartaceis sunt, legi quidem in membrana non possunt, præter partem quandam stropharum, capita vero aliter sunt distributa. Varias lectiones, quas hæc membrana suppeditat, in versione in textum recepimus, sicubi eas veriores aut probabiliores esse judicavimus. Argumentum hujus brevis historiæ exposuit P. E. Müllerus in libro egregio *Sagabibliothek* (Bibliotheca Historica) P. 3. pag. 190-4, ipsamque solito acumine severiori crisi historicæ subjecit, ibid. p. 194-197, cujus summa hæc est: propter varia momenta, quæ cum historica fide et probabilitate conciliari nequeant, credibile esse, hanc vetustam esse fabulam amatoriam, ob interiores rationes seculo 3tio confictam; a vero enim abhorrere, septuagenarium Odinem amore capi venu-

stæ Ingibjargæ, et Thorolvum Kveldulvi filium, qui octo ante natum Eirikum Sangui-securim annis interfectus sit, posse expeditioni heic memoratæ interfuisse; tacere Snorrium de controversiis inter Eirikum Björnis filium, regem Sveciæ, et Haraldum Pulcricomum; improbabile esse et commentum sapere, tres celeberrimos poëtas amore captos, tresque conventus amatorios uno vespere condictos esse. Ex quibus criticis observationibus gravissimam censemus eam, quæ circa chronologiam versatur, neque tamen forte inextricabilem.

2) Particula de rege Sigurdo Sleva (Saliva) extat in Cod. Flateyensi, cujus columnam 6tam et 7mam occupat. Fides hujus brevis narrationis confirmatur tum interna simplicitate, tum consensu cum vita Thordi Hredæ et Heimskringla V, 14, item Fagurskinna; quorum omnium dissensus in particularibus ostendit singularum narrationum absolutam auctoritatem. Hi omnes discordant in nomine ejus, qui Klyppum occiderit, quem nostra particula appellat Ögmundum, filium Karii Hördensis, ergo patruum Klyppi; vita Thordi Hroaldum, filium Ögmundi, nepotem Karii Hördensis, adeoque patruelem Klyppi: Heimskringla Erlingum Grandævum; Fagurskinna Sigurdum Grandævum, aulicum regis. Taceant, quantum scimus, aliæ historiæ de Bödvare Thorsteinis filio, fratre Halli Sidensis, de Gudruna Klyppi filia, ejusque cum Einare Thveraënsi connubio, nec non de horum filio, Thorkele Klyppo, qui tamen hoc loco in multis historiis commemorari dicitur.

3) Particula de Thorleivo Dynastarum-poëta in Cod. Flateyensi exstat, Col. 104-108. Variæ lectiones desumtæ sunt ex duobus Codd chartaceis, num. 552, notato Lit. *G*, et num. 563, not. Lit. *A*. Vide de hac particula P. E. Müllerum in *Sagabibliothek*, P. 3 pag. 215-217. Commemoratur Thorleivus in Landnama, et Svarfdæla, quam historiam ipsa particula allegat, Cap. 1mo. Ex famosi carminis parte laudatoria integra strophia affertur in Snorrii Heimskringla VI, C. 56; eo quoque referenda videtur semistropha, in Edda Snorriana (ed. Raskii) citata, pag. 315 et 335:

Höfðu vèr í þèr, Hákon! i. e. Habuimus in te, Hakon!
er at hjör-rógi drógum, quando in pugnam processimus,
(*þú raudt Sköglar skýa* (tu tela, Skögulæ tegminibus infesta,

skiðð) *forustu góða.* — tu tixisti) præsidium bonum.

De Hallbjörne Halio vide *Sagabibliothek* l. c., quo adde, quod *Skáldatal* apud Undalinum memorat Hallbjörnem Halium, ut poëtam sub Sverrere, Norvegiæ rege, et Knuto Eiriki filio, rege Sveciæ.

4) Particula de Thorsteine Bovipede exstat in Cod. Flat. Col. 126-133; quæ collata est cum sequentibus Codd. mscr. legati Arnæ-Magnæani: 1) num. 562 B, notato Lit. *B*, in 4to, literis Gothicis scripto; 2) num. 562 C, notato Lit. *C*, in 4to, literis latinis exarato; 3) num. 563 B, notato Lit. *G*, in 4to, literis latinis scripto; 4) num. 542 H, notato Lit. *H*, in 4to, literis latinis. P. E. Müllerus in *Sagabibliothek*, P. 3. pag. 236-7, probabilibus argumentis demonstrat, hanc de Thorsteine, alias persona historica, narrationem seculo 14to fabulose exornatam esse.

5) Particula de Helgio Thoreris filio exstat in Cod. Flat. Col. 183-185, et in Cod. membr. num. 309, notato Lit. Þ, de quo supra mentionem fecimus. De hac fabula seculi 14ti vide Mülleri *Sagabibliothek*, P. 3 pag. 240. Indicavimus etiam, phrasin in hac fabula occurrentem, a vita Gretteris petitam, et ad res seculi 10mi applicatam, auctoris inscitiam in commentando arguere, cum vita Gretteris indicet, captivitatem exulis Islandici poëtarum (seculi 13tii et forte 12mi) lusibus materiem dedisse.

6) Particula de Hromundo Claudo tantummodo extat in Cod. Flat. Col. 211-214. De hac vide *Sagabibliothek*, P. 3 p. 464, ubi internis argumentis probatur, eam conscriptam esse seculo 12mo; quo adde, res heic narratas satis fuse exponi in Landnama p. 171-179, ubi plura afferuntur de prœlio Fagrabrekkensi autoptarum carmina.

7) Particula, quæ inscribitur, de Haldore Snorrii filio, excripta est ex Codice Flateyensi, Col. 264-270, collata cum duobus codicibus membraneis in collectione Arnæ-Magnæana, nempe cum num. 54, in folio, notato Lit. *B*, in quo ad calcem libri maxima hujus particulæ pars alia manu est exarata, et cum 62, in folio, notato Lit. *S*, ubi hæc particula ad calcem adjecta est. Continet vero hæc particula: 1) Cap. 1-2 episoden quandam de Haldore Snorrii filio, de qua annotat P. E. Müllerus in *Sagabibliothek*, P. 3 pag. 336-337,

eam nec cum Snorrii, nec cum Gunnlögi relationibus, nec cum ipsius quidem Einaris Thambarskelveris effatis, convenire, quam ob rem eam pro serioris ætatis figmento habet. 2) Cap. 3-6, relationem de Sigurdo episcopo, eo memorabilem, quod fere verbo tenus ex Gunnlögi latino opere conversa videtur, cfr. P. E. Mülleri *Sagabibl.* P. 3. pag. 206-207. 3) Cap. 7 continentur fontes historici Oddi et Gunnlögi, de quo loco videndus est Müllerus in *Sagabibl.* l. c., et postremo epilogus ejus, qui Olafssagæ secundum codicem Flateyensem tractationi ultimam manum imposuit.

8) Particula de Thorsteine, ob vires Bæarmagn (domipotente) dicto, exscripta est ex Cod. membr. 510, in 4to, notato Lit. *A*, et collata cum Cod. membr. 343, in 4to, notato Lit. *B*, et præterea cum tribus Codd. chartaceis, nempe num. 169 B, notato Lit. *C*, num. 203, notato Lit. *D*, utrisque in forma folii, et denique cum num. 340 in 4to, notato Lit. *E*; qui omnes codices in collectione manuscriptorum legati Arnæ-Magnæani reperiuntur. Argumentum et censuram hujus fabulæ (forte sec. 15 confictæ), vide in *Sagabibl.* P. 3 pag. 240-251.

9) Particula de Thorsteine Timidulo desumta est ex Cod. Flat. Col. 214-215. Quamvis neque ipse Thorstein, quantum scimus, neque pater ejus Thorkel, filius celebris Asgeiris Ædikolli, alibi commemoretur, tamen hæc particula, quam Cod. Flat. servavit, in qua cruciatus inferni periculo boreali adumbrantur, vix inferius deprimi potest quam ad seculum 13tium; vix vero dubium esse potest, quin aliquis ab rege subornatus Thorsteini hoc modo terrorem incutere animique præsentiam tentare voluerit.

10) Particula de Ormo Storolvi filio descripta est ex Cod. Flat. Col. 272-278, et collata cum sequentibus, qui in collectione Arnæ-Magnæana asservantur, codicibus chartaceis: 1) cum Cod. num. 158, notato Lit. *A*; 2) cum Cod. num. 163 B, notato Lit. *B*. 3) Cod. 164 E α, notato Lit. *C*; 4) Cod. 164 E γ, notato Lit. *E* 5) Cod. 156 C, notato Lit. *G*, qui omnes codices in forma folii sunt; 6) Cod. 552 I, notato Lit. *H*; 7) Cod. 554 H β, notato Lit. *K*; 8) Cod. 555 D, notato Lit. *L*. 9) Cod. 555 E, notato Lit. *M*, qui omnes in forma 4ta sunt. Judicium P. E. Mülleri de hac particula lege in *Sagabibl.*, P. 1 pag. 353-4; quo

adde, quod Ormus Robustus citatur in Njala, Cap. 19, in Egla, pag. 101, commemoratque vita Gretteris in Cap. 60 virium specimina ab Ormo Robusto et Thorolvo Skolmi filio exhibita, quæ in hujus particulæ Cap. 4to memorantur, his verbis: „*en þat er flestra manna ætlan, at Grettir hafi verit sterkastr hèrlands-manna, síðan þeir Ormr ok Þórálfr lögðu af aflraunir*," i. e. „sed plurimorum hominum existimatio est, Gretterem fuisse robustissimum hujus terræ (Islandiæ) incolarum, ex quo Ormus ac Thorolvus virium specimina edere desierunt."

Textum Islandicum harum decem particularum, exscripsit Cand. Theol. Th. Gudmundsonius; contulerunt, variis lectionibus adornarunt et correxerunt Th. Gudmundsonius, Proff. Er. Rask et C. C. Rafn; latine reddidit S. Egilssonius.

Hic incipit historia
regis Olavi Tryggvii filii.

Cap. 1.

Haraldus Pulcricomus longo temporis spatio rex fuit totius Norvegiæ; ante eum vero multi ibi fuere reges, quorum quidam uni provinciæ præfuerunt, alii plus aliquanto ditionis habuerunt, quos omnes rex Haraldus regno exuit, quidam ceciderunt, alii regno pulsi cesserunt; alii regiæ dignitati renuntiarunt; neque præter eum fuit quisquam, cui regio nomine uti liceret; ille cuique provinciæ dynastam præfecit, qui rem publicam administraret et jus diceret. Rex Haraldus fuit filius Halfdanis Nigri, Upplandorum regis; pater Halfdanis Nigri fuit Gudrödus Venator, filius regis Halfdanis, qui vocatus est Munificus et Cibi-parcus, eo quod suis tot aureos, quot alii reges numos argenteos, stipendii loco dedit, sed cibum adeo parce subministravit, ut famelici essent. Mater Halfdanis Nigri fuit Asa, filia regis Haraldi Aënobarbi de Agdis. Mater Haraldi Pulcricomi fuit Ragnhilda, filia Sigurdi Cervi, cujus mater fuit Aslöga, filia Sigurdi Angvioculi, filii Ragnaris Hirsutibraccæ. Mater Sigurdi Angvioculi fuit Aslöga, filia Sigurdi Fabnericidæ. Sigurdus Cervus in matrimonio habuit Thyrniam[1],

[1]) Thyriam, F.

filiam Haraldi Klakki de Jotia, sororem Thyriæ, Daniæ levaminis (s. reparatricis), quam Gormus Grandævus, rex Danorum, in matrimonio habuit. Thyrnia fuit mater Ragnhildæ, matris Haraldi Pulcricomi. Haraldus, patre mortuo, regiam dignitatem accepit, annorum decem; is omnium hominum fuit statura viribusque maximis, forma pulcherrima, vir sapiens, et ingenii perquam heroici. Guthormus, filius Sigurdi Cervi, avunculus ejus, fuit præfectus aulicorum, totiusque regni administrationi præfuit; idem dux erat exercitus. Rex Haraldus Upplanda [primo subegit, omnesque principes sustulit, qui ea parte regnum infestabant[1]. Deinde misit, qui virginem adducerent, nomine Gydam, filiam regis Eiriki de Hördia, quam, utpote forma spectabilem, quamvis animi insolentioris, concubinam delegit; ea in Valdreso apud rusticum potentem educabatur. Quo cum missi venissent, virgini mandata exponunt. Quibus ea his verbis respondit, nolle se virginitatis facere jacturam, ut regi nubat, qui nonnisi paucis[2] provinciis præsit: atque mirum mihi videtur, inquit, nullum esse regem, qui Norvegiam sic tenere, singularique imperio regere velit, ut rex Gormus Daniam aut Eirikus Uppsaliam[3]. Visam in respondendo superbiorem interrogant missi, quo spectent hæc responsa, testantes, Haraldum regem tam potentem esse, ut hanc conditionem se dignam æstimare debeat. Quorum mandatis etsi alia dedit responsa, atque vellent, tamen intelligebant, nullas sibi in præsentia adesse opes, ut invitam abducerent; quare reditum parabant. Ad abeundum parati ex

[1]) verba uncis inclusa, cum in A legi non possent, ex C desumta sunt. [2]) uni provinciæ, F. [3]) confer Ynglingasagæ cap. 40, init.

domo educuntur. Tum Gyda: hæc mea verba regi Haraldo referte, me ea solum conditione polliceri, uxorem ipsius fore, si prius mea causa fecerit, ut totam sibi subjiciat Norvegiam, eique regno imperet æquo jure, atque rex Eirikus Svionum imperio, aut Gormus Grandævus Daniæ, tum primum enim justus imperator appellandus mihi videtur. Missi ad Haraldum redeunt, eique hæc singula verba virginis referunt, addentes, mirum, quam audacem et imprudentem esse, dignamque, quam rex, missis emissariis, cum ignominia reducat. Rex Haraldus negavit, virginem male locutam, fecisseve, quod dignum vindicta esset; immo macta responso, inquit, esto! mihi enim res in memoriam revocavit, quas nunc miror mihi prius non animadversas. Nunc votum nuncupo, deumque testor, qui me creavit et omnia regit, me non ante comam tonsurum neque comturum, quam totam Norvegiam cum tributis et mercedibus et imperio possederim, aut alioquin vitam positurum. Pro hac voti nuncupatione dux Guthormus ei gratias egit, regium esse dicens, fidem dictis præstare. Ex hoc tempore rex Haraldus totam Norvegiam devicit, sibique subjecit, ut in historia ejus memoriæ proditum est; qui cum universum regnum singulari potentia teneret, memor, quæ sibi virgo illa superba dixisset, missis legatis, eam ad se arcessivit, et in tecto suo collocavit.

De filiis Haraldi regis.

Cap. 2. Rex Haraldus multas habuit uxores, multosque liberos: viginti pluresve filios, singulos eximiæ spei juvenes; hi nobili genere materno orti; unde complures apud cognatos maternos educati sunt. Rex Haraldus uxorem

duxit, nomine Ragnhildam, Eiriki Jotiæ regis filiam, cognomine Potentem, ex qua procreavit Eirikum Blodaxam (sangvineam securim)[1], qui apud ducem Thorerem, Hrohallii[2] filium, in Fjördis educatus est. Mater Guthormi, Hrærekí[3], Gunnrödi, quem alii Gudrödum nominant, fuit Gyda, Eiriki Hordiæ regis filia, de qua modo proditum est; hi ibidem in pueritia educati sunt. Halfdan Niger et Halfdan Albus gemini erant, Asa nati, filia Hakonis Grjotgardi filii, Hladarum dynastæ; tertius nominatus est Sigrödus[4]; hi omnes in Thrandheimo educati sunt; ex his fratribus Halfdan Niger præstantissimus erat. Mater Olavi, Björnis, Sigtryggi, quem quidam Tryggvium nominant, Frodi[5], et Thorgilsis, fuit Hilda sive Svanhilda, filia Eysteinis dynastæ ab Heidmarkia; rex Haraldus Eysteinem dynastam Vestfoldiæ præfecit, eique filios suos educandos commisit. Sigrödus Hrisus, Halfdan Alticrus, Gudrödus Splendor, Rögnvaldus Rectipes, filii erant Snjofridæ Finnæ. Mater Dagi, Hringi, Ragnaris Rykkis, nominata est Alfhilda, filia Hringi, Dagi filii, ab Hringarikia; hi in Upplandis educati sunt. Filiæ Haraldi[6] fuerunt Ingigerda et Olava Arbota (annonæ medela); alia filia regis Haraldi fuit Ingibjarga, quam Halfdan dynasta uxorem duxit; horum filia fuit Gunnhilda, quam Finnus Strabo in matrimonio habuit, ex quibus nati Eyvindus Poëtiperda (Archipoëta)[7], Njal, Sigurdus[8], Thora; filia Njalis fuit Astrida, mater Steinkelis[9], Svio-

1) cognomen ob expeditiones piraticas, teste Fagurskinna, additum. 2) Hroaldi, F. 3) Hareki, F. 4) Sigurdus, F. 5) *Fjörci*, C. 6) illius (Alfhildæ), C. 7) cfr. *P. Clausens Norske Kongers Kronica*, *Khfn.* 1633, p. 89: „*Evind var alle Skaalders Mestere, ve kalledis derfor Skaldaspildere eller Spildeskaald.* 8) Sigrida, B. 9) Steinkolii, B.

num regis. Olavam, filiam ejus, dynasta Thorer Tacitus in matrimonio habuit; horum filia fuit Bergljota, mater Hakonis Potentis. Sic rex Haraldus filias suas dynastis indigenis elocavit. Rex Haraldus [infesto exercitu[1] et præliis totam omnino regionem, omnia heredia, tam prædia mediterranea, quam montana, insulas exteriores et sylvas, ut et omnes terræ tractus non habitatos, in potestatem suam redegit; omnes rustici fuerunt ejus superficiarii aut inquilini. Haraldus Pulcricomus, decem annos natus, ut supra commemoratum est, regnum adiit, regnoque præfuit annos septuaginta tres. Cum sexaginta[2] annorum esset, multi filiorum ejus ad maturam ætatem jam pervenerant, nonnulli decesserant; multi eorum domi feroces fuerunt, et inter se dissederunt, regios dynastas partim possessionibus exuerunt, partim interfecerunt; quare rex in parte regni orientali frequentem conventum indixit, eoque Upplandos convocavit; hic leges constituit, omnibusque filiis suis regia nomina dedit, idque legibus inseri jussit, ut ipsius prosapia orti principes, patribus mortuis, regiam dignitatem acciperent, dynastæ vero essent, qui ex ipsius stirpe feminis[3] essent orti. Rex provincias inter filios partitus, Vingulmarkiam[4], Raumarikiam, Vestfoldiam, Thelamarkiam dedit Olavo, Björni, Sigtryggo, Frodio, Thorgilsi; Heidmarkiam et Gudbrandsdalos donavit Dago et Hringo et Ragnari; Snæfridæ filiis attribuit Hringarikiam, Hadalandum, Thotnum, et his adjunctas regiones; Guthormo, filio suo, in ultimis regni orientalis finibus sedem designavit ad li-

[1]) regnum pacando, F. [2]) septuaginta, F. [3]) *Kvennsvistar*, prave, ut puto, C; *or kvennlegg*, stirpe feminina, F. [4]) Brinsulmarkiam, prave, C.

mites regni tuendos, eique ibi imperium dedit in Ranrikiam[1], ab Albi ad Svinasundum. Rex Haraldus sæpius in meditullio regni versabatur. Hrærekus et Gudrödus semper intra aulam regis se continebant, amplis salariis in Sogno et Hördia donati. Eirikus, ut plurimum, apud patrem versatus est; hunc rex ex omnibus filiis carissimum habuit, maximique fecit, utpote potentissimo genere materno ortum, natum ex regina Ragnhilda ab Dania, ut supra dictum est. Sic dictum est, regem Haraldum, Ragnhilda Potente ducta uxore, novem conjuges dimisisse. Cujus rei meminit Thorbjörn Clypeisector:

Repudiavit[2] Rugienses insulanas
et Hördenses virgines,
unamquamque Heidmarkensem[3]
atque Halogicæ gentis[4]

[1]) Raumarikiam, F. prave.

[2]) F, Sk. hanc stropham ita exhibent: *Hafnaði hún* (*hann*, Sk.) *mörgum—hennar* (*Haraldr*, Sk.) *meyum—hverri hinn* (*hinni*, Sk.) *hœversku* (*heimversku*, Sk.) — *hilmir Norrœni — konúngr hinn kinstóri — tók konu Danska.*

[3]) *Heinverskr*, ex Heidmarkia Norvegiæ oriundus. *Heinir* (q. s. *Heiðir*) dicuntur incolæ Heidmarkiæ, vide Hkr. VII. c. 50. str. 3 (cfr. c. 43 ante): *Heinir megu vinna fleira enn drekka öl*; sic et Hkr. T. V. p. 78. 79. 107. Et in Edda Snorr. ed. Holm. p. 187. str. 9. var. lect. *Heina* verior esse videtur, quam *hveina*. Obiter monendum, locum Heidmarkiæ vel ipsam Heidmarkiam vocari *Heið* in fragmento membr. apud Langebekkium Script. rer. dan. T. II. p. 267. Hinc quoque gentis nomen *Heinverjar* (q. s. *Heiðverjar*), unde formatum adj. *heinverskr*, secundum formam *þjóðverskr*, *eyverskr* (text. isl. p. 144, str. 3). Haraldum autem matronas ex Heidmarkia sibi junxisse, jam supra commemoratum est, p. 4. [4]) *Hölga ætt*, gens Hölgii, poëtice dicuntur incolæ Halogiæ. Edda Snorr. p. 154. Halogiam dicit ab Hölgio, Halogiæ rege, nomen fuisse sortitam. Quicquid sit, poëtis usitatum est, incolas ex regum nominibus denominare, ut *Ellu kind*, Angli, ab Ella rege; Hkr. VII, c. 13, str. 1

rex genere nobilis,
cum Danam duceret matronam.

Regina Ragnhilda Potens, postquam in Norvegiam venit, tres hiemes vixit. Rex Haraldus Eiriko filio suo dedit Halogiam, Nordmæriam et Raumsdalum; Thrandheimo præfecit[1] Halfdanem Album et Halfdanem Nigrum et Sigrödum. In his singulis povinciis dedit rex filiis suis redituum dimidiam partem, insuperque, ut in celsa sede sederent, uno gradu inferius, quam rex Haraldus, uno vero superius, quam [ceteri filii regis Haraldi[2]; illam autem sedem, post ejus mortem, sibi quisque filiorum ejus destinabant, ipse rex Eiriko destinabat; Thrandi Halfdani Nigro, Vikenses et Upplandi summam rerum ad eos potissimum deferre cupiebant, qui sub eorum tutela erant; hinc de novo inter fratres magna exorta dissensio est. Cum vero exigua illis viderentur, quæ tenuerunt regna, in piraticam excurrerunt, quemadmodum in monumentis est, Guthormum ab Sölvio Klofio (furca) occidisse in Albis ostiis; quo facto rex Olavus regnum, quod tenuerat, adiit. Halfdan Albus in Estlandia, Halfdan Alticrus in Orkneyis (Orcadibus) cecidit. Thorgilsi et Frodio rex Haraldus naves bellicas dedit, quibus in mare occidentale ad piraticam vecti, Scotiæ, Britanniæ et Hiberniæ littora populati sunt; hi primi Nordmannorum Dublinum in Hibernia in suam potestatem redegerunt. Ferunt Frodio mortiferam potionem datam; Thorgils vero longo tempore Dublino rex præfuit; tandem, dolo Hibernorum circumventus, ibi cecidit.

Eirikus Gunnhildam uxorem ducit.

Cap. 3. Eirikus summum in omnes fratres suos

[1]) *yfirsókn*, sic C; *yfirsótir*, *A*, quod mendum videtur esse; *riki*, imperium, F. [2]) dynastæ, C, F.

principatum affectavit, quod et pater suus, rex Haraldus, destinaverat. Eirikus mature insignis bellator evasit, quam ob causam Sangvinea securis cognominatus est. Duodecim annos nato rex Haraldus quinque naves bellicas dedit, quibus piraticam exercuit, primum in mari orientali (balthico), inde ad meridiem conversus, circa Daniam, Frisiam et Saxoniam, transigens [in hac expeditione quatuor hiemes; deinde, per mare occidentale vectus, Scotiam, Britanniam, Hiberniam et Valliam depopulatus est, ibique commoratus est[1] alias quatuor hiemes. Postea septemtrionem versus in Finnmarkiam, et in Bjarmiam usque profectus, prælium ibi commisit, et victoriam reportavit. Cum in Finnmarkiam rediisset, comites sui in tugurio quodam in feminam inciderunt, cujus parem pulcritudine nullam antea viderant, quærentibus nomen, se Gunnhildam vocari fassa: pater, inquit, meus, nomine Özur Totius (villosus s. barbæ promissæ)[2], in Hálogia habitat; heic commorata sum, ut a duobus Finnis, omnium in Finnmarkia peritissimis, artes scientiamque discam; hi jam venatum abiere; ambo vero me uxorem ducere cupiunt; iidem tantæ sunt sagacitatis, ut canum instar vestigia indagent, tam in terra soluta, quam congelata; perticis vero cursoriis per nives labendi adeo sunt periti, ut eos evadere nec homines possint, nec feræ; quicquid telo destinaverint, feriunt: hoc pacto omnes qui hæc loca adierunt, homines circumventos necarunt; sin vero ad iram provocantur, ad obtutum eorum terra subvertitur[3], et si quid vivum visui eorum tunc fuerit oblatum, continuo in terram

1) a signo [add. C, F. 2) Fagurskinna addit: *eða Lafskegr*, quod explicationis gratia adjectum videtur. 3) dehiscit, F.

mortuum cadit; quare ante omnia cavendum vobis est, ne in conspectum eorum veniatis; ego vos abdam in tugurio meo, quo facto experiamur, an eos necare valeamus. Assentiunt illi. Quos cum abdidisset, saccum linteum arripuit, cinere, ut illis videbatur, plenum; hunc per tugurium, tam extra, quam intra, sparsit. Paulo post Finni domum venerunt, et quæsiverunt, quid advenisset; ea negat quicquam advenisse. Hoc mirum Finnis visum est, vestigia enim ad tugurium usque sectati fuerant, nihil tamen invenientes. Deinde ignem accendunt, cibaria parant; quibus cibatis, Gunnhilda[1] lectum suum sternit. Sic autem res antea[2] inter eos cesserat, ut alter alterum obvigilans zelotypiæ[3] causa observaverit. Tum Gunnhilda: huc adeste, inquit, et utrimque a latere meo quiescite. Læti, quæ mandaverat, faciunt. Ea collum utriusque brachio circumdat, moxque illis obrepit somnus; illa somno eos excitat; celeriter[4] vero iterum obdormiscunt, ut eos vix excitare posset. Tertia vice tam alto somno capiuntur, ut nullo pacto eos expergefacere posset, quamvis eos erigeret. Tum ea duas ingentes, phocis detractas exuvias, capitibus eorum superinductas, subter brachiis arctissime constringit, illis nihilominus dormientibus. Tum Gunnhilda signum regiis dat; illi advolant, [Finnos armis cædunt, occisosque[5] extra tugurium protrahunt, tantis secutis tonitribus, ut nusquam proficisci possent. [Mane vero sequenti[6] naves petiverunt, Gunnhildam secum ducentes, quam Eirico obtule-

[1]) ipsi — sternunt, F. [2]) per tres noctes, add. F. [3]) *vandlætis*, conject.; *vandlotu* A, insolentius; *afbrygðis* C prave, pro *afbrýðis* s. *ofbrýðis*, id. *ástar*, amoris, F. [4]) alto somno, F. [5]) et Finnos occidunt, F. [6]) Post aliquanto, F.

runt. Hic iter perseverans, cum in Halogiam devenisset, [vocato ad se[1] Özuri Totio indicavit, se filiam ejus Gunnhildam cupere uxorem; annuit Özur. Eirikus Gunnhildam uxorem duxit, eamque secum in australes regni partes duxit.

Eirikus Sangvisecuris Rögnvaldum Rectipedem in ædibus concremavit.

Cap. 4. Rögnvaldus Rectipes Hadalandum tenuit; is artes magicas didicit, et incantator extitit. Rex Haraldus omnes incantatores abominatus est. Fuit in Hördia incantator quidam, nomine Vitgeir (Geir veneficus). Hunc rex, misso nuntio, ab incantatione desistere jussit; ille sequenti carmine respondit:

Non mirum est[2], si nos[3],
qui senum sumus
et vetularum soboles,
incantamenta exercemus[4],
cum Haraldi inclyta proles,
Rögnvaldus Rectipes,
in[5] Hadalando
incantamenta exerceat.

Quæ cum audivisset rex Haraldus, Eirikus Sangvisecuris ejus consilio in Upplanda profectus, cum in Hadalandum pervenerat, Rögnvaldum et octoginta incantatores in ædibus concremavit; quod factum magna laude celebratum est. Gudrödus Splendor præ Jadare submersus periit.

Casus Björnis mercatoris.

Cap. 5. Björn, filius Haraldi regis, Vestfoldiæ præfuit, et Tunsbergi plurimum commorabatur, piraticæ parum frequens. Mercatores

[1]) convento, F. [2]) *voli* v. *volítit*, F; *fé lítit*, parum lucrosum, Sk. [3]) *þótt vér*, etsi nos, Sk; Hkr. in vita Har. Pulcric. c. 36. [4]) *seiða*, verti: „incantationes exercere," nam cantum magicaque carmina, in magiæ genere „*seiðir*", primaria fuisse, multis locis docetur; vide pauca, qvæ afferam loca, ad c. 95 str. 1. [5]) *af*, de, Sk.

Tunsbergum valde celebrabant, tam ex Vikia et partibus regni borealibus, quam ex Dania et Saxonia. Fuere quoque Björni regi naves mercatoriæ, quas ad varias regiones mercaturæ gratia dimisit, et sic res pretiosas aliosque commeatus, qui necessarii videbantur, sibi comparavit; hunc fratres sui Mercatorem aut Navigatorem cognominarunt. Björn fuit vir prudens, et moderati ingenii, et ad principatum gerendum apprime aptus videbatur; idem bonam dignamque conjugem nactus, filium genuit, Gudrödum dictum. Eirikus Sangvisecuris, ab expeditione in orientem cum navibus bellicis et ingenti comitatu redux, fratrem Björnem rogavit, ut tributa et mercedes, quæ Haraldo regi ex Vestfoldia debebantur, sibi traderet; Björn vero antea solitus erat, hos census ipse ad regem perferre, vel per legatos mittere, sic quoque nunc facere voluit, neque quicquam Eiriko tradere; Eirikus vero commeatu, potu et tentoriis egere sibi videbatur. Orta est hac de re ingens inter fratres contentio. Cum vero Eirikus postulata non impetraret, oppidum reliquit. Björn quoque eadem vespera, relicto oppido, Sæheimum se contulit. Proxima nocte Eiricus[1], Björnem insecutus, Sæheimum pervenit, etiam tum Björne ac suis accubantibus et potantibus Eirikus domum milite cingit; Björn cum suis egressus cum hoste confligit; heic Björn, plurimis suorum cæcis, occubuit. Eirikus, ingenti præda potitus, in boreales regni partes contendit. Hoc facinus Vikensibus valde displicuit; oreque vulgi terebatur, regem Olavum, occasione ita ferente, cædem Björnis ulturum. Rex Björn in Farmannshögo (tumulo Navigatoris) ad Sæheimum sepultus jacet. Post

[1]) Sic *C*, *F*; Björn, *A* pravè.

eadem hieme Eirikus boream[1] versus in Mæriam profectus, Sölvii, prædio intra Agdanesum sito, convivio est exceptus. Quo cognito Halfdan Niger, cum magna militum manu superveniens, ædes corona cinxit. Eirikus, in cubiculo solitario dormiens, quintus ipse in sylvam evasit; Halfdan vero ac sui villam, cum tota, quæ intus erat, manu concremavit. Hujus rei nuntium Eirikus ad Haraldum regem attulit; qui, gravi ira commotus, collectum exercitum confestim boream versus adversus Thrandos movit. Quo cognito Halfdan Niger, classiarios et naves imperavit, ingentique collecto exercitu, ad Stadum, intra Thorsbjarga (rupes Thoris), classem appulit. Rex Haraldus cum sua classe ad Hreinsljettam (planitiem rhenonum) stabat; hic inter eos internuntii[2] meabant. In exercitu Halfdanis Nigri aderat tunc vir amplus et nobilis, nomine Guthormus Sindrius, antea Haraldum regem secutus, et utrique intima amicitia junctus; idem eximius erat poëta, et de patre ac filio, singulum de singulis confecerat carmen, oblatumque ab iis accipere recusaverat præmium, solum rogans, ut, quod semel peteret, sibi concederent; id quod illi polliciti erant. Nunc ille regem Haraldum accedens, pacisque factus internuntius, ab utroque id precibus petiit, ut pacem inirent; tantum vero valuit auctoritas ejus apud reges, ut, precibus ejus permoti, in mutuam gratiam redirent. Multi alii amplissimi viri hanc causam cum eo peragebant, et pacificatio ea tandem lege constituta est, ut rex Halfdan totam suam ditionem retineret, et nullam hostilitatem adversus fratrem Eirikum moliretur. His rebus

[1]) austrum, *F*. [2]) doctores (sacri), *F* inepte.

Jorunna Poëtria [aliquot strophas tribuit in carmine Sendibito (frusto missili)[1]:

Audivi fando, Pulcricomum Haraldum
Halfdani strenua rescivisse facinora;
verum exploratori ensium visa est
hæc nigriuscula ratio[2].

Obitus Hakonis dynastæ.

Cap. 6. Hakon Grjotgardi filius, dynasta Hladensis, totam Thrandheimicam provinciam administravit, quotiescunque rex Haraldus in

[1]) F tantum habet: hanc stropham composuit. Vero simile est, Jorunnam carmen Sendibitum in honorem regis Haraldi composuisse, et in eo prælia et expeditiones bellicas recensuisse; unde quoque desumta videtur semistropha in Edda Snorr. p. 193, str. 4. citata.

[2]) Ordo: *Ek frá Harald enn a) hárfagra spurja herðibrögð α), Hálfdáns b), en c) lögðis β) reyni d) synist e) seá bragr f) svartleitr γ).* Hæc stropha abest in B, S.

a) hins, F, C, Sk; quod consistere non potest, nisi legas: *Haralds*, unde hic ordo, diversusque sensus existeret: *ek frá Hálfdán spurja herðibrögð Haralds hins hárfagra*, &c.; tum sequens: *lögðis reynir* ad Halfdanum est referendum; sed hæc ratio mihi quidem videtur contextui historiæ minus conveniens. *b)* omnes Codd. legunt: *Hálfdán*; literam *s* adscripsi, tum quod sensus id postulare videbatur, tum quoque quod haud a vero absimile putavi, hanc literam, sequente alia *s*, ut in pronunciatione, ita in scriptione facile absorbi posse. *c) er sögðust*, F; *er sögðunst*, Sk: qvæ narrabantur, v. ut mihi traditum est. *d) reyni*, Sk; *raunar*, revera, C. *e) synjast*, Sk prave. *f) svartleikr*, Hkr. III, c. 39., eodem sensu o: *svartr leikr*, niger ludus; i. e. turpis actio.

α) herðibragð, durum, strenuum facinus, vel etiam atrox; *herði*, ut similia in *i* a verbis formata, in compos. vel qualitatem notat, ut *herði-mýll*, durus globulus; *herðimaðr*, vir fortis; vel actionem, id. q. *herðandi*. *β) lögðir*, ensis, q. s, is quo petitur; a *leggja*, petere (telo); *lögðis reynir*, qui tentat gladium i. e. qui eo utitur, præliatur; intelligitur vero ipse rex, atrocitate facinoris indignatus. *γ) svartleitr*, niger aspectu, it. malus, turpis; *truðu honum vart*; *hann er illr ok svartr*, hic niger et malus est, hunc tu caveto, Gunnl. S. Ormst.

aliis regni provinciis versabatur; idem apud regem, præ omnibus Thrandheimum habitantibus, plurimum auctoritate valebat. Eo mortuo, Sigurdus, filius ejus, dynastæ dignitatem in Thrandheimo accepit, et Hladis sedem habuit, ut pater ejus. Apud eum educati sunt filii regis Haraldi, Halfdan Niger et Sigrödus, quorum cura antea patri ejus commissa fuerat; hi ipsi Sigurdo ætate propemodum erant æquales. Sigurdus dynasta omnium hominum prudentissimus fuit; is uxorem duxit Bergljotam, filiam dynastæ Thoreris Taciti; mater Bergljotæ fuit Olava Annonæ-levatrix, filia regis Haraldi Pulcricomi.

Natus Hakon Adalsteinis alumnus.

Cap. 7. Rex Haraldus, cum senescere cœperat, prædia majora, quæ in Hördia possidebat, sæpius habitabat, Alrekstados aut Sæheimum aut Fitas; interdum in Rogalando sedem habuit Utsteine, aut Ögvaldsnesi in Karmta. Rex Haraldus, septuaginta fere annos natus, filium suscepit ex femina, quæ dicta est Thora Mostriæpertica, eo quod ex Mostria Sunnhördiæ erat oriunda; ea feminarum erat venustissima, statura maxima, et claritate generis præstans, quippe genus referens ad Karium Hördicum; eadem tamen vocata est ancilla regia; multi enim eo tempore fuerunt regi obnoxii, tam viri quam feminæ, etsi superiori loco nati essent. Circa potentiorum hominum liberos erat tunc temporis consuetudo, ut diligenter quærerentur, qui infantem aqua lustrarent aut nomen imponerent. Cum vero tempus appeteret, quo se partum enixuram exspectabat Thora, ad regem Haraldum proficisci voluit; ille tum Sæheimi commorabatur, ea vero in Mostria. Boream versus cum dynasta Sigurdo nave pro-

fecta, cum noctu littori navem applicuerant, supra petram, extremis pontibus contiguam, Thora infantem enixa est, prolem masculam, quem Sigurdus dynasta aqua lustravit, nomenque dedit Hakonis, dynastæ Hladensis, patris sui. Hic puer mature statura corporis et formæ elegantia excellebat, patrisque speciem admodum referebat. Rex puerum, dum in teneris esset, matris curæ commisit, quæ cum eo in prædiis regiis commorata est. Ceteri filii regis Haraldi Hakonem ludibrio habuere, eumque filium Mostriæ-perticæ vocitaverunt.

Haukus Altebraccatus Hakonem ad regem Adalsteinem devexit.

Cap. 8. Eo tempore regnum Angliæ susceperat Adalstein, dictus Victoriosus et Fidus; ille legatos in Norvegiam misit ad Haraldum regem, quibus id negotii dedit, ut legatus regem accedens gladium porrigeret, bullis et manubrio aureis, vagina circumquaque auro et argento ornata, eximiisque gemmis interstincta. Legatus bullas gladii ad regem obvertens: en, inquit, gladium! quem te accipere jussit rex Adalstein. Rex manubrium prehendit; quo facto, mox legatus: nunc ita hunc gladium prehendisti, ut voluit rex noster: jam ei subjectus esto, cum gladium, qua parte bullæ sunt, tenueris. Intellexit rex Haraldus, hoc in contumeliam factum esse, nulli enim subjectus esse voluit. Non tamen moris soliti oblitus est, ut, quoties subitus furor aut ira eum invasisset, animo moderaretur, iramque considere sineret, eaque vacuus res pensitaret. Sic quoque nunc fecit; hanc rem cum amicis communicavit, quibus universis placuit, ut arti arte occurreretur; quare rex Haraldus legatos regis Adalsteinis liberos dimisit, venia domum redeundi cle-

mentissime concessa. Versabatur cum rege Haraldo vir quidam, dictus Haukus Altebraccatus, in legationibus, vel difficilioribus, obeundis strenuissimus, regique amicissimus. Proxima post hæc, quæ modo memorata sunt, æstate rex Haraldus Hakonem, filium suum, Haukio in manus tradidit, et hunc occidentem versus in Angliam misit ad regem Adalsteinem, quem Haukus Londini convenit, ubi honorificum apparatum erat convivium. Haukus ad aulam regiam, triginta viris comitatus, accessit; tum suis: ita introitum instituamus: qui postremus intrat, primus exito: universi ante mensam regiam, æquali ab ea spatio, consistamus: quisque nostrum a sinistro latere gladium[1] gestato, sicque pallium fibulato, ut gladii non conspiciantur. Quibus dictis Haukus puerum Hakonem brachio suo imposuit; deinde intrant. Haukus regem salvere jussit; rex eum exoptatum adesse optavit; quo facto Haukus puerum gremio regis Adalsteinis imposuit. Rex puerum intuitus, interrogat, cur ita faciat? Haukus respondet: Haraldus, Norvegiæ rex, jubet te hunc serva natum sibi educare. Rex Adalstein, ira accensus, gladium prope positum arripuit, et strinxit, velut puerum occisurus. Tum Haukus: hunc jam genu imposuisti, rex! nunc, si lubet, jugules licet; omnes vero regis Haraldi filios hoc pacto non exstingves. Quo dicto Haukus suique omnes exierunt; deinde, qua ferebat via, ad navem reversi, ut parati erant, in altum solverunt, et in Norvegiam ad regem Haraldum revenerunt; cui, quæ gesta erant, perbene placuerunt; is enim vulgo æstimatur inferioris dignitatis, qui alterius prolem educat. Ex his rebus, reges intercedentibus,

1) clypeum, B.

apparuit, utrumque studuisse, ut alter alterum antecelleret; neque tamen eo magis discrimen factum est utriusvis regis dignitatis, uterque enim ad supremum vitæ diem regni sui summum principatum tenuit.

De Hakone.

Cap. 9. Rex Adalstein Hakonem baptizari, vera religione imbui, bonis moribus et omni genere liberalium artium erudiri curavit; rex eum præ omnibus aliis, sive cognati sibi essent, sive nulla consangvinitate juncti, carum habuit, et ceteris omnibus mortalibus, quibus quidem notus erat, gratus acceptusque fuit; deinde Adalsteinis alumnus cognominatus est. Idem alios quoscunque statura, viribus, pulcritudine et singulari artium peritia antecelluit; prudens, disertus, bene christianus. Rex Adalstein Hakoni gladium dedit, cujus bullæ et capulus ex auro erant, ferrum tamen multo præstantius; hoc gladio Hakon lapidem molarem ad foramen usque dissecuit; gladius vero exinde Molæsector appellatus est, fuitque omnium, quos vidit Norvegia, præstantissimus.

Eirikus Sangvisecuris regiam dignitatem accipit.

Cap. 10. Post necem Björnis Mercatoris Vestfoldiæ regnum suscepit frater ejus Olavus, filiumque Björnis, Gudrödum, educandum. Filius Olavi dictus est Tryggvius; hic et Gudrödus una educabantur, utrique ætate propemodum æquales, eximiæ spei juvenes, et in corporis exercitiis præstantes; Tryggvius omnes alios statura et robore antecelluit. Rex Haraldus, cum octoginta annos complevisset, senectute adeo gravabatur, ut ad provincias regni regisque munia obeunda non satis idoneus sibi

videretur; quare Eirikum filium in celsa sede collocavit, eique imperium totius regni dedit. Cujus rei fama ad ceteros Haraldi regis filios perlata, Halfdan se in celsa sede regia collocavit, et omnium Thrandorum unanimi consensu totum Thrandheimum suæ ditionis fecit. Quo cognito, Vikenses summum principatum per totam Vikiam ad Olavum detulere[1]. Hoc graviter admodum tulit Eirikus. Duas post hiemes, Halfdan Niger in Thrandheimo subita morte decessit, cum convivio cuidam interesset, traditumque est ore vulgi, Gunnhildam Regumgenitricem, mercede data, cum venefica quadam pactam fuisse, ut ei potionem mortiferam misceret. Postea Thrandi Sigrödum regem sibi sumsere.

Mors regis Haraldi.

Cap. 11. Rex Haraldus, postquam singularem regni principatum Eiriko concesserat, tres annos superstes in Hördia aut Rogalando, in prædiis suis majoribus, vitam transegit. Rex Eirikus et Gunnhilda filium genuere, quem rex Haraldus aqua lustravit, nomenque suum dedit, et, ut patri Eiriko rex succederet, edixit. Rex Haraldus in Rogalando morbo mortuus est, una[2] post hieme, quam Halfdan Niger subita morte decesserat, ut ante dictum est. Haraldus Högis ad Karmsundum (fretum Karmtense) tumulatus est.

Rex Eirikus cum fratribus suis confligit.

Cap. 12. Proxima post mortem regis Haraldi hieme rex Eirikus omnes regios reditus et prædiorum mercedes ex media regni parte cepit; ex Vikia rex Olavus, sed ex toto Thrandorum communi frater eorum Sigrödus. Hoc ægerrime tulit rex Eirikus, et ore vulgi ferebatur,

[1]) quod regnum ille retinuit, add. B, C, F. [2]) duabus, F.

cum vi et armis adversus fratres suos tentaturum, ut singulare totius regni imperium, a patre datum, sibi vindicaret. Quæ cum rex Olavus et Sigrödus resciverant, missis internuntiis, conveniendi locum statuerunt; et proximo vere rex Sigrödus pedestri itinere orientem versus in Vikiam proficiscitur, ubi regem Olavum Tunsbergi convenit, ibique aliquamdiu commorantur ambo. Eodem vere Eirikus ingentem exercitum[1] et classem imperat, et orientem versus in Vikiam tendit, tam ferentibus usus ventis, ut noctes diesque navigationem perseveraret, nulla eum præcurrente fama. Qui, cum Tunsbergum advenisset, Olavus et Sigrödus copias ex oppido educunt, et in clivo, qui oppidum ab oriente spectat, aciem instruunt. Eirikus, superior numero copiarum, victoriam reportavit. Ceciderunt ambo, Olavus et Sigrödus, quorum amborum tumuli ibi[2] sunt, ubi prostrati jacebant. Tum Eirikus totam Vikiam obiit, eamque sub potestatem suam redegit, multum æstatis ibi commoratus[3]. Tryggvius et Gudrödus in Upplanda aufugerunt. Fuit Eirikus statura procerus, formosus, manu fortis, virtute præstans, insignis bellator, victoriosus, vehementis ingenii, crudelis, asper et verborum parcus. Conjux ejus Gunnhilda fuit feminarum pulcherrima, sapiens et multarum rerum gnara, in sermone hilaris, sed subdoli animi non minus quam sævissimi. Hi fuerunt liberi Eiriki et Gunnhildæ: Gamlius, natu maximus, Guthormus, Haraldus, Ragnfrödus[4], Ragnhilda, Erlingus[5], Sigurdus Slefa[6], Gudrödus.

[1]) copias navales, *C.* [2]) in clivo, add. *B, F.* [3]) omitt. *C.* [4]) Rögnvaldus, F, perp. [5]) Sic eum constanter nominat Hkr., et hæc hist. h. l., sed in sequentibus semper Erlendum, cap. 32, 34, 42, 48. [6]) P. Clausen, pag. 97, vertit: *Staalorm.*

Omnes Eiriki liberi forma conspicui bonæque spei[1] fuere.

Initium imperii Hakonis Adalsteinis alumni.

Cap. 13. Hakon Adalsteinis alumnus in Anglia degebat, quando de morte regis Haraldi, patris sui, famam accepit. Mox itineri in Norvegiam se accinxit; rex Adalstein ei copias, et quantum satis esset navium, dedit, et profectionem ejus magnifice apparavit. Autumno in Norvegiam delatus, cædem fratrum suorum cognovit, et in Vikia esse Eirikum regem; hinc boream versus in Thrandheimum navigavit, et Sigurdum, dynastam Hladensem, convenit, omnium Norvegorum sapientissimum; a quo bene exceptus, et in mutuum foedus admissus Hakon, amplos ei honores pollicitus est, si regnum sibi contingeret. Indictis deinde frequentibus comitiis, dynasta, nomine Hakonis, ad populum verba fecit, rogans, ut eum sibi regem sumerent. Surgens deinde Hakon, ipse locutus est, consusurrantibus nonnullis, rediisse regem Haraldum Pulcricomum, juventuti redditum. Hakon sermonem suum ita orsus est, ut regis titulum cives rogaret, eorumque auxilium et opes, ad regiam dignitatem tuendam; vicissim pollicitus, facturum se, ut omnes coloni fundos avitos jure hæreditario possiderent, receptis quæ quisque incoleret hærediis. Tanto omnium applausu excepta est hæc oratio, ut tota colonorum turba, sublato clamore, vociferaretur, se illum velle regem; sicque factum est, ut Thrandi Hakonem sibi regem sumerent per totum Thrandheimum, tum quindecim annos natum; quo facto aulæ sibi legit ministros et satellites, regnumque obire coepit. Tulit fama in Upplanda, regem sibi sumsisse Thran-

[1]) beneque educati, F.

dos, talem per omnia, qualis fuerat Haraldus Pulcricomus, hoc uno excepto, quod cives universos vi et servitute oppresserat Haraldus, cum singulis omnibus bene cuperet hic Hakon, colonis hærediorum, quibus eos privaverat rex Haraldus, restitutionem pollicitus. Omnium animos gaudio implevit hujus rei nuntius, ab altero alteri traditus, qui ignis instar, sicca gramina depascentis, orientem versus ad ultimos regni limites volabat. Hakonem regem mox adiere Upplandorum plurimi, legatos misere alii, alii nuntios et tesseras, testantes omnes, se ei fidem suam esse addicturos; quos ille grato animo accepit.

Hakon rex creatus.

Cap. 14. Initio hiemis rex Hakon in Upplanda profectus, comitia ibi indixit, ad quem omnes convenere[1], quibus venire integrum erat; in cunctis hisce comitiis rex creatus est. Sic in Vikiam usque pertendit, ubi eum convenere illius de fratribus nepotes, Tryggvius et Gudrödus, multique alii, qui injurias recensebant, quibus eos affecerat frater ejus Eirikus. Odium in Eirikum eo magis crevit, quo magis omnes amicitiam Hakonis captabant, et quo majore cum libertate, quæ cuique libuissent, loquebantur. Hakon regia nomina dedit Tryggvio et Gudrödo, regnaque, quibus patres eorum donaverat rex Haraldus: Tryggvio Ranrikiam et Vingulmarkam, Gudrödo Vestfoldiam dedit; quibus, quod puerilis erant ætatis et consiliis immaturi, viros adjunxit, auctoritate et prudentia insignes, qui unacum iis rem publicam administrarent. Hanc ditionem illis eadem, quæ olim fuerat, conditione attribuit, ut sensus et tributa cum ipso ex æquo communicarent.

1) transiere, G.

Rex Eirikus Sangvisecuris e regno profugit.

Cap. 15. Primo vere rex Hakon, per superiores Upplandorum tractus, boream versus in Thrandheimum profectus, ingentem exercitum ex tota provincia evocavit, classemque milite instruxit. Vikenses quoque magnas exciverant copias, quas adversus regem Hakonem movere statuerunt. Eirikus per medias regni provincias milites evocans, in magna fuit copiarum difficultate, quod optimatum multi, eo relicto, ad Hakonem transierunt[1]; quare cum copiis, quæ eum sequi volebant, per mare occidentale navigavit; primum in Orkneyas profectus est, indeque magnas abduxit copias; inde austrum versus in Angliam navigavit, ibique prædas agere coepit. Quo rex Adalstein[2] cognito, missis ad Eirikum legatis, ei ditionem fiduciariam obtulit, significans facturum, quod in sua potestate esset, ut ille ac Hakon ab impiis contentionibus averterentur. Quam conditionem cum rex Eirikus accepisset, missis internunciis, fide data et accepta inter reges convenit, ut Eirikus Northumbriam ab rege Adalsteine[3] fiduciariam acciperet, et regionem contra Danos aliosque prædones defenderet, ipseque et conjux ejus et liberi, nec non omnes, qui eum illuc secuti fuerant, baptismo lustrarentur. Tum Eirikus baptizatus, et veram religionem amplexus est. Northumbria dicitur quinta pars Angliæ. Eirikus Jorvikæ (Eboraci) sedem habuit, ubi sedem olim habuisse feruntur Lodbrokæ filii. Post occupatam ab Lodbrokæ filiis Northumbriam, hæc regio maximam partem ab Nordmannis fuit inhabitata; nam postquam illi imperium regionis amiserant,

[1]) qui cum opibus se destitutum animadverteret, quibus regi Hakoni resisteret, add., C, F. [2]) Adalradus, F. [3]) Adalrado, F.

sæpius eam Dani et Nordmanni vexaverunt. Multis ejus regionis locis Norvegica nomina sunt imposita, sicut Grims-sker[1] (scopulus Grimi), Hauksfljot (fluvius Hauki), aliaque multa. Sed rex Eirikus, quod exiguam habebat provinciam, ubi magnam multitudinem Nordmannorum alebat, quæ ab oriente eum comitata fuerat, advenientium quoque postea ab Norvegia amicorum numero auctam, quavis æstate in piraticam excurrebat, Skotiam, Sudreyas, Hiberniam et Brittanniam incursionibus infestabat, et sic opes sibi comparabat.

Cap. 16. Rex Adalstein morbo mortuus est, postquam rex fuerat quatuordecim annos, octo hebdomadas et tres dies. Post eum frater ejus Jatmundus regnum Angliæ regiamque dignitatem accepit; is Nordmannis non favebat, neque rex Eirikus in amicitiam ejus pervenit; atque exiit sermo, constituisse Jatmundum alium principem Northumbriæ. Cujus certior factus rex Eirikus, piraticam in mari occidentali exercere coepit, primum Orkneyas profectus, unde filios Torf-Einaris, Arnkelem et Erlendum, abduxit; hinc in Sudureyas contendit, ubi multi fuerunt prædones et reges maritimi, qui se socios Eiriko adjunxerunt; tum toto hoc agmine primum Hiberniam adiit, indeque quantum facultas erat copiarum abduxit; deinde Bretonum terram aggressus, ibi, ut aliis in locis, prædas egit, omnibus incolis, quacunque grassaretur, fugientibus. Cum vero Eirikus insigni esset fortitudine, magnumque haberet militum numerum, copiis fidens, longius in terram depopulando progressus est. Olavus dictus est rex, quem ei regioni tuendæ rex Jatmundus præfecerat; ille, immenso exercitu collecto, Eiriko

[1]) *Grimsbœr*, F, oppidum Grimi.

obviam ivit. Qui cum convenissent, acre prælium oritur, caduntque primo Anglorum plurimi; sed ubi unus cecidit, in ejus locum continuo tres ex incolis recentes successerunt; quare, declinante in vesperam die, versa in partem Nordmannorum strage, ipse tandem rex Eirikus et unacum eo quinque reges occubuere; hic quoque filii Torf-Einaris, Arnkel et Erlendus, ceciderunt, magna facta Nordmannorum strage. Qui vero fuga elapsi sunt, Northumbriam petierunt, et Gunnhildæ filiisque ejus nuntium hujus rei retulerunt. Qui certiores facti, cecidisse regem Eirikum, postquam ditiones Jatmundi regis infesto exercitu vastaverat, non satis tuta eadem loca sibi arbitrati, confestim profectionem ex Northumbria parant, naves, quæ regi Eiriko fuerant, secum universas ducentes, unacum toto, qui eos comitari volebat, exercitu, immensaque pecuniarum vi, quas partim ex tributis in Anglia cumulaverant, partim in piratica lucrati fuerant. Deinde in Orkneyas tendunt, ubi sedem aliquamdiu fixere; tum insulis dynasta præfuit Thorfinnus Craniseca, Torf-Einaris filius. Filii vero Eiriki Orkneyas et Hjaltlandiam sub suam potestatem redegerunt, tributa inde percipientes; ibidem per hiemes commorabantur, per æstates autem mare occidentale piratica infestarunt, prædas agentes ex Scotia et Hibernia. Cujus rei meminit Glumus Geirii filius in encomio Grafeldi:

Peritus inde navium
devastator, puerili ætate,
Skaneyam versus iter
bonis avibus fecerat;
ejaculator præliaris favillæ
virorum gentes devicit in Scotia;

scutique numen remisit ad Othinum cæsum gladio militem[1].

1) Ordo: *Fróðr a) ferju-bakka-blakk-rjóðandi a) hafði barningr b) farna þatan góða för til Skáneyjar β); γ) rœsir c) rógeisu d) vann e) ð) seggja kindar f) á Skotlandi; randullr g) sendi Gauti h) e) sverðbautinn i) her.*

Hanc et sequentem stropham omittunt ceteri Codd. præter F. *a) ríðandi*, equitans, Hkr. IV, c. 5. *b) barnvygr*, Sk; *barnvígr*, F, corrupte. *c) rœsinn*, gloriosus, Sk. *d) rógreisu*, Sk. *e) var*, erat, Sk. *f) kindur*, Sk. *g) ráðvandr*, in consiliis capiendis circumspectus, prudens consiliorum æstimator, Hkr., quod ad *rœsir* referendum. *h) gauta*, Sk. *i) sverð bautin*, Hkr., per unum *n*, quod (nisi nimia hæc diligentia æstimabitur) neutr. plur. est, illud alterum *bautinn*, m. g.; ita, si *bautin*, pro læso, fracto, accipies, emerget ordo et sensus: *ráðvandr rógeisu rœsir vann bautin sverð á Skotlandi*, (*ok*) *sendi seggia kindar her-gauti* (s. *gauti seggja kindar her*), i. e. fractos fecit, diffregit gladios (poët. pro: strenue pugnavit) et virorum gentes misit ad deum exercituum (Othinum), v. virorum gentis multitudinem ad Othinum.

α) i. e. bellator maritimus: ita vocat poëta Haraldum Eriki filium, in quo heroica virtus jam tenera ætate eluceret. *Ferjubakki*, ripa, qua trajicitur amnis; hinc *ferjubakka blakkr*, pr. est: ponto amni trajiciendo, h. l. pro navi in genere; quod si cui pro nave bellica sumi, parum probetur, reputet, piratas veteres etiam exiguis lembis, cum ita res ferret, prædatum litora circumire solitos fuisse. *Rjóðandi*, quod per devastatorem dedi, deduxi a *rjóða* pro *hrjóða;* verum potest quoque significare eum, qui rubefacit navem bellicam (sc. cæsorum sanguine) i. e. qui navale prælium committit, eadem ratione ac "terrestrem pugnam facere" poëtice effertur per „*rjóða völl, sverð, skjöld*", i. e. tingere campum, &c. Ed. Havn. jungit: *bakka blakkr*, equus piratæ, navis; nusquam vero vidi *το bakki*, piratam esse, nisi quod in Cod. Snorraëddæ mscr., quem habeo, *bakki* est var. lect. pro *haki*, quod piratæ nomen est satis notum. *β*) Codex Fagurskinna, postquam de cæde Sigurdi Slefæ egit, expeditiones bellicas Haraldi Grafeldi hoc ordine enumerat: *Haraldr Gráfeldr var úti jafnan á skipum með her sinn til ýmissra landa, ok átti margar orrostur, hafði optast betr; hann kom liði sínu til Danmerkr ok barðist þar við Skúni, ok hafði sigr;*

Virorum amicus pugnæ flammas dispulit,
quo gratum faceret Cæsilegæ miluis;
populi permulta gens Hibernici
in fugam versa est;
clypei dominus acies gladii
tinxit cruore virorum,
et leto stravit milites;
sic parta fuit victoria[1].

annat sinn herjaði hann á Skotland ok Hjaltland, ok hafði sigr hvârttveggja sinn; þriðja sumar fór hann með her sinn austr á Gotland, ok gerði þar mikinn úfrið; fjórða sumar fór hann með her sinn norðr til Bjarmalands, ok átti þar mikla orrostu á Vínubakka, &c. De hac Haraldi Grafeldi in Skaniam (et Gotlandiam) expeditione nescio an alibi mentio fiat. Incertum adeo est, quorsum vocabulum „*þatan*" referendum sit. γ) junxi *rœsir rógeisu*, quod per *rœsir* intelligam eum, qui in cursum incitat, a *rás*, cursus; unde *rœsa*, aquam ducere, *rœsir*, aquæductus, canalis; *rógeisa*, favilla pugnæ, jaculatio telorum; sic *rœsir rógeisu*, tela spargens, bellator. Potest tamen non minus apte ordo ita constitui: *rœsir vann rógeisu á Skotlandi*, rex fecit favillam pugnæ, i. e. tela spargebat. δ) *kindar*, in accusandi casu accepi, quod grammaticæ repugnare non puto; quod si jungere malis *vann rógeisu* (vide γ.) *kindar*, gen. sing. referendus est ad *her*, ut in Ed. Havn. factum est. ε) *sverðbautinn*, ense percussus, id. q. vulgo *sverðbitinn*, *vápnbitinn*; *bautinn*, cæsus, partic. sine verbo; convenit angl. *beat*, isl. *bíta*, cædere. Huic sequentia forte debent originem: *bautasteinar*, q. s. lapides cæsorum, *hylbauti*, navis, q. s. tundens gurgitem (mare), *bautuðr*, eqvus, *farbauti*, n. pr. q. s. tundens viam, viator.

[1]) Ordo: *gumna vinr rak dólgeisu α) at a) gamni dísar gjóðum β); mörg drótt írskrar þjóðar kom á flótta; sverð- b) foldar γ) freyr rauð mækis eggjar c) í manna dreyra, ok feldi seggi*; *sigr var of vorðinn.*

a) Sic F, Hkr., Sk; *af*, A. *b*) *sunnr*, in australi regione, Hkr. respectu ad Orcadas, vel ad ipsum poëtam, in Norvegia v. Islandia degentem. *c*) *eggja*, Sk; *eggju*, F; quæ lectio alium ordinem permittit: *foldar-freyr* (rex) *rauð sverð í manna dreyra ok feldi seggi* (með) *mækis eggju*; sive statuas *to eggju* esse dat. sing. nom. *eggja*, id. q. *egg*, uti in phrasi: *með oddi ok*

De Hakone.

Cap. 17. Rex Hakon Adalsteinis alumnus, postquam Eirikus frater ejus e regno profugerat, totam Norvegiam sibi subjecit, et prima hieme sedem in Thrandheimo habuit. Quoniam autem pax minus tuta fore videbatur, si rex Eirikus per mare occidentale cum copiis adveniret, ideo rex Hakon cum exercitu suo medias regni provincias plurimum insedit, Fjördorum provinciam, Sognum, Hördiam aut Rogalandum; Sigurdum vero dynastam Hladensem toti Thrandorum communi præfecit, prout antea ipse et Hakon, pater ejus, ab rege Haraldo Pulcricomo præfecti fuerant. Ut vero rex Hakon casum Eiriki fratris sui fama acceperat, filiosque ejus in Anglia nullius opibus sublevari, jam sibi ab his parum metuendum ratus, æstate quadam orientem versus in Vikiam cum exercitu contendit. Eo tempore Dani Vikiam infestis armis vexabant, ac multa damna ei regioni sæpe inferebant; sed fama docti, adesse cum magno exercitu regem Hakonem, fuga se subduxerunt; alii meridiem versus in Hallandum, qui vero regi Hakoni erant propiores, altum petiere, indeque in Jotiam

eggju, sive dat. pl., eliso *m*, ut sæpe in verbis usu venit, et nonnunquam in nominibus, v. c. *vaxa í augu*, pro *augum*; *glæddi or forsinu*, pro *forsinum*, in Gullþorissaga; nisi forte tales anomaliæ debeantur vitio librariorum.

α) *dólgeisa*; id. q. *rógeisa* ante; *reka dólgeisu*, vel tela ingerere (hostibus), vel populando & belligerando regiones hostium peragrare, quemadmodum dicitur: *reka hernað*, c. 59, str. 1. β) *dísar gjóðr*, corvus; *dís*, accipio pro bellona, præsertim ea fidens auctoritate, quod in Niala Thorstein Siduhalli f. a Disis interfectus dicatur (*þann er sagt at dísir vægi*); quæ res in narratiuncula de eodem Thorsteine, si recte memini, tribuitur bellonis; alias raro *dís*, hoc significatu, apud poëtas occurrit, quantum memini. γ) *sverðfold*, terra ensis, clypeus, sec. Edd. p. 166. §. 50; ejus *freyr*, pugnator.

pertendere. Quod animadvertens rex Hakon, fugientes toto cum exercitu insecutus, quam primum Jotiam attigerat, terram depopulatus est. Hoc sentientes incolæ, copias cogunt, patriam defensuri, et contra regem Hakonem in aciem prodeunt; fit ibi acre prælium; rex Hakon adeo fortiter rem gessit, ut ante signa progressus pugnaret, neque galea, neque lorica tectus. Rex Hakon victoria potitus, fugientes in interiora regionis repulit; sic dicit Guthormus Sindrius in encomio Hakonis:

Rex cæruleam ratis viam
trivit remis sale aspersis;
inclytus princeps stravit viros
in ferrea Bellonæ procella;
dein pro lubitu pepulit fugientes;
sangvinolenti cycni saturator,
qua fissurarum aspergines
ursi tegunt habitacula[1].

[1]) Ordo: *konúngr trað bekkjar bláröst a) bifroknum árum β); mætr mildíngr a) hlóð γ) ýtum b) í drífu mistar ð) nífr c); síðan rak ε) hrafnvíns d) svangæðir e) flótta at f) mun sinum, þar ζ) gilja g) – hrot h) hylja η) jálfaðar i) sjót k).*

a) mildíng, in nom. Sk, quæ forma est sequioris ætatis. *b) Jótum*, Cimbris, F, Hkr. IV, 6. *c) víf*s, F; si *mist* pro pugna capitur, *mistar víf*, erit: bellona. *d) hrafnvín*, Sk. *e) svanbræðir*, qui prædam dat (corvo), Sk; *bræðr*, F. corr. *f) af*, Sk. perp. *g)* hanc vocem, quæ in Codd. voculæ *þar* arcte præfigitur (*gyljaþar*, A; *giljaðar*, Sk; *geljaðar*, F.), separavi sec. Havn. quæ legit: *gilia þar*. Vox *gyljaþar, giljaðar, geljaðar* mihi ignota est; formam vero habet genitivi substantivi verbalis *gyliaþr, giljaðr, geljaðr*, quæ forsitan variæ modo sunt formæ ejusdem vocis, et ad verbum *gala*, quo ad originem, pertinent; *gala* et conere et incantare significat, unde *hègilja*, sermo vanus, næniæ, nugæ; *afgelja*, in Edda Snorr., q. s. *ofgelja*, immodicus sermo, loquacitas; *gæla*, blandimenta; *gilja* (*konu*), verb. sollicitare, tentare (forte propr. fascinare); *gyli-gjafir*, dona lactantia, in gloss. Njalæ. Secundum hæc *gyljaðr*, &c., notare posset eum, qui mulcet, delectat; sed hæc

Cap. 18. Postea rex Hakon classem ab austro versus Sælundum tenuit, piratas investigans.

an huic loco inservire possint, excutere non vacat. *h*) *hrott-giljaðar*, una voce, Sk. *i*) *álmveðrs*, procellæ arcus, pugnæ, F. *k*) Codd. legunt: alii *sótt*, alii *sejótt*; hinc proprio arbitrio feci *sjót*, quod non multum ab ipsorum Codd. scriptura abhorret. Quod me ad hanc mutationem impulit erat, quod locum conciliare conabar cum verbis historiæ, quibus hæc stropha in subsidium vocatur, sc. *ok rak flóttann lángt á land upp*. Si scribere voles *sjótt* pro *sjót*, non adversabor, nam sic *hvatta* pro *hvata*, metri causa est in Eigla.

a) Sensus hujus strophæ est: rex, navigatione perfunctus, pugnam commisit, multisque hostium cæsis, reliquos terga vertere et usque ad deserta refugere coëgit. *Bekkr*, pr. scamnum, tabulatum, it. navis; *hrannir strýkkva hlaðinn bekk*, Háttal. 76, undæ verberant onustam navem; vel *bekkr*, rivus, et *bláröst bekkjar*, cærulea rivi via, aqua, mare. *β*) *bifrokinn*, aqua conspersus; *bif*, n. quicquid mobile, tremulum, ut aqua et aër; *rjúka*, fumare, it aspergine emittere, h. *rokinn*, aspergine madens. *γ*) *hlaða*, cumulare, i. e. acervos cæsorum congerere, multam stragem edere, it. simpl. interficere; in prosa occurrit, C. 3. sub fin. *δ*) *Mist*, bellona; *níſr*, id. q. *hnífr*, culter; *mistarníſr*, ensis, ejus *drífa*, nimbus ensium, jaculatio, pugna. *ε*) *hrafnvín*, vinum (potus) corvi, sangvis; occurrit quoque Eyrb. C. 19, str. 11, ubi var. l. est *hrævín*, id.; porro *hrafnvíns svanr*, olor sangvinis, corvus v. aquila; hujus *gæðir*, bellator; *gæðir*, subst. verb. qui alit, saturat, a *gæða*, bonum facere, it. augere. *ζ*) *hrot*, n. aspergo, a *hrjóta*, decidere cum strepitu; *gilja hrot*, aspergines fissurarum montanarum, amnes. *η*) *jálfaðr* & *jólfuðr*, ursus, sec. Edd. proprie est id. q. *jálmuðr*, strepens, rugiens; *sjót*, quod conjectum est, sedem denotat; sedes ursi, montana, deserta. Hoc hemistichium, cujus posterior pars unum est in difficillimis, ita resolvit Ed. Havn. *jálfaðar svangæðir rak síðan skjótt flótta at mun sínum; þar hrafnvíns gilja hrot hylja* (v. *þar hr. hylja krot gilja*); sc. ubi *hrafnvíns gil*, fissura sangvinis, est vulnus, ejus *hrot*, sangvis; tum *hylja*, vortices agere, ab *hylr*, gurges; vel *hrafnvíns hylr*, gurges sangvinis, et *gilja*, sonare. In mea versione offendit: 1) mutatio τῆς *sótt* v. *skjótt* in *sjót* v. *sjótt*; 2) verbum *hylja*, tegere, quod de amnibus accipis per deserta expatiun-

Duabus pristibus in Eyrarsundum provectus, undecem ibi offendit naves piraticas, quas prælio aggressus est, eo eventu, ut superior discederet, omnibus piratarum navibus milite nudatis. Sic dicit Guthormus Sindrius:

Columen imbris missilium ignei
duobus solis ab austro lunularum
eqvis profectus est in viridem
phocarum noxæ lingulam,
ubi universas devastavit undecem
Danorum naves, ira valde percitus
funestæ virgæ jaculator,
ob id postea late clarus[1].

tibus. In versione ed. Havn. offendit tum insolentior vox *kylja*, tum præsens tempus in speciali notione adhibitum. Postquam hæc scripseram, alia mihi in mentem venit explicatio sententiæ: *hrot giljaðar (geljaðar) hylja hrafn vins*, ita tamen, ut pro *hrafn vins* legendum putem: *hrafn vin*, vel *hrafns vin*, hoc ordine: *hrot giljaðar (geljaðar) hylja hrafns vin*, i. e. aspergines gladii (sc. sangvis) tegunt amicum corvi (i. e. pugnatorem, nempe regem Hakonem). *Giljaðr* vel *geljaðr*, quamvis in Edda non occurrat, pro gladio accipi potest, duplici ratione: 1) qs. sonorus, et deinde meton., ensis, qui eadem de causa *gellir* et *gjallr* appellatur; 2) qs. perforator, incisor, quemadmodum *skerðir* et *skerðingr*; quo sensu convenit cum *gil*, & *gell*, fissura, incisio; unde et in Krókarefssaga *to gilja*, per homonymiam quandam exprimitur τῷ *fjallskerða*.

[1]) Ordo: *álmdrósar – eisu – èl – runnr a*) *fôr sunnan einum tveim β*) *tingls a*) *– mörum á grœna sel b*) *– meina γ*) *trjónu; þá c*) *er allreiðr d*) *vandar–val–sendir δ*) *rauð allar ellifu Dana skeiðar, viðfrœgr síðan at þat ε*).

a) *tingsl*, id. q. *tengsl*, retinacula, Sk; alias quidem *ls* & *sl* permutantur, ut *Gils* & *Gisl*. *b*) *segl*, Sk. *c*) *þar*, F. *d*) *alreiðir*, Sk, pr.

a) *álmdrós*, puella arcus, sagitta; hujus *eisa*, favilla sagittarum, nimbus jaculorum; ejus *èl*, pugna; hujus *runnr*, vir præliator, *β*) *tingl*, ornatus quilibet ad ostentationem compositus, unde in sermone vulgari *tingla*, femina vano cultui studiosa; h. l. *tingl*, est ornatus navium, e. g. asulæ frontales in prora

Postea per Sælundum arma late circumtulit Hakon, incolarum alios diripuit, alios interfecit, alios captivos abduxit, alios ingentem pecuniæ summam pendere coëgit, nullo resistente. Sic dicit Guthormus:

Tum postea pugnæ columen
Selandiam subjecit sibi
et Vendicorum militum latebras,
ad Skaneyæ latus[1].

Deinde rex Hakon, orientem versus litora Skaneyæ legens, ubique prædas egit, tributa et stipendia incolis imposuit, piratasque Danos et Vendos, ubicunque offenderet, interfecit; porro usque Gothiæ latus orientale depopulando pro-

præfixæ, alias *enniſspœnir*; unde *tíngla-marr*, eqvus. *γ*) *sel-mein*, duci potest a *selr*, phoca, & *mein*, noxa; puto his verbis inesse allusionem ad vocem *sel-und*, pr. vulnus phocæ, ut adeo h. l. *selmein*, sit id. q. *Selund*, Selandia; talem lusum verborum passim apud veteres annotavere viri docti; sic *selmeina trjóna*, est: lingula Selandiæ. Ed. Havn. q. s. *selju-mein*, noxa salicis, bernicla, quæ salicem creditur perforare; ita *selmeina trjóna*, lingula bernielarum, idem est ac *Helsingjaeyri*, quod contextui accurate convenit. *δ*) *vandar valsendir* pro *sendir val-vandar*, præliator; *valvöndr*, virga cæsorum v. militum (*valr* enim utrumque significat), ensis. *ε*) *at þat*, hi l. hanc ob rem; alias: postea.

[1]) Ordo: *Sókn-heggr α) náði þá α) síðan leggja und sik b) Sælund ok frelsi β) Vinda c) vals við Skáneyar síðo d)*. *α) náðir þú*, subjecisti, F, Sk; tum *sóknheggr*, vocativus est. *b) þik*, tibi, F, Sk. *c) virða*, virorum, Sk. *d)* sic. Hkr.; *síða*, A.

α) *sóknheggr*, vir pugnator, a *sókn*, aggressio, impetus, it. pugna, & *heggr*, arbutus, quod Edda mscr. inter arborum genera recenset., vide Gloss. Njalæ sub voce *hæggr*. *β*) *Vinda valr*, milites Venderum; *valr* et *haukr*, quod proprie accipitrem notat, aliquoties de militibus usurpatur, e. g. Hkr. in vísa Har. Severi, C. 94, str. 3, vita Magni Erlingi f., C. 3, str. 1, it. VI, c. 6, str. 1; *frelsi*, h. l. locus tutus, castella, quo se recipere solebant prædones Vendici.

cessit, magnaque tributa ab incolis exegit; sic dicit Guthormus:

Velum prætendens Othini
Gotlandos vectigales fecit,
auri dispersor munificentissimus
in hac expeditione pugnas commisit[1].

Proximo autumno rex Hakon cum classe in Vikiam revectus est, immensa præda onustus; hic[2] in Vikia commoratus est, incursionibus Danorum aut Gothorum occursurus. Eodem autumno ex piratica occidentali reversus est Tryggvius Olavi filius, qui antea Hiberniam et Skotiam depopulatus fuerat. Sequenti vere rex Hakon in boreales regni partes profectus est, Vikiæ præfecto fratre (ex fratre nepote) Tryggvio rege, qui vim hostium defenderet, et ex regionibus, quas æstate proxima rex Hakon ad tributa solvenda coëgerat, quantum posset, suæ ditionis faceret; sic dicit Guthormus Sindrius:

Et ideo tingens galearum
crystallos orientali
præfecit regioni [impigrum]
animorum confirmatorem,

[1]) Ordo: *Júlfaðar – skaut – skyldir α) vann Gauta skattgylda; gjöflastr β) gullskýflir a) vann b) geirveðr í þeirri c) för.*

α) gullskeflir, auri accumulator, Sk; *gullskylfir*, F. *b) fann*, nactus est copiam (bellandi), F; *réð*, decrevit, Sk. *c) þeiri*, id. Sk.

α) skaut, pes veli v. panni, it. velum; *júlfaðr*, q. s. strepens, grassans in pugna, Othinus; hinc *júlfaðar skaut*, clypeus; *skýldir*, vel qui se ipse clypeo tegit, vel aciem clypeis munit, i. e. præliator v. dux. *β) gullskýflir*, a verbo *skýfla*, quod forte cognatum est τῷ *skýfa*, excutere, dissecare, dirumpere, vide quoq. gloss. Njalæ sub voce *fèskýfla*; ejusdem nempe originis sunt: *búskýfli* et *fèskýfli*, quod magnas impensas rei oeconomicæ, pecuniariæ adfert; *ferðaskýfli*, *mannskýfli*, res, quæ crebra itinera, multos viros exigit.

[2]) hac hieme, F.

qui, Othiniani vibrator lacunaris
assiduus, nuper cum copiis
a fortibus advenerat Hibernis,
allapsus æquoris olorini schidiis[1].

Gunnhilda in Daniam proficiscitur.

Cap. 19. Eo tempore Daniæ præfuit rex Haraldus, Gormi filius; hic ægerrime tulit, quod rex Hakon ditionem et regnum ejus armis infestaverat, ferebaturque ore vulgi, hoc ulturum esse Danorum regem; quæ tamen res haud ita cito ad effectum pervenit. Cum vero fama

[1]) Ordo: *Ok α) sókn-hattar a) -svell b) -rjóðr setti því ekki [seinan] c) β) geðbæti d), at, γ) Onars e) fljóði austr f); þann er áðr of g) kom frá hraustum h) Irum (með) liði (á) δ) svanfángs i) skíðum, iðvandr k) ε) sveigðis l) salbrigðandi.*

a) hattr, Sk, prave. *b) svol*, F, Sk. *c)* in textu est *ekki seima*, quod cum metro repugnet, neque facile cum ceteris strophæ verbis conciliari queat, mutavi in *seinan*, uncisque inclusi; F habet *ekki grœnum*; Sk, *ekki grœnan*; Hkr. *eiki-grœnu*, arboris instar viridi, quod sine dubio verissima lectio est. *d) geðbætis*, F. *e)* sic F, Hkr., Sk; *Einars*, A. *f) austrs*, F. *g)* om. Sk; *er*, F. *h) hraustan*, fortem, F, Hkr., Sk, quod ad *geðbæti* referendum. *i) svanvángs*, Hkr. id. usitatius. *k) iðvandar*, Sk. *l) svegðis*, Hkr.; *sveigðist*, Sk.

α) periphrasis bellatoris, ensem sangvine hostium tingentis; *sóknhattr*, pileus pugnæ, galea, ejus *svell*, glacies galeæ, gladius; *rjóðr*, qui rubefacit, subst. verb. a *rjóða*. *β) geðbætir*, qui animos reddit meliores, animos addit militibus inter pugnandum. *γ) Onar* v. *Anar*, maritus noctis, Telluris pater, sec. Edd. p. 11, 123; hinc: *Onars fljóð*, terra; itaque *fljóð*, h. l. filia. *δ) svanfángr*, eodem modo pro *svanvángr* dicitur, ac *vetfángr* pro *vetvángr*; campus oloris est mare, hujus *skíð*, navis. *ε) Sveigðir*, non dubito, quin idem sit cum *svegðir*, quam lectionem præfert Hkr., et *Svigðir*, Hkr. I, C. 14, nomen Othini, quod nec Edda habet, nec alibi me legere memini; *sveigðis salr*, camera Othini, clypeus eodem modo dicitur quo alias *roðaræfr*, tectum piratæ; *brigðandi*, qui movet, vibrat, a *brigða* id. q. *bregða*, qui clypeum vibrat, concutit, præliator.

in Orkneyas ad Gunnhildam et filios esset perlata, motum esse bellum inter Daniam et Norvegiam, profectionem ab occidente instituunt, Ragnhilda, filia Eiriki et Gunnhildæ, Arnfinno, filio dynastæ Thorfinni Cranisecæ, nuptui collocata; quo facto dynasta Thorfinnus, discedentibus Eiriki filiis, Orkneyas gubernandas iterum suscepit. Ceteros quidem Eiriki filios ætate Gamlius antecessit, nondum tamen ad maturam ætatem pervenerat. Postquam vero Gunnhilda cum filiis in Daniam pervenerant, Haraldum regem statim adierunt, prolixe ab eo excepti; quibus rex tanta salaria in regno suo concessit, ut se suosque bene sustentare possent. Filium vero Eiriki, Haraldum, rex, genubus suis impositum, nutriendum suscepit, qui deinde in aula Danorum regis educatus est. Eiriki filii, simulatque per ætatem licuit, susceptis expeditionibus piraticis, mare orientale infestum reddiderunt, et hac ratione divitias sibi paraverunt; hi omnes pulcritudine erant conspicui, et prius viribus corporisque exercitiis, quam annis, maturuerunt; id quod memorat Glumus Geirii filius in encomio Grafeldi:

Princeps, qvi multos muneribus donavit
poëtas, in regionibus orientalibus
scutorum subiit ictus, et victoriam
in certamine obtinuit;
vibrari fecit vaginarum linguas
acres, obductas auro; martiique
ludi catervas divinas
Rex humi profligavit[1].

[1]) Ordo: *Allvaldr, sá er gaf mörgum skáldum* α) *fórsk* α) *undir* b) β) *gunnhörga* c) *slóg* d) (*i*) *Austrlöndum; hann fèkk gagn at gunni. Gramr lèt snarpar* e) γ) *gullvarpaðar* f) δ) *sliðrtúngur* g) ε) *slýngja* h), *sendi sverðleiks* ζ) *regin-ferðar* i) *at grundo.*

α) *fórst*, id. F; *fór* Sk; *fèzk*, Hkr. ed. Havn.; *fèlz*, ed. Holm.

Eiriki filii, cum in mari orientali prædas agere intermiserunt, deversis in Vikiam copiis, ibi populationem faciebant. Rex vero Tryggvius cum exercitu, quem expeditum habuit, obviam illis progressus est; variis concurrerunt prœliis, varia fortuna; interdum Eiriki filii Vikiam depopulati sunt, interdum rex Tryggvius Hallandum et Sjolandum.

comparavit sibi, sc. ei obtigit. *b*) *undan*, Sk. *c*) *gunnhörða*, F, Sk. *d*) *lög*, leges v. punctiones, Hkr. *e*) *snarpan*, acriter, Sk. *f*) *gullvarpaðr*, projector auri, sc. rex, Hkr.; *gullvarpaði*, Sk. *g*) *síðþúngr*, F. *h*) *sýngja*, canere, *F*, *Hkr*. *i*) *ferðir*, Hkr. *a*) *fórsk*, a *fara*, ire, it. active, facere ut aliquis eat; *fórsk undir*, subjecit se, objecit se (pugnæ); in Edda Snorr. p. 102, str. 1. genuinus hujus verbi usus reflexivus cernitur: *fórsk hamri í hœgri hönd*, inseruit malleum dextræ suæ. *β*) *gunnhörgr*, fanum bellonæ, q. s. ædes bellonæ sacras, clypeus, quo se miles in prælio tegit; *gunhörga slög*, ictus clypeis inlati, pugna. Voci sequenti præpositio *í* subest, ut Atlam. str. 10, 18; Vafþr. 43. *γ*) *gullvarpaðr*, potest accipi pro partic. pass., auro circumdatus; persuasum tamen habeo, veriorem esse lect. Hkr. *gullvarpaðr* in. nom. ut subst. verbale et subjectum verbi: *sendi*. *δ*) *Sliðr-túnga*, lingua vaginæ, i. e. lamina gladii, usitatus tropus, v. c. *hjalta-túngur*, linguæ bullarum, hist. Hak. Grandævi, C. 232, str. 3; *vættrima-túngur*, hist. Mag. Nudip. C. 10, str. 2. *ε*) *slýngja*, mittere, projicere. h. l. neutraliter accipiendum, vibrari, moveri; sed var. l. *sýngja*, frequenter occurrit de clangore ensium et telorum. v. c. Völsunga. C. 20; Hkr. VI, C. 123. str. 1. inprimis elegans fit tropus, ubi subjectum metallum per linguas circumscribitur, ut h. l. et in hist. Hák. Grand. l. c. *gylltar súngu hjalta túngar*, aureæ bullorum linguæ canebant; Hkr. VII, c. 48, str. 6, *bjartar svaltúngur reknínga súngu*; Njálss., C. 146, 1. *hátúngur hjalta súngu*. *ζ*) *sverðleikr*, ludus ensium (sc. qui ensibus instituitur), pugna; *ferð*, apud poëtas de agmine; *regin-ferð*, agmen divinum, i. e. ingens, ut *reginhaf*, altum pelagi, hodieque in usu; sic *sverðleiks reginferðar*, numerosæ militum copiæ. Notandum tamen est, *το ferðar* seorsim capi posse, et *sverðleiks reginn* (per duo *n*) verti, nanus (v. deus) pugnæ, bellator, sc. rex.

Natus Hakon dynasta.

Cap. 20. Regnante in Norvegia Hakone, rustici et mercatores bona pace fruebantur, ita ut nemo alteri, bonisve alterius, noceret; bona etiam, mari terraque, proventuum erat ubertas. Rex Hakon fuit omnium hominum hilarissimus, disertissimus et modestissimus; idem insigni prudentia, et legibus componendis magnam curam adhibuit; posuit leges Gulenses consilio usus Thorleifi Sapientis; posuit et leges Frostenses, consilio Sigurdi dynastæ et aliorum Thrandorum, qui sapientissimi erant; leges vero Heidsævenses primus posuerat Halfdan Niger. Rex Hakon in Thrandheimo interfuit jolensi convivio, quod ei Hladis apparaverat Sigurdus dynasta. Prima nocte jolensi uxor dynastæ, Bergljota, puerum peperit; quem puerum rex Hakon sequenti die aqua lustravit, eique suum nomen indidit. Hic puer, ut adolevit, vir potens et magnæ auctoritatis extitit, et, mortuo patre, imperium et dynastæ dignitatem accepit. Sigurdus dynasta regi Hakoni amicorum carissimus fuit.

De institutis regis Hakonis.

Cap. 21. Rex Hakon, cum in Norvegiam pervenit, christjana religione bene imbutus fuerat. Cum vero tota regio ethnicæ religioni esset addicta, et sacrificiis admodum intenta, magnaque ibi esset potentium virorum multitudo, intelligens, se quam maxime civium auxilio plebisque favore indigere, consultissimum judicavit, ritus christjanos clam exercere; itaque dies dominicas festas habuit, feriæ quintæ jejunia servavit, et dierum maxime festorum memoriam coluit. Legibus sanciri fecit, ut festum jolense ethnici auspicarentur eodem, quo christjani, tempore; tum singuli cerevisiæ sex

congios cum besse haberent, alioquin pecunia multarentur; festi agerentur dies, dum festum jolense duraret[1]; olim vero a nocte, Hökunott[2] (nocte falconum, lanienæ, v. nocte interseciva) dicta, id est a nocte mediæ hiemis, festum jolense auspicabantur, quod per triduum mansit. Statuerat autem apud animum, ubi se in imperio corroborasset, totumque regnum suo arbitrio subjecisset, christjanam religionem publice imperare; itaque hanc rationem iniit, ut primo intimæ familiaritatis amicos ad christjanam religionem pelliceret; et gratia et adhortationibus ejus factum est, ut multi se baptizari sinerent, nonnulli sacrificiis abstinerent. Rex Hakon diu in Thrandheimo commorabatur, quod ibidem præcipuum erat regni robur. Qui cum se opibus quorundam optimatum suffultum viderat ad christjanam religionem tutandam, missis in Angliam legatis, episcopum aliosque doctores arcessivit; qui cum in Norvegiam venissent, palam fecit rex, se per totum regnum religionem christjanam jubere constituisse; Mærenses et Raumsdalenses hanc rem ad Thrandos rejiciebant. Tum rex aliquot templa sacrari jussit, et sacerdotes illis constituit. Postquam vero in Thrandheimum venit, civibus ad comitia convocatis, rogavit, ut christjanam religionem admitterent. Illi sic respondent: velle se hanc rem ad comitia Frostensia rejicere, quo universi ex omnibus provinciis, quæ in Thrandorum communi essent, convenirent; tum de gravi hocce negotio responsa redditurós.

Colloquium regis Hakonis et rusticorum.

Cap. 22. Rex Hakon cum ad comitia Frosten-

[1]) dum cerevisia sufficeret. F. [2]) vide doctissimi Finni Magnæi: *Eddalæren og dens Oprindelse*, Tomi 2, pag. 259, 285.

sia venit, magna illuc confluxerat colonorum multitudo. Comitiis constitutis, rex Hakon verba fecit, sic orsus: hoc jubeo, et oro vos omnes rusticos et colonos, tam majores, quam minores, et universum populum, juvenes ac senes, divites ac pauperes, mulieres æque atque viros, ut omnes homines religionem christjanam amplectantur, unumque deum credant Christum Mariæ filium, omnia sacrificia et ethnicos deos abjiciant, septimum quemque diem festum agant, ab omni genere laborum cessantes, et septimo quoque die jejunent. Quæ cum populo rex aperuisset, ingens extitit colonorum murmuratio, quod rex eos a laboribus avocare vellet, dicentes, non posse hac ratione terram coli; operarii vero et servi murmurabant, dicentes, si cibo fraudarentur, non posse se opus facere, addentesque, hoc a natura vitium insitum esse regi Hakoni[1], et Haraldo, patri ejus, eorumque cognatis et majoribus, quod cibi essent parcissimi, quamvis in auro distribuendo largi.

Colloquium regis et Sigurdi dynastæ.

Cap. 23. Asbjörn nomen erat viro potenti, Medalhusis in Gaulardalo habitanti. Surrexit Asbjörn, et ad orationem regis hoc modo respondit: ea fuit, o rex Hakon! nostrum colonorum opinio, quando prima vice hic in Thrandheimo comitia habuisti, cum nos te regem creaveramus, herediisque nostris abs te donati fueramus, nos tum cœlum manibus comprehendisse (digitis attigisse); nunc vero nescimus, utrum libertatem acceperimus, an velis nos novo servitutis genere implicare, idque mira quadam ratione, qui postules, ut religionem abjiciamus, quam ante nos patres et majores nostri,

[1]) Halfdani, F.

quorum complures nobis fuerunt longe præstantiores, primo per ætatem rogorum, et nunc demum tumulorum ætate observarunt, quæ religio salutaris nobis extitit. Nos te intimo amoris affectu complexi sumus, adeo, ut legum omnium condendarum, jurisque dicendi, te nobiscum fecerimus participem et arbitrum; proinde nostrum colonorum communis voluntas et consensus est, iis uti et teneri legibus, quas tu heic in comitiis Frostensibus posuisti, quasque nos servare tum promisimus: te ducem sequi: tuam regiam tueri dignitatem, dum aliquis ex nobis colonis, qui nunc heic in comitiis adsumus, in vita fuerit, dummodo tu, o rex! modum aliquem tenere velis, nosque id solum rogare, quod tibi concedere nobis licuerit, et præstare possimus. Sin vero hanc rem tanta cum vehementia aggredi cogitas, ut nobiscum vi et opibus contendere velis, scito, nos id consilium iniisse, deserere te, et alium nobis eligere principem, quo auspice religione qua cupimus libere frui nobis liceat. Harum conditionum utramvis, rex! eligito, antequam finiuntur comitia. Hanc orationem magna acclamatione coloni exceperunt, dicentes, placere sibi, rem ita stare, uti locutus fuerat Asbjörn; magno insecuto tumultuantium clamore. Facto vero silentio, Sigurdus dynasta infit: placet regi Hakoni, omnia colonorum postulata approbare, neque unquam ab se vestram alienare amicitiam. Respondent coloni, se cupere, ut rex, exemplo patris sui, sacrificia pro annonæ pacisque felicitate offerat. Sedato deinde tumultu, finita sunt comitia. Tum Sigurdus dynasta regem affatus, rogavit, ne voluntati colonorum obsequi prorsus recusaret: hoc enim, inquit, necessario faciendum est, rem magno

studio, ut ipse, rex! audivisti, urgentibus tam optimatibus quam universo populo; utilia ad hanc rem, addit dynasta, excogitabimus consilia. Hæc res inter regem et Sigurdum dynastam convenit. Sequenti autumno sub hiemem ingentes epulæ sacrificales Hladis instruebantur, ad quas ipse rex accessit; hic, si quando præsens adesset, ubi sacrificia peragebantur, semper consueverat, in parvo conclavi cum paucis suorum cibum capere. Fremebant rustici, quod in maxima populi celebritate et festivitate rex in celsa sede non sederet; quare dynasta monuit, ne hoc tum faceret; unde factum est, ut rex in regia sede consideret. Primo poculo impleto[1], Sigurdus dynasta præfatus, Odini id consecravit; deinde regi propinavit, qui acceptum cornu, signo crucis sacravit. Tum vir quidam, nomine Kar de Grytingo: qui nunc sic rex facit? num deos etiamnunc colere recusat? Respondit Sigurdus dynasta: facit rex, ut ceteri omnes, qui viribus et fortitudini confisi, pocula sua Thori consecrant[2]: signum mallei, antequam biberet, super poculo fecit; quibus dictis omnia eo vespere quieta. Postridie, cum accubitum iretur, ruunt ad regem rustici, postulantes, ut carnem[3] edat; quod rex nullo modo facere voluit; tum rogant, ut ex jusculo bibat; abnuit ille; petunt porro, ut [natantem in summo adipem[4] gustet; sed neque hoc voluit rex; quare prope fuit, ut eum aggrederentur. Accessit Sigurdus dynasta, eos compositurus, petens, ut rustici a tumultu absisterent; tum regem orat, ut inhiet ansæ lebetis, quæ vapore carnis equinæ tacta, [pinguedine maduerat[5]. Rex accedens, ansam linteo involvit, et inhiavit; quo facto, sedem suam

[1]) prima cerevisia prolata, F. [2]) potum sibi consecrant. F. [3] equinam, F. [4]) sanguinem, F. [5]) incaluerat, F.

repetiit, utrisque indignantibus. Proxima hieme convivium jolense regi Mæriæ, in Thrandheimo interiore, apparatum est. Festo autem jolensi appropinquante, statuto loco convenere octo principes, præcipui per totum Thrandheimum sacrificiorum antistites; quorum quatuor erant ex Thrandheimo exteriore: Kar de Grytingo, Asbjörn de Medalhusis[1], Thorbergus de Varneso[2], Ormus de Ljoxa[3]; ex Thrandheimo vero interiore: Botholfus[4], de Ölvishögo, Narfius de Stafo[5] in Veradalo, Thrandus Mento de Eggja, Thorer Barba de Husabæo[6] in insula interiore[7]. Hi octo viri in id conspirarunt, ut quatuor ex Thrandis exterioribus christjanam religionem exstirparent, ceteri quatuor ex Thrandheimo interiore regem ad sacrificandum cogerent. Tum Thrandi exteriores, quatuor vecti navibus, austrum versus in Mæriam profecti, tres ibi sacerdotes interfecerunt, tria templa incendio deleverunt, et iis gestis reverterunt. Ubi vero rex Hakon et Sigurdus dynasta, aulicis suis comitati, per interiora vecti, Mæriam pervenerunt, magna illuc confluxerat rusticorum multitudo. Primo convivii die, regem aggressi, jubent eum sacrificare, si recusaret, ultima quæque minantes. Sigurdus dynasta pacis inter eos arbiter, eo rem deduxit, ut rex aliquot frusta jecinoris equini comederet, omniaque pocula, quæ ei propinabant rustici, absque crucis signo, biberet. Finito convivio, rex et dynasta mox Hladas profecti sunt. Rex animo erat perquam indignabundo, statimque ex Thrandheimo cum toto suo comitatu abitum parabat, minatus, se alia vice frequentiorem eo adfuturum, tumque hanc a Thrandis illatam

[1]) Midhusis, F. [2]) Vasneso, C; Vargneso, F. [3]) Loxa, C; Löxa, F. [4]) Botolfus, C. [5]) Stado, F. [6]) Hroarsbæo, *F.* [7]) abest in F.

sibi hostilem injuriam repensurum. Sigurdus dynasta regem oravit, ne hoc Thrandis crimini daret, addens, non bene cessuram rem, si ipsos cives odiis insectaretur, aut arma contra moveret, præsertim ubi maximum esset regni robur, ut in Thrandheimo erat. Rex vero ira adeo incensus erat, ut nullis verbis persuaderi posset; itaque sinu egressus, austrum versus in Mæriam pertendit, ubi hiemem et ver transegit; ineunte autem æstate copias contraxit, pervadente rumore, regem hunc exercitum adversus Thrandos ducturum.

Prœlium inter regem Hakonem et Gunnhildæ filios.

Cap. 24. Jàm naves suas conscenderat rex Hakon, numeroso speciosoque stipatus comitatu, cum allatus est ei nuntius ex regni partibus meridionalibus, Eiriki regis filios e Dania in Vikiam delatos, regem Tryggvium Olavi filium e navibus pulsum orientem versus usque ad Sotanesum insectatos, multis Vikiæ partibus depopulatis, magnoque incolarum numero in potestatem suam redacto. Quibus rebus cognitis rex Hakon, se copiis et auxilio indigere videns, nuntium misit Sigurdo dynastæ aliisque principibus viris, a quibus auxilium expectari poterat. Sigurdus dynasta ad regem Hakonem pervenit magnis cum copiis; aderant cum eo omnes Thrandi, qui proxima hieme vehementissime regi institerant, ut eum ad sacrificia offerenda cogerent[1]; qui omnes, hortante Sigurdo dynasta, in gratiam recepti sunt. Quo facto, rex Hakon austrum versus secundum litora cursum direxit; Stadum vero prætervectus, cognoscit, Eiriki filios in Agdas boreales[2] pervenisse. Mutuum igitur in occursum tendentes,

[1]) *pynda; neyða*, id. F. [2]) boream versus in Agdas, C.

ad Karmtam convenere; hic utrique, e navibus in terram egressi, in Ögvaldsneso conflixerunt, numeroso utrimque exercitu; qui conflictus perquam acer extitit. Rex Hakon fortiter in aciem progressus est, qua aderat cum sua cohorte rex Guthormus. Heic ambo reges ictus alternant; cadit rex Guthormus, prostrato vexillo suo, multis tum circa eum militibus cæsis; quo facto Eiriki filii, in fugam versi, ad naves se receperunt, et altum petierunt, multis suorum amissis. Cujus rei meminit Guthormus Sindrius in encomio Hakonis[1]:

Ciens pugnam prœlii lunulas
crepantes fecit super capita collidere
interfectorum coryphæorum
manualis tegminis strepitus;
Ibi moderator alti clypeorum sonitus
victor discessit, ense cæso numine
funestæ flammæ, qua patent
lata terrarum freta[2].

[1]) Grafeldi, F, prave.

[2]) Ordo: *a) Gildir a) valþögnar b) lèt c) β) vígnestr d) bresta saman uf e) höfðum (á) vegnum γ) handar f) – vafs g) – hlym h) – mildíngum i); þar gekk njörðr δ) nadds – mána há – raddar af vopn – unduðum k) ε) valbrands l) nirði m) víðra ζ) landa-sunda.*

a) gildar, B; *gildi*, F, Sk; in dat., eodem sensu, si admittitur var. l. *rèð*. *b) valþagnar*, id., C; *valþegnar*, F, Sk; *valþögnir*, in nom. Hkr., quod necesse est subst. verbale esse, vel: qui militibus imperat silentium, imperator exercitus, a *valr*, milites, et *þögn*, silentium, *þagga*, ad silentium redigere; vel potius Othinus, q. s. qui cæsos accipit (a *valr*, et *þiggja*), quod tum jungendum cum *handar naſs*; sic *hlymr*, abs. pro pugna accipiendum, cujus *gildir*, pugnator; atque hac ratione binæ existunt in eadem sententia unius subjecti periphrases, cujus quoque nonnulla exempla reperi. *c) réð*, B, C. *d) vígnest*, Hkr. *e) ok*, F, Sk. *f) herðar*, humeri, Sk. *g) varps*, F, Sk, q. s. involucri (sc. manus, i. e. clypei, v. humeri, i. e. loricæ); *naſs*, Hkr., quod rectius esse puto, vide in analysi *γ*. *h) hlýri*, B; *hlýðin*, C; *hýltr*, F, Sk, omnia corrupte, ut puto. *i) mildíngr*,

Rex Hakon naves suas petivit, et orientem versus fugientes Gunnhildæ filios insecutus est,

Sk. *k*) *undum lèt*, F, Sk; *undirbúinn*, B. *l*) *valbrandr*, B, C; *valbraut*, Sk, contra metr. *m*) *nirðri*, Sk; *niðri*, C, corr

α) *valþögn*, f. g., silentium exercitus, it. pugna, ut *herþögn*, in Edda Snorr. p. 214, nam, dum sonant arma, tacent milites; *gildir*, subst. verb., qui magnum facit, auget, (id. q. *stœrir*), a *gilda*, augere; *gildir valþögnar*, qui auget, exardescere facit pugnam, præliator; sic: *járn-sveims-hýr-gildandi.*, hist. Hak. Grand. Cap. 104; *auðgildandi*, in hac hist., Cap. 175 (Vol 2, pag. 77). *β*) *vígnestr*, f. pl. ut puto, a nom. *vígnest*, f. g., clypeus; formatur a *nest*, id. q. *nist*, f., lunula, torquis, vide Hist. Ol. Trygg. ed. Skalh., pars 2, C. 17: „*ok skynjar, at hún hefir menit á hálsi sèr, ok at nistin horfði niðr*;" *vígnesta böl*, noxa clypeorum, ensis, occurrit in Edda Sæm. Helg. Hat. 8; sec. lect. Hkr. *vígnest*, neutrius g. esse videtur, quemadmodum in Laxdæla, C. 89, de fibulis tunicæ: „*Haldór hafði yfir sèr samda skykkju, ok á nist löng, sem þá var tíðt*"; et mox eod. Cap. „*Þá sprettr Haldór svá hart, at nistin rifnoðo af skykkjonni*". *γ*) *vaf*, n. tegmen, a *vefja*, obvolvere; *handar vaf*, tegimen manus, potest esse clypeus; ejus *hlymr*, strepitus clypei, pugna; hujus *mildingr*, præfectus pugnæ, dux; magis tamen mihi arridet lectio Hkr. *handarnafs*, quam veriorem esse puto, præsertim cum ductus literarum *u* et *n* fere idem sit in membranis, atque adeo facile confundi a lectore queant; *nöf*, f. g., et *naf*, n. g., modiolus rotæ, dan. *et Nav*; hinc rota, et rota manus, clypeus, a forma. *δ*) i. e. moderator pugnæ, dux; *naddr*, mihi est clavus, quo clypeus firmitatis et ornatus gratia muniebatur, cfr. hist. Magni Erlingi f., C. 40. „*Nikulás hafði rauðan skjöld ok gylltir naglar í*"; ita *naddaborð*, tabula clavorum, scutum appellatur, Fostbr. S., C. 33, str. 1; eadem ratione *naddsmáni*, luna clavi (clavis distincta) est clypeus; ejus *hárödd*, pugna; hujus *njörðr*, bellator; voculam *há*, quam a *mána* disjunxi, deduxi ab adj. *hár*, altus; posses tamen eam cum voce *mána* jungere, et ab *hár*, m. scalmus, deducere; ita *há-máni*, luna scalmi, item est clypeus, quod naves secundum latera clypeis munirentur; porro *naddr hámána*, clavus clypei, ensis; ejus *rödd*, pugna, &c. *ε*) *valbrandr*, flamma militum (a *valr*, miles), vel cadaveris (a *valr*, homines cæsi), ut *hræleiptr*, ensis; ejus *njörðr*, præliator; intelligitur autem rex Guthormus. *ζ*) his verbis locum immi puto, ubi commissa sit pugna, sc. ad fretum Körmtense; *landa-sund*, fretum

utrisque, qua maxima poterant, celeritate contendentibus, donec ad Agdas orientales ventum est. Hinc Eiriki filii, versis in altum velis, austrum versus Jotiam pertenderunt. Sic dicit Guthormus Sindrius:

Arcipotentis sæpius fratres
experti sunt potentiam
vulnificæ flammæ moderatoris;
animo recurrit id meo.
Mox maritimi concitator prœlii
contendit in altum navibus,
et egit in fugam universos
fratris Eiriki filios[1].

terrarum, nempe inter insulam Körnt et continentem; genitivos hos accipio, quemadmodum viri docti sæpius annotarunt, pro præpositione cum casu, ut *viðs vegar*, cfr. Rigsmál, str. 2, 3, 17; Hamarsh. str. 3, 11.

[1]) Ordo: *Barma α) öld β) álmdraugar a) ægis varð optsinn vita γ) ríkis firir bensíks δ) baldri; en b) ek minnumst þess. ε) Flæðu c) – bríkar – böðvækir hèldt skeiðum á haf, ok rak undan allar kindir Eiríks ζ) bræðurd) síns.* Hæc stropha abest in Sk.

a) *alindraugar*, B, C, corr.; *álmdrógar*, Hkr., id. *b*) *en*, om. Hkr., quod et mihi suavius videtur. *c*) *flæðar*, Hkr., eodem sensu. *d*) *bróður*, B, id.

α) *öld*, periphrastice adhibetur; *barma öld*, id. q. *barmar*, fratres. *β*) *álmdrög*, forma tantum diversum esse videtur ab *álmdróg*; *álmdrög*, sagitta, ab *álmr*, arcus, et *dróg*, *drög*, *draug*, f. g., id quod trahitur, onus, a *draga* (unde *draga*, f. g. in pl. *drögur*, onus tractorium); sic variant *tög* et *taug*, funis, unde *álmtögar ægir*, sagittarius, in Thorsdrapa, str. 15; potest vero et *álmdraug*, &c. verti: tensio arcus, nam dicitur *draga boga*, tendere arcum; *ægir álmdraugar*, deus sagittæ (v. tensi arcus), jaculator, prœliator. *γ*) *vita*, adj. indecl. cum gen., qui novit, experitur, patitur quid; sic verbum *vita*, interdum c. genit. occurrit e. g. C. 28, str. 4; it. Hkr. VII, C. 192, 3; Hak. Grand. hist., C. 285, str. 1. *δ*) *bensíkr*, ensis; ejus *baldr*, deus ensis, prœliator; *bensíkr*, ignis vulneris, ut *beneldr*; vox *síkr* significat 1) piscis, a *sík*, rivus, quod in rivis se contineat; notandum est in Edda Snorr. ed. Hohn., p. 218, in textum receptam esse lect. *sitr*, sed

Deinde rex Hakon boream versus in Norvegiam rediit. Eiriki autem filii longo postea tempore in Dania commorati sunt.

Prœlium cum Gamlio.

Cap. 25. Cum rex Hakon viginti annos Norvegiæ rex fuerat, constitutus in villa sua, Birkistranda, sita in Sunmæriæ[1] insula, Freida[2] dicta, non plus secum copiarum habens, quam aulicos, et quos rusticorum ad convivium invitaverat, per speculatores certior factus est, Gunnhildæ filios, cum exercitu bene magno, boream versus citra Stadum advectos esse. Rex Hakon, subitario milite contracto, statim obviam eis tetendit; ipse novem naves habuit, Eiriki autem filii plus viginti. Convenerunt in freto Fje-eyæ[3] juxta (rupem) Freidarber-

var. l. *sícr* (v. *síkr*) sine dubio verior est, nam in lexidio Hallageri Norvagico effertur „*Sik*" *en Helt* (*Ferskvandsfisk*) salmo lavarit.; et in lexico Svecico „*Sik*" lavaretus salmo, *Småsik*, albula, id. q. *Siklaja*, unde apparet *síkr* a *sík* esse derivandum; 2) ignis; hæc ignis appellatio non occurrit in Edda, inde tamen explicandæ appellationes quædam, e. g. *bensíkr*, h. l.; *hrœsíkr*, Geisli, 66, ubi *hrœsíks þrima*, pugna (ex. var. lect.), ejus *gœðir*, pugnator; inprimis *rán síks stœri askr*, in hoc hist. Cap. 255 (Vol. 2, p. 325), ubi *rán síkr*, ignis maris, aurum. Idem de voce *fasti* dicendum, quæ, quantumvis non agnoscentibus interpretibus, ignem denotet necesse est, ut haud paucis locis demonstrari potest; sed hæc obiter. ε) *Flœðu*, vel est genit. τῆ *flœða*, id. q. *flœður*, f., accessus maris, it. mare; vel genit. anomalus in *u* pro *flœðar*, quæ forma inprimis in compositione locum obtinet, ut *skuldunautar*, *búðunautar*, pro *skuldarn.*, *búðarn.*; *brík*, tabula; hinc: *flœðubrík*, navis; *böð*, pugna, pr. ictus (unde *böðull*, qui cædit); *flœðubrikar böð*, pugna navalis; ejus *sœkir*, prœliator maritimus; intelligitur rex Hakon. ζ) *bræður*, genit. antiq. pro *bróður*, etiam in prosa obvius Knytl., C. 28 et 94.

[1]) Nordmæriæ, F. [2]) Froda (s. Fröda), F. [3]) Freyæ, F; Frekeyæ, B, C; prius præfert interpres Heimskringlæ, Tom. 1, p. 149, posterius Dr. Rafn, in vers. Dan. hujus historiæ, Tom. 1, pag. 26.

gum[1]; ubi utrique, expositis copiis, in Rastarkalfo conflixerunt; hic cecidit rex Gamlius Eiriki filius, Hakone victoriam reportante. In quo prælio tanto impetu rex Hakon processit, ut nullo tectus clypeo obvios hostes ad utrumque latus cæderet, ut dicit Guthormus Sindrius:

Perterrita cessit militaris
turma metallorum sparsori;
valens consilio ejaculator missilium
progressus ante signa est.
Rex ille, qui peperit sibi
uxoris Odi lacrumarum
copiam, minime sibi parcit
in tumultu bellonarum[2].

Gunnhildæ filii cum suis, quotquot prælii superstites erant, in Daniam refugerunt.

Profectio fratrum adversus Hakonem regem.

Cap. 26. Cum Hakon Adalsteinis alumnus

[1]) Feyarborgam (malim Fje-eyar-borgam), F.

[2]) Ordo: *Hjörva* α) *raddar herr fór hræddr fur málma* β) *þverri* α); *ráðsterkr rógeisu* γ) *ræsir gekk framar merkjum. Gramr, hinn er gat yfrinn* b) *byr jöfra mána* δ) *Óðs kvánar* ε) ε) *gerra* d) *hlífa sèr í* ζ) *geirvífa* e) *snerruf*).

α) *þverði*, C. b) *yfir*, Sk. c) *óskvænan*, F; *olkvænan*, Sk, corrupte. d) *geira*, Sk. e) *geirima*, Sk. f) *snæru*, Sk.

α) *Hjörva rödd*, sonitus gladiorum, pugna; *hjörva raddar herr*, populus pugnæ, milites. β) *málmr*, tam de auro, quam de telis, usurpatur; *þverrir*, qui decrescere facit (a *þverri*, *þverði*, *þverra*, deminuere, quod non confundendum cum *þverr*, *þvarr*, *þverra*, decrescere); *málma-þverrir* itaque, vel, qui opes erogat, vir liberalis, vel, qui tela ingerit in hostes, prœliator. γ) *ræsir rógeisu*, vide supra p. 26, sub γ; edd. Havn. jungit *rógeisu merki*, signa militaria. δ) *jöfri*, Olavio est gr. ὀφρυς, supercilium; hinc: *jöfra máni*, luna supercilii, oculus, ejus *byrr*, imber oculi, lacrumæ; sed lacrumæ Freyæ, uxoris Odi, aurum est, vide Snorr. Eddam, p. 47. ε) *gerra*, pro *gerir-a*, a *gera*, periphr. cum infinit. ζ) *geirvíf*, mulieres ensium, bellonæ; *snerra*, motus vehemens, a *snarr*; *geirvífa snerra*, pugna.

Norvegiæ viginti sex annos imperaverat, ex quo frater ejus Eirikus e regno profugerat, convivio interfuit Fitis in Storda, Hördiæ insula; convivio adhibuit tam aulicos suos, quam multos colonos; ibidem quoque adfuit cognatus ejus Eyvindus, filius Strabonis, appellatus Archipoëta. Jentaculum sumente rege, viderunt, qui foris stabant, excubitores, naves complures ab austro velis ferri, insulæ jam vicinas. Hic alter alterum hortari, dicerent regi, putare se, hostilem exercitum appropinquare. At nemini periculo carere videbatur, hostis adventum nuntiare regi, quod graves pœnas minatus fuerat, si quis falsum belli nuntium perferret. Cum vero nefas existimarent, regi hanc rem non indicare, unus eorum cœnaculum intrans, Eyvindo Finni filio loquitur: exi celeriter! maxima postulat necessitas. Eyvindus egressus, ut primum vela conspexit, cognovit, naves esse bellicas; quare mox reversus in cœnaculum, regem accessit, dicens: labens hora brevis, cœnæ longa. Rex, eum intuitus: quid rei est? Eyvindus cecinit:

Dicunt, ferocis ultores Blodöxæ
acrem gladiorum conventum
deposcere; nobis sedendi
diutius præcluditur facultas.
Perdifficile est, imperatori nuncium
perferre belli; verum honori, rex! tuo
consultum volui; confestim
adsueta diu paremus arma[1].

1) Ordo: *a) Tjá a), hefnendr β) ens hvassa b) Blóðöxar beiða fetil-stingalγ) bryn-þings; oss gjörist c) setu efni hnept. Heldr er vandt, (at) segja drottni hersögu; en ek vilda d) veg þinn, konúngr! δ) fám e) fljótt til fornra vopna.* Hæc stropha abest in C, S.

a) tjá ek, ajo, Hkr.; *trú ek*, credo, F, Sk. *b) hin hvössu*,

Rex: qua probitate es, Eyvinde! te belli nuntium, nisi verum, non afferre confido. Affirmarunt multi, hunc verum esse belli nuntium. Tum rex mensas submoveri jussit, et egressus, ut naves prospexit, cognovit illico, bellicas esse. Tum rex suis: utrum capiendum consilii est, cum manu, quæ præsto est, confligere, an naves petere, et aquilonem versus navigando hostes effugere: perspicuum vero est, si acie decernimus, cum longe superiori hostium numero dimicandum esse, quam ullo antea tempore, et tamen sæpe nobis visæ sunt copiæ nostræ numero inferiores, quando cum Gunnhildæ filiis congressi sumus. Ad hæc, cum respondere omnes cunctarentur, Eyvindus respondit:

Auctor telorum nimbi! dedecet
fortem virum pontigrados equos
boream versus deducere longius;
cunctationem detestamur oppido.
Hoc ipso tempore, properus pugnæ
Haraldus, latam classem ab austro
admovet per streperam viam piratæ;
manibus prehendamus virum [1].

F, Sk. *c*) *gera*, F, Sk, sc. præcludunt Eirikidæ; *geraz*, Hkr., unde sequitur *hneptr* idem esse quod *hneppr*. *d*) *vissa*, novi, C; *vildum* (omisso *ek*), voluimus, Sk. *e*) *farom*, eamus, Hkr.; *fara*, F, Sk; *fram*, B.

a) *tjá*, sc. *menn*, quæ vox etiam in prosa subauditur, hac hist. text. isl. Tom. 1, p. 181, cui consentit Jomsv. s., p. 49. *β*) i. e. filii, nam filii erat, patrem ulcisci. *γ*) *fetilstíngr*, ensis (a *fetill*, balteus, et *stíngr*, ferrum acutum tenue); ejus *þíng*, pugna; *brynþíng*, h. l. acer conventus, derivandum videtur, a *brýnn*, adj. acutus, celer, cfr. *eggþíng hèðins veggjar*, C. 56, str. 2. *δ*) *fá*, c. gen., comparare; *til*, sc. ad prælium committendum v. invadendos hostes.

[1]) Ordo: *Nörðr a*) *naddregns! a*) *samir – a b*) *hvötum þegni* (*at*) *fœra β*) *borðmœrar c*) *ske d*) *enn norðarr e*); *vèr getum f*) *at γ*)

Rex respondit: hæc fortiter dicta sunt, Eyvinde! et ad meam mentem proxime; tamen aliorum plurium sententias hac de re audire cupio. Cum vero homines intelligerent, quo regis in-

bölva g) bili h). Nú er þat i) er k) gunnbráðr Haraldr l) ð) rökkr m) breiðan n) flota sunnan á o) rymleið raknas); grípum vèr p) ζ) í greipum q). Abest hæc stropha in C, S.

a) njörðr, Hkr., deus, Asa. *b) at*, id. Sk. *c) borð mœra*, Sk; *blámœrar*, cæruleæ terræ (maris). *d) þá er norðan*, F, Sk. *e) skör*, F, Sk; *skir*, B. *f) gerum*, F. *g) bolu*, et *A* in initio sequentis versus. *h) bils*, F, Sk. *i) þar*, F, Sk. *k)* om. Sk. *l) gunnborð*, tabulas bellonæ (clypeos), Hkr.; *gunnbrœðr Haralds*, commilitones Haraldi, B. *m) reykr*, id., B; *rykr*, F; *rikr*, Sk. *n) breiðum*, B. *o) um*, F, Sk. *p)* ita dedi; in textu expressum est *vèr*. *q) í greipar*, in manus, B, F, Sk. Hkr.

α) in textu impressum est *norðr* (quod et cet. codd. habent), cui voci duo puncta superscripsi, legique *nörðr*, quod mihi contractum est ex *nöruðr*, qui alit, altor, a *nöra*, id. q. *nœra*; *naddregn*, pugna; *naddr*, h. l. de telo; *nörðr naddregns*, qui ciet pugnam, uti dicitur in Heidarvigasaga *at nöra rítar nag*, prælium ciere. *β)* equum maris, i. e. navem; *borðmœr*, terra navalis, mare; *mœr*, f., in gen. *mœrar*, terra; dari hanc vocem v. formam vocis, concludo ex versiculo, citato in Edda alphabethica Magni Olavii, Past. Laufasensis, auctore Arnio fratre (monacho), qui citatur in ed. Holm. p. 205, in var. l.; hic versiculus ita habet: *Fjötra var sú móins mœt mœrar ok guði. kœr*; ubi: *móins mœrar fjötra*, femina, sc. ministra terræ serpentis (auri); cognatum videtur *mœri*, f., regio mari adjacens (*mar*), it. Moeria Norvegiæ; *mœski*, *merski*, regio mari irrigua; *mœri*, n. finis, terminus; in voce compos. *landamœri*, Hkr. VII, C. 57; *sker*, id. q. *skœr*, equus, a *skœfa*, ruere, festinare, nam equus etiam *skœfadr* in Edda dicitur. *γ) bil*, intervallum, it. mora, unde *óbilgjarn*, *bilstyggr*, moræ impatiens; *bölva*, pr. malum imprecari, h. l. abhorrere. *δ) rökkr*, id. q. *hrökkr*, agit, propellit, provehit; *reykr*, var. l., idem notat, a *reykkva*, id. q. *hrökkva*, cfr. Hkr. ed. Holm. in vita O. Trygg., C. 87, ubi *reyktiz*, idem est ac *rökðiz* in ed. Havn. *ε)* i. e. per mare; *rakni*, pirata; ejus *rymleid*, via sonora, mare. *ζ)* sc. cum nobis quasi in manus incurrerit; sec. var. l. *grípum vèr í greipar gunnborð*, arripiamus clypeos manibus; quæ lectio facile se cuivis commendat.

clinaret animus, responderunt multi, se potius fortiter cadere velle, quam, metu Danorum, inexperta fortuna fugere, dicentes, se sæpe superiores discessisse, quando pugnavissent numero copiarum inferiores, quam tum erant. Hæc locutos, rex, gratiis actis, armari jussit, quod et factum est. Rex armaturam induit; loricam gestabat anulatam, cinctus gladio Mólæ-sectore, capite galeam inauratam, manu gæsum gerens, latus clypeo munitus; deinde aulicos et colonos ordinat, vexillumque suum erigit.

Cap. 27. Haraldus Eiriki filius, post cædem Gamlii, copiis fratrum dux præfuit. Fratres tunc ingentem exercitum habuerunt, præter alios comitati avunculis suis, Eyvindo Skreya (Vago) et Alfo Askmanno, qui viribus erant insignes et facinoribus infames. Eiriki filii, appulsis ad insulam navibus, terram conscenderunt, aciemque instruxerunt. Feruntur autem hoc loco copiæ tam impari numero concurrisse, ut singulis ex Hakonianis adversus senos ex hostibus pugnandum fuerit.

Pugna Stordensis.

Cap. 28. Jam suos in aciem disposuerat rex Hakon; hic, antequam prælium oriretur, loricam exuisse dicitur. Rex Hakon, exemplo Haraldi patris sui, aulicos viribus et fortitudine præstantes studiose deligere solitus est. Tum cum rege fuit Thoralfus Robustus, Skolmi filius, qui ab altero latere regis procedebat; is galeam et clypeum, gæsum et gladium, dictum Fetbreidum (pedem latum) gerebat; vulgo dicunt, eum et Hakonem regem viribus fuisse æquales. Id quod memorat Thordus Sjareki filius in carmine, quod de Thoralfo composuit:

Exercitus processit avidus
ad conflictum gladiorum,
cum navium propugnatores strenui
Fitis in Storda confligebant;
et ignem projiciens procellæ,
lunis navalibus nocivæ,
proxime regem Norvagorum
proferre sustinuit pedem[1].

Ubi concurrebant acies, primo jacula emissa, deinde, postquam gladios strinxerant, res ardentius geri cœpit, multis cadentibus. Tum Rex Hakon et Thoralfus ante signa progressi, obvios utrinque hostes cecidérunt. Fecere regem Hakonem in acie facile conspicuum cum excelsitas staturæ, qua alios supereminebat, tum etiam splendor galeæ, quæ sole illustrata fulgorem reddebat; unde factum est, ut tela cre-

[1]) Ordo: *Herr gekk lystr til hjörva hnitz a), þar er böðharðir a) landa-bands β) jó-draugar b) börðust í Storð á Fitjum; ok nausta-blakks γ) hlèmána c) gífrs drífu gimslöngvir d) þorði gánga hit næsta Norðmanna gram.* Hæc stropha abest in C, S.

a) böðhróðir, B. *b) drángar*, corr., B. *c) í málma*, F, in metallorum (telorum) procella, pugna; tum *naustablakksgim*, ignis, splendor navis, est: clypeus; ejus *gífr*, securis, telum, hujus *slöngvir*, præliator. *d) gimslöngvum*, B, F; *gimslavngum*, Sk.

a) hnit, collisio, inpr. metallorum; unde *hjörva-hnit*, pugna, a verbo *hnita*, collidere; *hneit þar*, Gisl. Surss. S; *hnitu reir saman dreyra*, Hkr. VI, C. 124, str. 2. *β) landa-band*, vinculum terrarum, oceanus; ejus *jór*, navis; hujus *draugar*, classiarii, h. l. milites; *draugr*, propr. est arbor arida. *γ) naustablakkr*, equus naustibulorum, navis; *hlè*, locus a vento tutus, it. latus navis a vento aversum; sic *naustablakks hlèmáni*, luna lateris navis a vento aversi (pro latere navis in genere), clypeus; ejus *gífr*, gigantis clypei, securis; ejus *drífa*, nimbus securis, pugna; ejus *gim*, ignis pugnæ, gladius; et denique hujus *slöngvir*, gladium mittens, præliator; intelligitur Thoralfus Skolmi f. Tales poëtarum veterum metaphoræ, quamvis justo longius repetitæ (Sn. Edd. p. 228. §. 79), habent tamen, quo delectent, eo quod res varias, ad rem militarem pertinentes, uno momento sensibus subjiciant.

brius in eum ingererentur; galeam igitur regis, pileo[1] imposito, texit Eyvindus Finni filius. Tum Eyvindus Skreya alta voce inclamans: jam se occultat, inquit, Nordmannorum rex: an fuga se subduxit, nam galea aurea jam non conspicitur? Quo dicto Eyvindus et Alfus, frater ejus, magno impetu proruebant, furiosorum et lymphatorum more, et ad utrumque latus gladiis feriebant. Tum rex Hakon, Eyvindum alta voce compellans: sic, inquit, prorsus recta tende, si regem Nordmannorum convenire vis. Nec mora, advolat mox Eyvindus, gladioque liberato, regem petiit. Thoralfus vero, objecto clypeo, Eyvindum tam vehementer repulit, ut in casum declinaret. Tum rex, gladio Molæ-sectore utraque manu arrepto, Eyvindum feriit, et galeam caputque penitus in humeros dissecuit. Eodem momento Thoralfus Alfum Askmannum occidit. Sic dicit Eyvindus Archipoëta:

Acutam novi virgam vulneris,
utraque regis vibratam manu,
dissecuisse mediocriter fidum
oneris schidii incolam.
Intrepidus navalis pugnæ
administrator, noxam Danis inferens,
dissecuit tumulos comæ
ense, aureis ornato bullis[2].

1) cucullo, B; pileo suo, F.

2) Ordo: *Ek veit a), at enn bitri benvöndr a) beit, or β) báðum konings höndum, með al-dyggvan γ) δ) búlka b)-skíðs byggving c). Ufœlinn d) úla galtar ε) el-draugr e), grandráðr f) Dana, klauf g) ζ) skör-hauga h) gullhjaltaðum i) brandi.* Abest in C, S.

a) sá, vidi, F, Sk. *b) búlka*, trabium, F, Sk. *c) bygging*, id., B, F, Sk. *d) ófeilinn*, id., Sk. *e)* sic F, Hkr., Sk; *eldraugar*, A; quod, si in gen., pro *eldraugs*, positum sit, ad Eyvindum referendum est; sed, quominus id fiat, obstat vox *skörhauga* in pl., quæ ad unum hominem vix referri potest. *f) grandaðr*, B, Sk., id.; nisi quod hoc sit subst. verb., idem quod *grönduðr*. *g)*

Post cædem fratrum istorum, eo impetu rex Hakon in hostem ferebatur, ut omnes repulsi cederent. Hinc milites filiorum Eiriki, terrore perculsi, terga verterunt; sed rex Hakon, in primore acie constitutus, fugientibus acriter institit, crebros magnosque iterans ictus; hoc momento volans telum missile, ejus generis, quod Flein (sparum) dicunt, in brachium regis penetravit, in musculo, subter axilla. Tradunt autem multi, servum, qui Gunnhildæ erat a calceis, nomine Kispingum[1], in turbam præliantium prosiluisse, et exclamasse: date locum regis occisori, et hoc dicto, sparum in regem conjecisse. Contra referunt alii, nemini cognitum fuisse, qui telum emiserit; id quod vero est simile, cum sagittæ et jacula et omnis generis missilia, densarum instar nivium, volitarent. Ex militibus, qui Eiriki filios secuti fuerant, ingens turba cecidit, omnes vero reges in naves evaserunt, et mox remis aufugerunt, insequentibus Hakonis militibus. Sic dicit Thordus Sjareki filius:

h. l. *af*, inscrit F, Sk. *h*) *skarar hauga*, Hkr., eodem sensu. *i*) *gullhjöltuðum*, Hkr., Sk, id.

α) i. e. ensis. *β*) *or*, a, ex; nota usum hujus præpositionis, secundum quem adhibetur loco „in", ita ut spectantem potius, quam agentem, repræsentet; sic C. 30, str. 3; Hakonarm., str. 5; it. in prosa: *bíða or stað*, loco constitutum manere, *γ*) i. e. malum, infidum. *δ*) *búlki*, onus navis; *búlkaskíð*, navis; ejus *byggvíngr*, incola navis, periphr. militis, præliatoris. *ε*) *álagöltr*, aper piratæ, navis; ejus *el*, procella navis, pugna navalis; hujus *draugr*, præliator; sequens *grandráðr*, pr. est, qui noxia consilia aliis struit; possis quoque hoc adj. seorsim capere, et genit. *Dana* cum voce *skörhauga* jungere, sc. capita Danorum. *ζ*) *skör-haugr*, pro *skarar-haugr*, tumulus comæ, caput. Prius hemistichium eædem describit Eyvindi Skreyjæ, a rege peractam, posterius, fugam Danorum ingentemque a rege editam stragem, post fratres Eyvindum et Alfum cæsos.

1) Kispigum, F.

Homicidiorum exstirpator, late
primorem aciem defendit; ita
gerenda est pugna; talem regem
homines optabant in imperio senescere.
Exarsit pugna, quando hæres
Gunnhildæ, vectus ab austro,
tenacitatis expers, in fugam
se conjecerat, rege cæso[1].

Apparuit defectus virium, cum
multi colonorum vulnerati
ad firmum remigium considerent;
amisit vitam unus et alter.
Documentum insigne virtutis est,
quod potens pugnæ moderator,
qui corvo dapem præbuit, in tali
certamine regi proximus procedebat[2].

[1]) Ordo: *Víga a) myrðir α) varði öndverðt fólk vítt; svá skal slíta β) frið; γ) vildo b) þann jöfr c) eldast at d) löndum. Starf δ) hófst upp, þá er arfi Gunnhildar sunnan, vanr ε) ótta gulls, kom á flótta, er c) gramr var fallinn.* Abest hæc strophe in C, S.

a) *varga,* exulum, maleficorum, Hkr., eod. sensu. *b*) *vildi,* B; *vildat,* noluerunt, Hkr., sc. ejus inimici vitam ei invidebant. *c*) *áðr,* F. *d*) sic Hkr., Sk.; *á,* A. *e*) *en,* sed, Hkr.; *en fèll gramr at gunni* (r. *gunni*), pro *gulls-fallinn,* F.

α) *víga myrðir,* regis appellatio, qui homicidas punit; *myrðir,* interfector, it. qui delet, exstirpat. *β*) *slíta frið,* rumpere pacem i. e. pugnam facere; locutio sæpius apud veteres obvia: de violanda pace cave ne cogites. *γ*) *vildo,* sc. *menn,* subditi ejus optabant. *δ*) *starf,* labor, sæpius de pugna, ut græc. πόνος. *ε*) *ótti gulls,* timor auri, potest accipi de tenacitate, cum quis auro timet uti, ut ait Horatius, et *vanr,* per expertem explicari; sed proprie secundum genium linguæ, *ótti gulls,* est terror auri, sc. liberalitas; sic *ótti ormvengis,* terror auri, de homine liberali, vita Hak. Grandævi, C. 318, str. 2; *ótti fengins gulls,* idem. Edd. Snorr. p. 201, str. 6, ubi *ótti,* per abstr. pro concr., denotat eum, qui non parcit; hac ratione *vanr,* adsuetum sonat; quamvis idem sensus ex utraque interpretatione prodeat.

[2]) Ordo: *þrót a) var sýnt, þá er b) úfár c) súrir bœndr d)*

Mors regis Hakonis Adalsteinis alumni.

Cap. 29. Rex Hakon, navem suam ingressus, vulnus obligari jussit; sed tantus effluxit sanguis, ut sisti non posset, quare, inclinante die, rex viribus languere cœpit; itaque significat, velle se aquilonem versus ad prædium suum Alrekstados proficisci. Cum vero boream versus ad Petram Hakonis ventum est, navem ibi appulerunt, quod rex morti vicinus erat. Hic tum, amicis ad se vocatis, quo pacto regnum administrari vellet, aperuit. Nullos liberos habuit, præter unicam filiam, nomine Thoram, nullum vero filium. Filiis itaque Eiriki eum nuntium mitti jussit, ut reges Norvegiæ essent, rogans, ut amicorum et cognatorum suorum sedulam curam gererent: quod si mihi, inquit, longior vita data fuerit, christjanorum hominum consortium petam, expiaturus, quæ in deum commisi, delicta; sin vero hic inter paganos moriar, quo placuerit sepulturæ genere me condite. Paulo post rex Hakon ibi in petra exspiravit, quo loco in lucem editus fuerat. Fuit regis Hakonis obitus adeo luctuosus, ut mortem ejus amici simul flerent et inimici, as-

settust e) við sinn stinna f) róðr g) þröm h); maðr ok annar lèt önd. þat veit α) afreks, er allríkr göndlar-njörðr, sá er gerði hugins i) drekku β), gekk nærst jöfri í slíkum styr. Abest hæc stropha in C, S, F, Sk.

a) malo: *þrot var sýnt*, apparuit defectus (sc. virium); tum junge: *við sinn stinna róðrþröm; þrát*, A; *þrótt*, Hkr., *b) þar er*, ubi, Hkr. *c) úfáir*, id., B. *d) búendr*, id., Hkr. *e) sóttust*, B. *f) stinnan*, B, Hkr., quod eodem modo potest ad *þröm* referri. *g) róðrs*, Hkr. *h) straum*, contra metrum, B. *i) hugar*, B.

α) de verbo *vita* cum genitivo, vide supra C. 24, str. 2. *β) gera hugins drekku*, pr. apparare compotationem corvi, i. e. sanguinem effundere, stragem edere; ut Edd. Sæm. in Oddrunargr, str. 11, *þá er ek Gunnari gerða drekku.*

serentes, regem æque bonum nunquam postea habituram esse Norvegiam. Defuncti cadaver amici ejus Sæheimum in Hördia septentrionali translatum, ingenti constructo tumulo, condiderunt cum tota illius armatura et pretiosissimis vestibus, sed absque aliis divitiis, more inter ethnicos recepto, suprema regis conclamantes.

Gunnhildæ filii regnum adeunt.

Cap. 30. Mortuo Hakone, filii Eiriki regnum Norvegiæ gubernandum suscepere; ex his Haraldus dignitate antecelluit, quippe qui ceterorum fratrum, quotquot tunc fuere superstites, natu maximus esset. Mater eorum Gunnhilda, quæ tunc Regum-genitrix appellata est, plurimis in rebus regium imperium cum eis participabat. Eo tempore hi principes in Norvegia fuere: rex Tryggvius Olavi filius ad orientem in Vikia[1], rex Gudrödus Björnis filius in Vestfoldia, Sigurdus, dynasta Hladensis, in Thrandheimo. Gunnhildæ filii prima hieme medias regni regiones tenuere. Tum, inter filios Gunnhildæ et Tryggvium atque Gudrödum ultro citroque missis nuntiis, de pace agi cœptum est, hoc pacto, ut tantundem regni Gunnhildæ filiorum nomine tenerent, quantum antea nomine Hakonis tenuissent. Glumus Geirii filius fuit poëta Haraldi regis, Gunnhildæ filii; is hos versus post cædem Hakonis regis composuit, in quibus regem Haraldum laudibus extulit, quod Gamlium, fratrem suum ultus erat:

Haraldus strenue Gamlii necem
est ultus; vitam amittere solent
gladii columina: vulnus pergrave
rex bellicosus intulit;

[1]) in orientali parte regni, F.

nam præliaris numinis accipitres
nigri bibunt Hakonis sanguinem;
trans mare fando audivi vulnerum
sanguineûm calamos rubuisse[1].

Hi versus aulicis Haraldi regis pergrati fuerunt. Quos cum Eyvindus Finni filius accepisset, alios vicissim composuit:

Fugæ nescius Rex prius tendiculam
Fenreris rictus rubefecit sanguine
Gamlii; exæstuavit animus ira
columinibus metallorum procellæ,
cum bellicosus expelleret
Eiriki filios e terra; nunc
custodes gladiorum omnes
principis obitu dolent[2].

[1]) Ordo: *Haraldr hefir vel hefnt Gamla, en hjörs draugar* α) *hafna fjörvi; fólkrakkr fylkir vann* a) *framligt ben, er* β) *dólg-bands* b) *dökkvalir* γ) *drekka dreyra Hákonar; ek frá rauðra benja reyr* δ) *roðinn* c) *fur handan ver.* ε) Nesciunt hanc strophan B, C, F, S, Sk.

α) *vannt*, patrasti (intulisti), Hkr. b) *dólgbrands*, gladii, Hkr. c) *roðinn*, (in masc. gen.) Hkr., quando *reyr* esset sing. m. g. α) i. e. milites, præliatores. β) *dólgband*, numen belli, bellona v. Othinus; *band*, accipio pro numine, ut *hapt;* non tamen memini me alibi legisse *to band* hoc significatu in sing. numero, cum in plur. num. passim occurrant *bönd*, numina; commodior tamen mihi visa est hæc appellatio, quam ea, quam lectio *dólgbrands*, gladii, exhibet; insolentius enim est, corvum ab ense, usitatum a bellona v. Othino, denominare. γ) *dökkvalr*, pro *dökkr valr*, niger accipiter, i. e. corvus. δ) i. e. enses; verti autem calamos, cum *reyr*, arundo, quod hodie m. g. est, apud poëtas in n. g. occurrat, Hkr. VI, C. 124, str. 2. ε) i. e, Hardangriæ sinum, nempe in insula Storda, ubi lethale vulnus acceperat Hakon, cui prælio non interfuisse poëtam h. l. apparet.

[2]) Ordo: *Flugvarr konungr rauð fyrr Fenris varra sparra* α) *í Gamla blóði; móðr* a) *svall málmhríðar-meiðum* β), *þá er ústirfinn* γ) *of* b) *rak Eiríks arfa á sjá; nú* δ) *tregar* c) *grams fall alla gæti-gauta* ε) *geira.* Abest hæc stropha in B, C, F, S, Sk.; in Hkr. extat IV, C. 27.

Hi quoque versus multum decantati sunt; quod cum regi Haraldo innotuit, capitalis criminis ideo reum fecit Eyvindum, donec intercessione amicorum invicem in gratiam redirent, eo pacto, ut Eyvindus poëta fieret regis Haraldi, quemadmodum regis Hakonis olim fuerat. Hi quoque propinqua juncti erant consanguinitate: Eyvindus enim natus erat Gunnhilda, filia dynastæ Halfdanis, ut supra dictum est, mater vero Gunnhildæ fuit Ingibjarga, filia regis Haraldi Pulcricomi. Tum de Haraldo rege hos versus Eyvindus composuit:

Custos Hördorum terræ! constitit,
non animum trepidasse tibi, cum
vulneris increpuit grando loricis,
emissa tensis arcubus.
Qvando glacies acutæ balteorum

a) sic Hkr.; *móð*, A; cum vero eadem phrasis occurrat apud Thjodolfum in Haustlanga: *móði svall Meila blóða*, non dubitavi hanc lectionem suscipere. *b*) *ok*, et, Hkr., quod sane quam difficultatem parat. *c*) *tregr*, Hkr., eodem sensu.

α) *sparri*, m. tigillum, quo aliquid distenditur; *varrar*, id. q. *varar*, labia, a *vör*, labium, h. l. pro rostro; *sparri Fenris varra*, est ensis (sec. Edd. Snorr. p. 36); eodem modo *gómsparri gyldis kundar*, gladius appellatur, Geisl. str. 40. *β*) i. e. militibus. *γ*) *ústirfinn*, vox non ubivis obvia, putavi deduci posse vel a *starf*, labor, vel a *styr*, pugna, et ab *ú* intensivo, ita ut strenuum vel bellicosum significaret, vel denique est: comis, hilaris; *styrbinn ok viðskota illr*, occurrit in Grettla, ed. Hol. p. 111; sed hoc epitheton necessario referendum esse duxi ad ipsum regem Hakonem. *δ*) *trega*, dolore afficere, it. impers. dolere; duplicem sequitur conjugationis formam, sc. *ek trega*, impf. *tregaði*, ut h. l. et Solarl. str. 10, vel *ek treg*, impf. *tregði*, ut Godr. Hvat., str. 2, Völundarkv. str. 27; ex priori est *tregar*, ex posteriori *tregr* 3 pers. sing. præs. ind. *ε*) *gæti-gautr*, deus servans, poëtice custos, qui rem servat, ea utitur; sic *gæti-gautr geira*, qui gladiis utitur, prælitator, vir; *gæti*, in compos. id. est, ac *gætandi*.

e dextra, Haralde! tua,
non conditæ vagina, olim
clangebant ad saturandum lupum [1].

Pactum inter Gunnhildæ filios et Sigurdum dynastam.

Cap. 31. Gunnhildæ filii in mediis regni partibus plerumque se continebant, cum illis minus tutum videretur vel Thrandorum vel Vikensium fidei se committere, qui intimi fuerant regis Hakonis amici; qua utraque in regni parte præcipuæ dignitatis viri, quam plurimi, sedes habebant. Hinc de reconciliatione inter Sigurdum dynastam et Gunnhildæ filios, per internuntios, agi cœptum est; quod antequam fieret, nullos census ex Thrandheimo perceperunt Eiriki filii. Eo tandem res deducta est, ut pacem pacti sint filii Gunnhildæ et Sigurdus dynasta, jurejurando sancitam, eo pacto: ut quas olim nomine regis Hakonis provincias in Thrandheimo tenuerat Sigurdus dynasta, has jam regum nomine teneret; sic verbo quidem reconciliati sunt. Omnes Gunnhildæ filii fuerunt pecunia-

1) Ordo: *Landvörðr Hörða! α) hváðu þik hitt láta geð fálma, er benja a) hagl β) brast á brynjum b); álmar γ) bugust c), þá er ófólgin d) fullegg fetla svell δ) gullu endr or hendi þinni, Haraldr! til ylgjar fyllar ε).* Abest hæc stropha in, B, C, F, S, Sk; extat in Hkr. V, 1, 2.

a) *brynju*, loricæ, Hkr. *b*) *í benjum*, vulneribus, Hkr. *c*) *buggust*, Hkr. *d*) sic dedi; *ófólginn*, A, Hkr.

α) i. e. rex Norvegicus. *β*) sc. sagittæ. *γ*) *bugust*, impf. pass. verbi obs. *býg, baug, boginn, bjúga*, unde adhuc in usu partic. *boginn*, curvus; ab imperf. formatum, *baugr*, annulus; ab infin. *bjúga*, farcimen, (ut *taug, togi, tjúga*, subst. a verbo *týg, taug, toginn, tjúga*); usitatum est *beygja*, curvare, flectere. *δ*) *fetla svell*, glacies balteorum, ensis. *ε*) *ylgr*, lupus, gen. *ylgjar*, est m. g., quod videre est ex Háttal., str. 56, nam fuere, qui f. g. putarent (v. Eigl. ed: Havn., p. 623, not. p.); *fyllr*. f. satietas; ad saturandum lupum, i. e. ad edendam stragem.

rum tenaces, ferebatque sermo, eos pecunias suas in terra defodere. Cujus rei meminit Eyvindus Archipoëta:

Numen arboris præliaris! tulimus
Fyrensium camporum semen
in montibus accipitrum,
Hakonis omnem per ætatem.
Nunc inimicus populi
occuluit farinam Frodii
hilarium servarum in carne
genitricis gigantidum hostis[r].

1) Ordo: *Ullr ímunlauks α)! búrum Fýrisvalla frœ β) á hauka-fjöllum γ) of alla œfi Hákonar. Nú hefir fólkstríðir δ) of fólgit meldre) ζ) fjölglýaðra a) Fróða þýja í holdi móður mellu dólgs η).*

a) fáglýaðra, parum hilarium, Hkr. Abest hæc strophe in B, C, F, S, Sk.; extat in Hkr. VI, 1, 3, et prius hemistichium in Edda Snorr, p. 153, str. 2.

α) Ullus, deus Asa, bellicis artibus clarus, Edd. Snorr. p. 31, 105; *ímunlaukr*, ensis; h. *ullr ímunlauks*, præliator, vir aliquis, quem compellat poëta; *ímunlaukr*, pr. lignum pugnæ, ensis, a *laukr*, lignum, et *ímun*, pugna; multæ sunt voces apud poëtas, ab *ím* incipientes, quæ vel lupum vel gigantem vel pugnam denotant, et in genere terrorem vel torvitatem involvere videntur, e. g. *ímleitr*, lupina sc. torva facie; *ímunfölr*, lupino-cinereus (id. q. *úlfgrárr*); *ímun*, terminatione tantum differt ab *íma*, pugna, quemadmodum *hjálmun*, in voce *hjálmunvölr*, idem est ac *hjálm*, f. g., in gen. *hjálmar*. *β*) sc. aurum, cujus rationem vide in Edd. Snorr. ed. Holm. p. 150–53. *γ*) i. e. in manibus, v. Edd. Snorr. p. 206, §. 71. *δ*) pr. qui animos populi exasperat, tyrannus, sc. Haraldus Eriki f. *ε*) *meldr*, id. q. *mèl*, farina, ut *öldr*, id. q. *öl*; *meldr Fróða þýja*, farina Fenjæ et Menjæ, Frodii ancillarum, aurum, v. Edd. Snorr. p. 146–47. *ζ*) *fjölglýaðr*, quod textus isl. præfert, nec non haud pauci codd. in Hkr. citati, valde, magnopere lætum significare potest, a *glýjaðr*, lætus, Völuspá, str. 39, ed. Holm.; hoc epithetum h. l. cum delectu positum esse videtur, et melius rei convenire, quam *fáglýjaðr*, quod servili conditioni tantum in genere congruit; nempe ancillæ Frodii primo aurum, pacem et felicitatem molebant, post vero, durius habitæ, pertæsæ servitutis, infestas acies et bella mola personabant; itaque *meldr fjölglýaðra Fróða þýja*, est ea

Titan, in Fullæ capitegio
nitens, in scuti montibus,
Hakonis omnem per ætatem,
poëtarum resplenduit.
Nunc fluvialis est Titan
abscondi[t]us in corpore
matris giganticidæ;
gentis ferocis dura sunt consilia[1].

farina, quam ancillæ Frodi, dum lætæ atque contentæ sorte sua erant, moluerunt. *η*) *mella*, gigantis; *mellu dólgr*, hostis gigantidis, Thorus; ejus *móðir*, Tellus; hinc *hold móður mellu dólgs*, caro telluris, pulvis terræ; contra, ossa telluris, sunt lapides.

[1]) Ordo: *Fallsól α*) *brúa a*) *vallar Fullar b*) *skein skáldum á Ullar kjöls fjöllum β*) *of allan aldr Hákonar; nú er álfröðull elfar γ*) *of fölginn í líki δ*) *jötna dólgs móður ε*); *ráð rammrar þjóðar eru rík*. Abest hæc stropha in B, C, F, S, Sk., estat in Hkr., V, 1, 4, et Edd. Snorr., p. 133, str, 1, ubi prius hemistichium invenitur.

a) sic Hkr.; *brá*, A, quod perinde rectum est. *b*) *Fullu*, Edd.

α) *Fallsól brúa vallar*, id. q. *sól brúa vallar falds* (nam *ll* et *ld* permutantur); *faldr*, velamen; *brúavöllr*, campus palpebrarum, caput, et *faldr brúavallar*, velamen capitis; hujus *sól*, sol velaminis capitis, est vitta aurea; h. l. intelligitur vitta Fullæ (*höfuðband Fullu*) quod pro auro usurpatur, v. Edd. Snorr. p. 36, §. 35; cæterum nihil obstat, quominus *brúvallar* legatur, nam *brá*, contr. est ex *brúa*, et quod ad metrum attinet, secundus pes est abruptus (*stýfður*); hujus exempla afferuntur in clave metr. (Snorr. Edd. p. 251); non tamen ibi affertur casus huic nostro consimilis, cum auctor tantum in animo habuisse videatur abscissionem pedis metrici; atqui plura occurrunt exempla, nostro loco congrua, e. g. *Utkells blár skulfu*, in Knytl.; *grán hött reg kvánar*, Thorsdr. str. 13. *β*) *kjölr*, carina, it. navis; navis U. est clypeus, sec. Edd. p. 160, et sæpius in carminibus poëtarum ita denominatur; rationem affert appendix Eddæ mscr.: *Ullr átti skip þat, er Skjöldr hèt, því er skjöldr kallaðr skip Ullar*, i. e. Ullus habuit navem, quæ Skjöldr (clypeus) appellata est, ideo clypeus vocatur navis Ulli; montes clypei, sunt brachia, quibus sustinetur clypeus, sec. Edd. p. 206, §. 71. *γ*) Sol fluvii, i. e. aurum. *δ*) *lík*, corpus. *ε*) *jötna dólgr*, hostis gigantum, Thorus; ejus *móðir*, Terra.

Quos versus, cum rex Haraldus cognovisset, misso nuntio, Eyvindum ad se arcessivit, venientique dixit: tu, Eyvinde! inimicus mihi esse vis; dedecet vero te, infidelitatem exhibere mihi, cui fidem tuam obstrinxeris. Tum Eyvindus cecinit:

Unum habui dominum prius,
amate princeps! quam te nactus sum;
urget me, rex! senectus;
ideo non cupio tertium.
Amato fidus eram regi,
duobus ludere non soleo clypeis;
sequor tuas partes, princeps!
me jam senectus opprimit[1].

Rex Haraldus Eyvindum coëgit, ut jus, rem proprio arbitratu dijudicandi, sibi permitteret. Fuit Eyvindo armilla aurea eximiæ magnitudinis et pretii, Foldius dicta, ex terra multo ante tempore eruta; rex edixit, nullum dari reconciliationi locum, nisi hoc annulo potiretur. Tum Eyvindus cecinit:

1) Ordo, per se satis perspicuus, talis est: *Hefik áttan einn drottinn fyrri a) enn þik, dýrr jöfurr! elli bellr b), bragníngr! ek bið mèr ei hins þriðja. Ek var trúrr dýrum tiggja, ek leik c) aldrí tveim skjöldum a); ek fylli flokk þinn, stillir! elli fellr í hendr mèr d).*

a) sic Hkr.; abest enim hæc stropha in B, C, F, S, Sk.; *fyrra*, A. *b*) sic Hkr.; *belli*, A. *c*) *lèk*, lusi, Hkr. *d*) *á hönd mèr*, Hkr., id.

a) *leika tveim skjöldum*, fidem migrare, nunc hunc, nunc illum, principem vel factionem sequi, Atlam. str. 73; metaphora ducta a re militari, vel quod clypeis pro signo militari utebantur veteres (ruber clypeus erat signum belli, albus, signum pacis), vel, quod fuerint clypei diversis coloribus extrinsecus et intrinsecus picti; sic Eyrb. ed. Havn., p. 230: *skipti hann þá um skildi sínum, ok gekk í lið með Snorra*; vitæ Hakonis Herdabreidi, p. 381 et Magni Erlingi f., p. 422, ed. Havn. *þeir höfðu jafnan þjónat undir þann skjöld*, semper ab iis partibus steterant.

Deberem tandem, o incitator
scopulosæ terræ schídiorum!
tuam experiri conjugis
auram giganteæ bonam,
ex quo coactus sum tibi,
elector annuli! tradere
cubile serpentis, diu quod
meus pater possederat[1].

[1]) Ordo: *Ek skylda um síðir a) finna þinn góðan þussa b) bœs byr a), skerja foldar β) skíðrennandi! frá c) þvísa γ), er verðum selja þèr, valjarðar δ) mens seljandi! þat lýngva ε) látr d), er faðir minn áiti lengi.* Hæc stropha abest in B, C, F, S, Sk; in Hkr. extat, V, 1, 6.

a) *síðan*, Hkr. *b*) *þursa*, Hkr. *c*) *fyrir*, Hkr, sc. eo quod, ideo quod. *d*) *láttr*, Hkr., id. sc. ut metro consulatur.

a) in hoc loco, secundum ordinem, quem constitui, maxima difficultas versatur circa vocem *bœs*; secundum ordinem in ed. Havn. receptum, sc. *fyrir þursa bœs þvísa*, pro lapidis vinculo (annulo), intervenit difficultas, tam in voce *þvísa*, quam in ipsa appellatione; putavi vero *bœs*, h. l. esse uxorem vel filiam (forte á *bás*, cubile, vel a *bera*, parere), et comparavi vocem Norvag. *bœsa*, uxorem ducere, it. filiam in matrimonium collocare, quamvis hæc vox forsitan deflexa sit ex exotica voce *espouser*, unde isl. *púsa* et *pússa saman*, marem et feminam matrimonio jungere; forte et vox *bœsíngr*, in Gragasa, huic loco aliquid lucis afferat. His ita suppositis, *þursa bœs*, uxor gigantis est femina gigas; hujus *byr*, animus, sec. Eddam; sec. ed. Havn. *þursa bœr*, ædes gigantis, est lapis; hujus *þvísi*, vinculum lapidis, annulus; sed mihi nec constat hujus denominationis ratio, neque memini me uspiam legisse, *ro þvísi*, vinculum esse. *β*) *skerjafold*, terra scopulorum, mare; ejus *skíð*, navis; *rennandi*, a verbo *renna*, act., in cursum incitare, appellatio regis in re maritima versati; h. l. intelligitur rex Haraldus. *γ*) junxi: *frá þvísa, er*, ex eo (tempore) quo; vel sec. var. l. *fyrir þvísa er*, ob id quod; *þvísa* accepto pro dat. n. g., suffixo *sa*, id. q. *því*; sed vox *þvísa*, vario modo adhibetur: *a*) ut dat. sing. m. g.: *í þvísa heimi*, in hoc mundo, Hkr. VII, C. 140, str. 2, et Grettla C. 9, sc. jungis: *á þvísa skorðu skæ*, in hoc navi. *b*) ut acc. sing. f. g.: *á þvísa lund*, quod a nonnullis serioribus usurpatum vidi, quamvis non locum meminerim, ubi apud veteres occurrat. *c*) ut

Posthæc Eyvindus domum profectus est, nec memoratur Haraldum regem postea adiisse.

De Gunnhildæ filiis, post eorum adventum in Norvegiam.

Cap. 32. Gunnhildæ filii, in Anglia religione christjana initiati, postquam ad imperium in Norvegia accesserunt, in propaganda inter incolas religione nihil profecerunt; sed ubicunque ejus rei dabatur facultas, fana destruxerunt et sacrificia turbarunt, qua ex re magnum populi odium sibi contraxerunt. Tum quoque mox periit annonæ felicitas; multi enim erant reges, et magna, quam singuli alebant, aulicorum frequentia, cui sustentandæ multo commeatu et magna opus erat impensa; ipsi quoque reges opum erant avidissimi, neque leges observabant, quas rex Hakon posuerat[1]. Omnes vero pulcritudine corporis, viriumque magnitudine, et artium peritia præstabant. Quod de Haraldo rege testatur Glumus Geirii filius:

Regibus incutiens metum,
qui copiam Haldinskidii dentium
sibi acquisivit sæpius,
duodecem artes calluit[2].

dat. sing. n. g.; *í þvísa ljósi*, in hac luce, Njals S., Grag.; *á þvísa landi*, Skuggs. p. 186. *d*) si in loco Grettlæ citato *to þvísa*, refertur ad proximam vocem, *Islands*, (*á vit þvísa Islands*), esset gen. sing. n. g., ut adeo indeclinabile videatur. *ð*) *valjörð*, terra accipitris, manus; *men*, torques; *val-jarðar-men*, torques manus v. brachii, annulus v. armilla; ejus *veljandi*, rex Haraldus apposite vocatur, qui annulum poenæ loco posceret. *ε*) *lyngvi*, serpens, a *lyng*, erice; *lútr*, pr. cubile phocæ, scopuli, quibus amat incubare phoca; *lyngva lútr*, aurum; h. l. annulus.

[1]) nisi prout ipsis placuit, add. F.

[2]) Ordo: *Ognar stafr α) jöfra, sá er tíðum sótti fram β) Haldinskíða α) tanna of, kunni tólf íþróttir.* Nesciunt hoc hemistichium B, C, F, S, Sk.; reperitur in Hkr. V, 2.

Sæpius hi fratres omnes una fuerunt, interdum singuli seorsim; erant homines truculenti et animosi, in bello versatissimi et admodum victoriosi. Gunnhilda Regum-genitrix et filii ejus sæpius inter se colloquia et privatos conventus habuere, et de republica disputabant. Aliquando Gunnhilda filios suos interrogavit, quid de constituenda provincia Thrandheimica cogitassent: geritis quidem nomina regum, inquit, uti ante vos majores vestri gesserunt, sed exigua vobis est regni portio, inter multos dividua; in parte regni orientali Vikiam tenent Tryggvius et Gudrödus, et id quidem juris aliqua specie, propter genus suum; sed Sigurdus dynasta toti Thrandorum communi solus imperat, et equidem nescio, qua vos officii necessitate teneamini, ut dynastam tantam regni partem, vobis præreptam, tenere patiamini; et mirum mihi videtur, vos in piraticam excurrere, exteras regiones deprædatum, sed conterraneos homines pati, relictum vobis a parentibus regnum usurpare; atqui unum dynastam e medio tollere, res exigui negotii visa fuisset Haraldo regi,

a) *Hallinskíða*, Hkr., id.

a) *ógnarstafr*, baculus terroris, i. e. qui terrorem incutit; nam *stafr*, ut *meiðr*, aliaque vocabula, arborem vel lignum significantia, periphrasi agentis inserviunt; potest vero aliter ordo constitui, nempe: *Haldinskíða tanna ógnarstafr*, *sá er tíðum sótti fram of jöfra*, *kunni*, &c., i. e. qui auro metum incussit (rex munificus), v. qui auri vim ingentem possedit (quod Haraldo melius convenit), sæpeque reges virtute bellica anteibat, &c.; hac ratione, *sækja fram*, vertendum: in pugna procedere, virtutem in prælio exserere, et *of jöfra*, præ regibus (aliis). *β*) *Haldinskíði*, id. q. *Hallinskíði*, nomen Heimdalli, cujus dentes ex auro, v. Snorr. Edd. p. 30, §. 27; hinc dentes Heimdalli, poët. aurum; *of*, n. magna vis, ut in prosa sæpius *of fjár*, magna vis opum; *sótti frami*, puto, ab exteris regionibus petiit, in piratica sibi acquisivit.

cujus tu nomen refers! avo tuo, qui totam sibi subjecit Norvegiam, eique ad senectutem usque imperavit. Respondet Haraldus: haud æque facile est, Sigurdum dynastam e medio tollere, ac hædum aut vitulum[1] jugulare. Nempe Sigurdus dynasta amplo loco natus est, multos habet sibi cognatos, populi amore et prudentia viget; quare persuasum habeo, simulac certo cognoverit, bellum sibi a nobis metuendum esse, universos Thrandos ab eo staturos, nosque, si eo consilio illuc veniemus, male accepturos; quo accedit, quod nemini ex nobis fratribus tutum videri puto, res suas Thrandorum fidei committere. Cui Gunnhilda: immo alio prorsus modo hanc rationem instituamus: ego ac rex Haraldus et Erlendus proxima hieme in Mæria septemtrionali commorabimur, experturi, quid efficere queamus. Atque sic fecerunt.

Sigurdus dynasta in ædibus crematus.

Cap. 33. Grjotgardus nomen erat fratri Sigurdi dynastæ; is multo fuit ætate minor, minorisque æstimatus, neque ullo honoris titulo ornatus; tamen globum juvenum suo sumtu aluit, et per æstates piraticæ operam dedit. Rex Haraldus homines in Thrandheimum ad dynastam, cum muneribus et speciosis ad amicitiam verbis, misit, significans, se talem velle cum eo inire amicitiam, qualis inter eum et Hakonem fuisset; hoc quoque in mandatis erat: veniret dynasta ad regem Haraldum, et sic ambo integra amicitia conjungerentur. Sigurdus dynasta legationem et oblatam a rege amicitiam benigne accepit, multiplices occupationes excusans, quod regem convenire non posset; regi vero, pro ami-

[1]) agnum, F.

citia sua, amica munera et bona verba remisit. Legati revertentes, Grjotgardum conveniunt, eique eadem mandata afferunt, amicitiam et invitationem regis Haraldi, insuperque res eximie pretiosas. Profecturis Grjotgardus se adfuturum pollicetur, dieque statuta ad regem Haraldum et Gunnhildam venit, a quibus blande exceptus, amicissime tractatur et consiliis clandestinis adhibetur; demonstrant ei, quamdiu eum dynasta in obscuro jacere passus sit; significat ei rex, si consilia cum eis communicare velit, eum dynastam suum futurum, totamque ditionem, quam Sigurdus habuerit, retenturum. Eo tandem res deducta est, ut, arcanis initis fœderibus, inter eos conveniret, ut Grjotgardus speculatorem ageret, et regem faceret certiorem, quo tempore dynasta opportunissime opprimi posset. Quo facto, Grjotgardus, eximiis ab rege donatus muneribus, domum rediit.

Cap. 34. Hoc autumno Sigurdus dynasta, per interiora in Stjoradalum profectus, conviviis ibi interfuit, deinde per exteriora Öglam contendit, ubi convivio exciperetur. Consueverat dynasta, dum regibus minus credebat, frequenti comitatu secircum stipare; nunc vero, quod res ad amicitiam spectantes nuper inter eum et regem Haraldum intercesserant, non magnum hominum numerum secum duxit. Jam Grjotgardus regem Haraldum certiorem fecit, non alio tempore commodiorem adfore occasionem, dynastam opprimendi; quare statim eadem nocte reges Haraldus et Erlendus, quatuor vecti navibus, magno exercitu instructis, per interiora sinus Thrandheimici, stellante nocte, navigaverunt. Hic, cum se Grjotgardus eis conjunxisset, multa jam nocte Öglam, ubi Sigurdus dynasta convivio intererat, pervenerunt, ignem

ædibus subjecerunt, et villam incendio deleverunt; hic Sigurdus dynasta cum toto comitatu in ædibus concrematus est. Reges primo mane ex sinu navigarunt, et austrum versus in Mæriam tetenderunt, ubi aliquantisper commorati sunt. Hæc gesta sunt duabus hiemibus post necem regis Hakonis Adalsteinis alumni, secundum relationem sacerdotis Arii Thorgilsis filii Polyhistoris.

Pax inter Hakonem dynastam et filios Gunnhildæ facta.

Cap. 35. Hakon, filius Sigurdi dynastæ, in interiore Thrandheimo se continebat, quando fama accepit, patrem incendio peremtum. Hakon amplo genere erat ortus, multosque habuit cognatos; idem amicitiis et universi populi gratia valuit. Universi Thrandi, conversis ad Hakonem studiis, copiis et auxilio eum adjuvarunt; tantique per totum Thrandheimum motus et concursus extitere, ut quæque navis bello idonea in mare deduceretur. Ubi vero convenerat exercitus, Hakonem Sigurdi filium dynastam et principem exercitus creaverunt, tum ferme viginti[1] annos natum, qui universas copias per exteriorem sinum classe ducebat. Quo cognito Gunnhildæ filii austrum versus in Raumsdalum et Mæriam australem se contulerunt, missis invicem speculatoribus. Sic Hakon dynasta, opibus amicorum[2] suorum, Thrandheimum per tres hiemes ita tenuit, ut Gunnhildæ filii nullos inde reditus perciperent, neque posset eorum quisquam ostium sinus Thrandheimici intrare; nonnulla prælia adversus Gunnhildæ filios commisit; sed utrique (alias) multos invicem alterius factionis interfecere. Hæc me-

[1]) legendum videtur *þritugr*, pro *tvítugr*, cfr. Cap. 104 fin.
[2]) cognatorum, B, F.

morat Einar Lancicrepus in Vellekla (auri-penuria), quam de dynasta Hakone composuit:

Mucronis intentator, diligens
promissi, latam eduxit regno classem;
rex, alacer ad sustinendas Göndulæ
procellas, impatiens erat moræ.
Et explorator lunularum rubrarum
Hedini brachiorum, fortiter
extulit velum pugnæ, ut regum
contentionis sedaret cupidinem[1].

[1]) Ordo: *Ok eiðvandr oddneytir α) hafði úti breiðan flota; gramr, glaðr í göndlar veðrum β), svafði γ) bil. Ok Hèðins δ) bóga rauðmána reynir upphóf rógsegl ε) (af) kappi, at setja ζ) etju-lund a) jöfra.* Abest hæc stropha in C, F, S, Sk; in Hkr. reperitur, V, C. 6, str. 3.

a) sic Hkr.; *lundr*, A, quod commode explicari potest hoc ordine: *ok etjulundr Hèðins bóga raudmána reynir upphóf rógsegl, at setja kappi jöfra*, i. e. et contentiosus explorator, &c. extulit velum pugnæ, ut reprimeret spiritus regum; hac ratione *etjulundr* est, idem quod *etjulundaðr*, in contentionem pronus; *setja*, c. dat., transigere, componere, Vigagl. S, C. 7, 9; 27, 19.

α) *oddneytir*, qui utitur telo, præliator, sc. Hakon. *β*) *Göndul*, bellona, Hákonarmál 1; ejus *veðr*, pugna. *γ*) *svefja*, impf. *svafði*, sopire, Rigsm. 41, Völsungakv. 29; *svefja bil*, moram sopire, i. e. morari nolle. *δ*) *Hèðinn*, pirata, Edd. Snorr. p. 163-65; *bógr*, nunc fere de armis brutorum, apud veteres poëtas etiam de brachio: *vífs und vörmum bægi*, sub tepido feminæ brachio, Jomsv. S. ed. Havn., p. 39; *rauðmáni*, pro *rauðr máni*, luna rubra; itaque *Hèðins bóga rauðmáni*, rubra luna, in piratæ brachiis fulgens, poëtice est clypeus; eadem prorsus appellatio scuti est in Eyrb. C. 19, str. 5, *Fróða bóga bjúgröðull*, convexus Titan, in brachiis Frodii splendens; hujus *reynir*, pugnator. *ε*) *rógsegl*, velum pugnæ, clypeus; efferre clypeum est signum pugnæ, sublato clypeo, dare, pugnam incipere. *ζ*) *etja*, subst. certamen, contentio, a verbo *etja*, *atti*, incitare; huc pertinet *etjuhundr*, canis venaticus, Sturl. libr. 5, C. 45; *etjufœr hestr*, equus ad certandum idoneus, Vigaskutæ S. C. 23; et in vita Gislii Suridæ, ed. Hol. p. 160, *auðnu fótum í etju standa;* eadem ratione *etjulund*, esse potest,

Idem porro cecinit:

Non erat, quod diceres sanguinolenti
alitis exhilaratorem abstinuisse
procella sagittarum in densa
teligeræ deæ aspergine.
Missilem numen præliare grandinem
excussit aulæo Bellonæ fortiter;
irrequietus missor gladii
vitæ luporum consuluit[r].

Multa prius commissa est
piratæ vehemens procella, quam,

animus in contentionem pronus, et *setja etjulund jöfra*, spiritus regum (sc. Gunnhildidarum) frangere.

[1]) Ordo: *Sverða sverri fjarðar svan glýjaði a) var – at a) at frýja of byrjar örva β) í drífu odda vífs γ). Brakrögnir δ) hlók rakliga boga b) hagl or ε) hlakkar c) segli d)*; *óþyrmir ζ) hjörs e) barg varga fjörvi η)*. Abest hæc stropha in F, C, S, Sk; extat in Hkr., V, C. 6, str. 4, et posterius hemistichium in Edda Snorr., p. 163, str. 3.

a) sic Hkr. et B; *veit*, A, quod cum ceteris vocibus vix apte conciliari poterit; potuit autem *veit*, depravari ex *varat*, cum *var*, in membranis, fere soleat exprimi per unum *v*, supra scripto *r*; *at* vero facile in *eit* potuit divaricari. *b*) *bogna*, Hkr. et Edda, quod metro melius convenit et difficilius est, nempe a *bognir*, m. arcus, quam vocem in arcus appellationibus conservavit Skalda. *c*) sic B, Hkr., Edda; *hlakka*, in plur., A. *d*) *seglum*, (clypeis), B, Hkr., Edda. *e*) *hvel*, B.

α) *sverða fjörðr*, mare ensium, sanguis; ejus *svanr*, olor sanguinis, corvus; hujus *glýjaðr*, qui delectat corvum, præliator; *sverri*, intendit vocem *fjörðr*, ut sit mare sonorum, rapidum, a *svarr*, vehemens; unde *svarra*, cum strepitu ruere, Hákonarm., 7. *β*) *byr*, ventus (secundus), it. procella; *örva byr*, nimbus telorum, jaculatio; *of*, h. l. πάρελκει. *γ*) *odda víf*, femina telorum, bellona; ejus *drífa*, pugna. *δ*) *brak*, h. l. de strepitu armorum; ejus *rögnir* (Othinus), præliator; *boga hagl*, grando arcus, sagittæ. *ε*) velum bellonæ, sc. clypeus. *ζ*) *óþyrmir*, qui non parcit; *óþyrmir hjörs*, non parcens gladio, pugnator strenuus. *η*) *barg fjörvi*, i. e. magnam stragem edidit.

faventibus diis, terras orientales
missor gladii subegisset[1].

Porro hoc memorat Einar, quomodo dynasta Hakon necem patris sui ultus est:

Effero latisonam laudem,
quam meruit custos navium,
patris necem ultus; ea res effecit,
ut stringeretur gladius[2].

---

[1]) Ordo: *mart úla èl α) varð af ríki β), úðr randar lauks rækilundr γ) of tœki austr lönd δ) at mun banda ε).* Abest in C, F, S, Sk.

α) áli, pirata; ejus *èl*, pugna. *β) ríki*, vis; *af ríki*, vi, vehementer. *γ) randar laukr*, tigillum clypei, ensis; *rœkilundr*, duci potest a *reka*, propellere, v. a *rœkja*, curam gerere; itaque h. l. vel qui mittit gladium, vel qui gladii curam habet, i. e. pugnator; *lundr*, pro arbore sumitur. *δ) austrlönd*, h. l. Thrandheimus intelligitur. *ε) at mun banda*, voluntate deorum, ut diis placuit.

[2]) Ordo: *Ek ber α) frá a) hljóms lof, þá er β) vörðr hranna hrafna γ) vann hefnd síns föður; þat nam b) at vinna toginn δ) skjóma.* Abest in C, F, S, Sk.

a) fyrir, Hkr.; sc. *ek ber hljóms lof fyrir þá hefnd síns föður, er vörðr hr. hr. vann*, profero sonoram laudem, ob eam patris sui ultionem, quam exsecutus est navium custos. *b) varð*, B, sc. necesse fuit eam rem efficere, ut, &c.

α) Ek ber frá, divulgo, sermone celebro; unde adject. *frábœrr*, eximius, præstans; *hljóms lof*, laus soni, i. e. celebris fama. *β) þá er*, pr. cum, quando; in hoc nexu orationis difficultatem parat; quadamtenus procederet, si legeres *þar er*, eo, quod, vel *þat er*, eam (laudem) qua; difficilis quoque mihi videtur junctura verborum, sec. var. lect. *a*; est vero etiam, ut ita ordinem possis instituere, nonnihil diverso sententiæ colore: *Ek ber frá þá hefnd, er vörðr hr. hr. vann hljóms lof síns föður*, celebro eam vindictam, qua custos navium celebrem patris sui famam acquisivit; ubi *er*, idem valet, ac *með hvörri*, et *vann*, id. ac *ávann sèr*. *γ) hrönn*, unda; *hranna hrafn*, corvus undarum, navis; ejus *vörðr*, custos, possessor navium, vir, rei nauticæ peritus, h. l. intelligitur Hakon comes (satrapa). *δ) toginn*, alibi quoque de eductis gladiis occurrit, est vero part. pass. verbi obs. *tug, taug, toginn, tjúga*, ducere

Ferreus imber exasperantis
procellam gladii late pluebat
in vitas ducum; atque gestor prælii
numerum auxit subditorum Othini.
Et sonitus navalis moderator
vitæ periculosas gladii tempestates
in militum tegumina incitavit,
in Othini tempestate[1].

(id. q. *toga*, *togaði*, inde formatum); *vinna*, cum part. pass. frequens est apud poëtas; sensus est: ea res (vindicta patris) non effici potuit sine multis prœliis.

[1]) Ordo: *meel a) regni α) hjörs-hríð-remmis β) rigndi á b) fjör hersa γ), ok c) δ) þrymlyndr d) jók ε) þundi e) þegns gnótt. Ok ζ) haf-faxa-hjald-viðurr f) lèt lýsköld η) lausa veðr ϑ) vaxa at lífum ι) hölda í g) κ) húrs h) drífu.* Abest in C, F, S, Sk.

a) ok men, pro *meel*, Hkr., sed ibi ceteri codd. omnes habent *mœil* v. *meil*, quare videndum, præferendane sit hæc lectio alteri. *b) af*, Hkr., (forte *of*, super). *c) of*, pleon. Hkr. *d) þrimlundr*, Hkr. *e) þundr*, B. *f) haldviðurr*, qui tenet, dirigit, Hkr. *g)* hanc præpos. addit Hkr., ex unico codice; ceteri omnes eam nesciunt; ea omissa, jungendum est: *húrs drífu höldar*, viri militares. *h) Haralds*, B, Haraldi sc. Grafeldi; forte *hars*, scriptum fuit *hārs*, sc. *haralds*.

α) meel-regn, primo putavi nihil aliud esse quam *mèl-regn*, pluvia farinæ, i. e. pluvia tenuis et densa, instar farinæ, et huc trahendum esse *hjörs*, ut, *mèlregn hjörs*, idem esset, ac *sverða drífa*, nimbus densus telorum; deinde *hríð*, absol. pro pugna esse accipiendum, ut sæpius. Quod ad sensum et similem tropum attinet, contuli hemistichium Thjodolfi (puto: Arnoris filii, ejus, qui Sexstefjam composuit), quod citatur in Codice Eddæ Snorr. mscr., in tractatu de Tropologia, qui locus deest in ed. Holm. (in qua ingens hiatus est p. 329, ante epitheton); hoc hemistichium tale est: *Lèt hrœteina hveiti hrynja gramr or brynju, vill at vexti belli valbygg Haraldr Yggjar;* ubi *hveiti hrœteina*, triticum ensium, et *valbygg Yggjar*, hordeum Othini, cum nostro *meelregn hjörs*, omnino putavi convenire. Postquam vero mihi Sturlungorum historiam forte percurrenti vox *mèl*, se obtulerat, non dubitavi, quin ferrum, vel simile quid, denotaret; locus est Sturl. libr. 7, C. 30, str. 6: *ruðust mèl í styr stála stinn*, sc. in pugna rubuere dura metalla; convenit nostrum *mèl*, frenum,

Post hæc utrorumque amici internuntios agebant, et pacis conditiones Eiriki filiis et Hakoni

lupus; forte cognatum est *tō mál*, de quo vide gloss. Vigagl. S., exemplaque ibi allata, quibus adde unum ex vita Gislii Suridæ, C. 11, ed. Hol.: *Nú eru tekin grásíðu brot, er Þorkell hafði hlotit í skiptum þeira bræðra, ok gjörir Þorgrímr þaraf spjót, ok var þat algjört at kvöldi; mál var í ok fœrt í hepti spannarlángt.* Verum, an *meel* pluralis sit *tē mál*, ut *meðr, menn*, nom. s. *maðr, mannr*, peritioribus judicandum relinquo. Ceterum occurrit hæc eadem vox, ad variantes lectiones relegata, in Edda Snorr. p. 161, str. 2, ubi scribitur *meil* in Cod. Vornianno et Uppsaliensi, in quo loco, ut in nostro, intelligitur telorum nimbus; quod vero *e* vel *i* in voce additum est, deberi puto vel librariis, qui metro hac ratione melius consultum putarint, vel pronunciationi elegantiam sectanti, quemadmodum *mýls*, in Edda Snorr. p. 121, str. 3, effertur *mýils*, inserto *i*. *β*) i. e. præliatoris, sc. Hakonis; *hjörs hríð*, procella gladii, jaculatio v. pugna; ejus *remmir* (a *rammr*), qui ingravescere facit pugnam. *γ*) cum hoc loquendi modo confer similem locutionem in Höfuðlausn: *fleinn hitti fjör*, telum tetigit vitam, i. e. vitalia, sc. necem attulit viris. *δ*) *þrymlyndr* accipi potest vel ut adject., vel ut substant., a *þryma*, id. q. *þruma*, tonitru, it. pugna; ita *þrymlyndr*, animo in pugnas prono, bellicosus, et hoc l. pro subst., bellator; vel *lyndr*, idem est ac *lundr*, lucus, it. quævis singula arbor; simili modo resolvi potest var. l. *þrimlunda*; sensus eodem redit. *ε*) i. e. Einherjorum numerum auxit, multos ad Valhallam misit, neci dedit. *ζ*) i. e. præliator, nempe Hakon; *haffaxi*, equus maris, navis; *hjaldr haffaxa*, pugna navalis; ejus *viðurr*, bellator; *hjaldr*, pr. sonitus, (a *hjala*, ut *galdr*, a *gala*), it. pugna; in obliquis duæ adsunt formæ, *hjaldrs* et *hjalds* (ut *meldr*, gen. *meldrs* et *melds*), ex posteriori est *hjaldviðurr* (pro *hjalds viðurr*). *η*) *lífkaldr*, vitæ periculosus, a *kaldr*, frigidus, it. dolosus, noxius. *θ*) *laufa veðr*, pugna, a *laufi*, leo, it. nomen gladii. *ι*) Per me perinde est, utrum *lífum* ducas a *hlíf*, tegumen, sc. arma defensoria, an a *líf*, vita, vide *γ*. *κ*) *hárr*, nomen Othini; unde *hárs drífa*, pugna; quod si vero probabile videbitur *hars*, vitio librarii esse pro *Haralds*, (var. lect. *h*) hic ordo existet: *lét vaxa lífköld laufadrífu veðr at lífum Haralds hölda*, quando *veðr laufa drífu*, foret vehementia, impetus jaculationis.

dynastæ proponebant; deductaque eo res est, amplissimis hortantibus viris, ut pax ita conveniret, ut Hakon tantundem ditionis in Thrandheimo teneret, quantum tenuerat Sigurdus dynasta pater ejus, reges vero, quantum rex Hakon ante eos tenuerat. Hæc pax firma utrinque fide sancita est. Quo facto magna extitit amicitia inter dynastam Hakonem et Gunhildam, interdum vero dolos invicem intendebant. Sic aliæ tres hiemes procedebant, dynasta quiete in regno suo se continente.

Natus Eirikus Hakonis filius.

Cap. 36. Dynasta Hakon, cum hieme quadam per Upplanda proficisceretur, quo loco deversatus est, accidit, ut cum muliere, parvo loco nata, concumberet. Procedente tempore, partum ferre cæpit mulier, qui in lucem editus, puer erat, et Eirikus nominatus est; quem mater ad Hakonem ferens, eum patrem professa est. Dynasta puerum educari fecit apud virum, nomine Thorleifum Sapientem, in Medaldalo habitantem, virum potentem, divitem, et dynastæ intima junctum amicitia. Brevi in Eiriko magni viri indoles elucebat, matureque pulcritudine, statura et viribus excellebat; dynasta vero parum eum curabat. Fuit Hakon dynasta omnium hominum facie pulcherrimus, statura mediocri, in exercitiis perquam peritus, insigni prudentia, et in bello versatissimus. Autumno quodam dynasta ad Upplanda profectus, cum in Heidmarkiam pervenerat, ex condicto ad eum venerunt rex Tryggvius Olavi filius et rex Gudrödus Björnis filius, item Gudbrandus Dalensis. Hi, loco et tempore condicto congressi, secreta diu colloquia habuere, quorum id tantum in vulgus exiit, mutuam amicitiam pactos; quibus actis digressi, in suum quis-

que regnum rediere. Rex Tryggvius Olavi filius fuit vir potens et magnæ auctoritatis, et Vikensibus maxime idoneus visus est, qui totius regni imperio rex præesset; hujus intimus amicus fuit Gudrödus Björnis filius. Gunnhilda filiique sui, cognito, hos principes mutuam amicitiam pactos, suspicati, proditionem contra reges molitos, sæpius hac de re inter se consultant et consilia conferunt. Cum vernabat, rex Haraldus et Gudrödus frater ejus in vulgus faciunt notum, se ea æstate piraticam expeditionem suscepturos, vel in mari occidentali, vel orientali, prout antea fuerant soliti. Itaque contractis copiis, navibusque in mare deductis, itineri se accingunt. Qui cum suam domo profectionem compotatione celebrarent, largiusque poculis indulgeretur, varii inter potandum sermones miscebantur. Tandem hominum comparatione instituta, cum de ipsis regibus disputari cœptum esset, et convivarum aliquis assereret, Haraldum cunctis in rebus fratrum suorum esse præstantissimum, rex Gudrödus, ira valde commotus, contendit, se nulla in re Haraldo fratri suo esse inferiorem, seque jam paratum, ut hujus rei periculum faciat. Eo demum res venit, ut ambo, vehementem iram vultu præferentes, tanta contentione rem certarent, ut ad pugnam se mutuo provocarent et ad arma provolarent. Sed homines saniores, vinoque minus gravati, intercedentes impetum eorum sistunt. Hinc suas quisque naves petiverunt, interrupta, prouti vulgo visum est, proficiscendi societate. Re autem vera hoc nihil fuit, nisi dolus ipsorum fratrum, et Gunnhildæ, matris eorum, fraudulentum consilium, ut postea docuit experientia, ut eo minorem haberent fraudum suspicionem, quas conco-

querant et postea ad effectum perduxerunt, si mutuam discordiam simularent. Rex Gudrödus orientem[1] versus tendebat, litora legens; sed Haraldus in altum cursum dirigebat, simulans, se mare occidentale trajecturum; cum vero extra insulas pervenerat, orientem[2] versus, secundum terram, aperto mari cursum tenuit. Rex Gudrödus, per tractum maris vulgo frequentatum, orientem versus in Vikiam, deindeque trans sinum Foldensem, navigavit. Tum ad regem Tryggvium misso nuntio, eum se convenire rogat, ut ambo socii ea æstate piraticam in mari orientali expeditionem facerent; ad quod rex Tryggvius promtum et paratum se ostendit; et cognito, exigua manu adesse Gudrödum, una cursoria vectus eum convenit. Congressi sunt juxta Veggos ab occidentali[3] latere Sotanesi. Hic, progredientibus ad colloquium regibus, advolantes Gudrödi milites regem Tryggvium et duodecim ejus comites occiderunt; jacet eo loco, qui deinde appellatus est Tryggvareyr (moles saxea Tryggvii).

Gudrödus ab rege Haraldo cæsus.

Cap. 37. Rex Haraldus, per exteriora navigans, cursum direxit in Vikiam, ubi sub noctem Tunsbergum appulsus, comperit, regem Gudrödum Björnis filium haud procul inde in superiore regione convivio interesse; illuc igitur Rex Haraldus cum suis eadem nocte contendit, et domum militibus circumdedit. Rex Gudrödus cum suis egressus, cum multitudini resistere non posset, cecidit, magnaque suorum pars; quo facto, rex Haraldus confestim abiit, fratremque Gudrödum convenit; deinde ambo totam Vikiam in potestatem suam redegerunt.

[1]) austrum, B, C. [2]) austrum, B, C. [3]) exteriore, F, Th.

De Haraldo Grœnlando.

Cap. 38. Rex Gudrödus Björnis filius conjugem duxerat bonam, sibique dignitate parem; hi filium procrearunt, nomine Haraldum, qui nutriendus in Grœnlandum missus est ad Hroium Album, præfecti dignitatis virum. Filius Hroii fuit Hranius Peregrinator, Haraldo ætate par, ejusque coalumnus. Post cædem Gudrödi Björnis filii Haraldus filius ejus, qui Grœnlandus cognominatus est, primo in Upplanda profugit, comitatus Hranio coalumno suo, paucisque aliis, ibique aliquamdiu apud consanguineos suos commoratus est. Eiriki filii eos magnopere perquirebant, qui criminum in ipsos commissorum rei erant, maximeque hos, quos adversarios sibi futuros opinione præcipiebant; quare Haraldo amici sui et consanguinei suadebant, ut patriam relinqueret. Haraldus itaque orientem versus in Svioniam concessit, societatem, cui se adjungeret, circumspiciens, et si qua posset in globum recipi eorum, qui opum parandarum causa in piraticam excurrere solebant. Haraldus artis naturæque bonis apprime instructus erat. Tostius dictus est vir quidam in Svionia, unus in potentissimis et honoratissimis ejus regni viris, quos quidem nullus dignitatis titulus honestabat; idem belli studiis quam maxime deditus, et diu in piratica versatus, quapropter dictus est Skögulæ (Bellonæ) Tostius. Hic Haraldus Grœnlandus societati (piraticæ) se adjunxit, et hac æstate piraticam cum Skögulæ-Tostio faciebat, omnium favorem sibi concilians; sequentem hiemem apud Tostium transegit. Haraldus duas hiemes in Upplandis commoratus fuerat, quinque vero hiemes apud Tostium versatus est. Erat Tostio filia, nomine Sigrida, parvo natu, venusta, animi vasti et

elati[1]; hæc postea nupta est Eiriko Victorioso, Svionum regi; ex his natus Olavus Svecus, qui postea Svioniæ rex fuit; Eirikus Upsalis mortuus est, decem hiemes post cædem Styrbjörnis.

De rebus ab Hakone dynasta præclare gestis.

Cap. 39. Gunnhildæ filii magnas ex Vikia copias evocabant, sicque aquilonem versus litora legebant, ut copias navesque ex quavis provincia sibi adjungerent, jam palam facientes, se has copias aquilonem versus in Thrandheimum contra Hakonem dynastam ducturos. Quibus rebus mox cognitis, Hakon dynasta copias cogit, naves milite complet; cum vero didicisset, quantam secum traherent militum multitudinem Gunnhildæ filii, exercitu austrum versus in Mæriam ducto, quacunque ibat, prædas egit, homines, quos assecutus est, tam potentes, quam inferioris ordinis, interfecit. Deinde, data copiis colonorum Thrandorum redeundi venia, ipse per utramque Mæriam et Raumsdalum[2] arma late circumtulit, missis austrum versus ultra Stadum, qui exercitum Gunnhildæ filiorum specularentur. Quos cum comperisset in Fjördos advenisse, ibique secundum exspectare ventum, quo boream versus Stadum prætervehi possent, austrum versus Stadum præternavigavit, per apertum mare tam longe a litore cursum tendens, ut vela navium a terra conspici non possent; et hoc pacto orientem versus terram prætervectus, in Daniam pervenit; inde in mare orientale vectus, per æstatem ibi prædas egit. Gunnhildæ filii boream versus copias in Thrandheimum

[1]) hujus nuptias ambiit Haraldus Grænlandus, ea vero illum atque plures reges, qui eam petiverant, incendio necavit, quam ob rem magnifica (μεγαλωπραγμὼν) appellata est, add. F.

[2]) Forsdalum, C.

duxerunt, ibique perquam diu commorati, census et tributa a colonis exegerunt. Vergente æstate, Sigurdus Slefa et rex Gudrödus ibi remanserunt, Haraldus vero, et ceteri fratres, cum copiis navalibus, quæ illos hac æstate eo secutæ fuerant, regiones ad orientem positas petiverunt.

Cædes regis Sigurdi Slefæ.

Cap. 40. Sequenti autumno Hakon dynasta ad Helsingiam classe advectus, subductis ibi in terram navibus, terrestri itinere per Jamtiam et Helsingiam, deinde per Carinam, in Thrandheimum descendit, ubi confluente mox ad eum magna multitudine populi, naves milite complevit. Quo cognito, Gunnhildæ filii, conscensis navibus, excurrunt e sinu; dynasta vero Hakon, Hladas profectus, ibi per hiemem commoratus est, Gunnhildæ filiis in Mæria sedentibus; hinc utrinque incursionibus et cædibus se mutuo lacessebant. Hakon dynasta regnum suum in Thrandheimo tenuit, ibique sæpissime per hiemes moratus est; per æstates autem, mare orientale ingressus, piraticam exercebat; sed interdum per æstates in Thrandheimo commoratus, expeditum exercitum habuit; quare Gunnhildæ filiis ab aquilone Stadi manendi potestas non fuit. Æstate quadam Haraldus Grafeldus (cinereo sago indutus) cum exercitu in Bjarmiam profectus[1], prædas agebat, ingentemque pugnam cum Bjarmis in ripa Vinæ commisit, superiorque discessit, magna edita hominum strage; deinde regionem late vastavit, ingentique præda potitus est. Sic dicit Glumus Geirii filius:

[1]) de hac expeditione mentionem quoque facit vita Kormaki mscr. Cap. 19., quæ eam ad annum 965 referre videtur.

Loquens animose oppressor regulorum
ardentem gladium rubefecit
in oriente, ubi fecit gentes
trans oppida fugere Bjarmicas.
Contigit in hac expeditione
procella gladii juveni principi;
nactus est arbiter virorum
in ripa Vinæ clarum nomen[1]

Klyppus nomen erat duci, amplo genere orto et potenti, in Hördia, filio Thordi, Karii Hördensis filii. Klyppo duci uxor fuit, nomine Olava[2], filia Asbjörnis, soror Skeggii Ferrei ab Yrjis; frater Asbjörnis fuit Hreidar, pater Styrkaris, patris Eindridii, patris Einaris Thambarskelferis (arcipotentis)[3]. Rex Sigurdus Slefa ad villam Klyppi ducis se contulit; domo abfuit Klyppus, Olava vero, uxor ejus, regem benigne excepit, lauto apparato convivio, in quo strenue potatum est. Sequenti nocte rex Sigurdus lectum Olavæ pe-

[1]) Ordo: *Orðrákkr jöfra þrýstir rauð a) brennanda brand austr, þar er lèt b) Bjarmskar c) kindir renna fyrir norðan bý; í þeirri för fèkkst úngum öðlíngi d) geirveðr e); gumna sættir lúut gott orð á Vínu borði.* Abest in, F, S, Sk.:

a) hæc est lectio C et Hkr.; *rèð*, A, B, quod etiam procedit, si sequens voc. *brand*, accipitur pro dat. *brandi*; nam *ráða brandi*, regere gladium, est gladio uti, pugnam gerere; sic verbum, *ráða*, etiam in prosa, habendi, tractandi, notionem habet, v. c. Eyrb. p. 238: *hvítum ræðr þú enn hjöltunum*, et mox: *ræðr deigum brandinum*; quod ex responso mox subsequenti apparet: *þat vilda ek, at þú reyndir, hvort ek hefða deigan brandinn*; sequens epithetum, *brennanda*, intellexi de ense, perpetuis cædibus calido; referri tamen possit ad *bý*. *b*) *sá ek*, vidi, Hkr. *c*) *Bjarma*, Bjarmiorum, B, C. *d*) *öðlíngr*, (in nom.), B, C, quando *fèkkst*, idem valet ac *fèkk sèr*, comparavit sibi; v. C. 19, str. 1, var. lect. *a*. *e*) *geirvaðr*, C, corrupte, ut puto.

[2]) Alava, id., C. [3]) Undalinus in Geogr. Norv. pag. 56, vocat arcum Einaris *Tamb*; Edda Snorr. mscr. affert *þömb*, arcus; propr. vero est intestinum, et hinc nervus.

tiit, et cum ea invita concubuit; quo facto discessit. Sequenti autumno[1] rex Haraldus et Sigurdus in Vorsiam profecti, colonos ad comitia vocarunt, qui in comitiis reges aggressi sunt, illos occisuri; sed fuga elapsi sunt, rege Haraldo boream versus in Hardangriam concedente, Sigurdo vero Alrekstados petente, ibique considente. Quo cognito, Klyppus dux cognatos suos et amicos frequentavit, regemque aggressum ivit, duce profectionis viro quodam, qui dictus est Vemundus[2] Völubrjotus. Ad villam delati, regem Sigurdum adorti sunt; Klyppus regem gladio transfixit, quo vulnere mortuus est; ipse vero Klyppus e vestigio occisus est.

Prœlium ab Hakone dynasta commissum.

Cap. 41. Rex Haraldus Grafeldus, et Gudrödus frater ejus, ingentem exercitum[3] contraxerunt, et has copias boream versus in Thrandheimum duxerunt. Quo cognito, Hakon dynasta, collecto exercitu, austrum versus in Mæriam profectus, eam igne ferroque vastavit; aderat ibi Grjotgardus, patruus ejus, ei regioni a Gunnhildæ filiis custos præpositus; is copias evocavit, prout ei per nuntios reges præceperant. Hakon dynasta copias adversus eum movit, prœliumque commisit, in quo cecidit Grjotgardus, duoque dynastarum filii, aliaque ingens turba. De qua re ita Einar Lancicrepus:

Galea tectus rex duriter
suos percussit inimicos;
eo ductum est flumen
Othiniani liquoris,
quod tres apprime fortes
satraparum filii ceciderunt

[1]) fratres, add. C, F. [2]) Vermundus, F. [3]) ex australi regni parte, add. C, F; lectio cod. B: *Sói* pro *landi*, ex male lectis litteris et siglis orta videtur.

in pluvia gladii; id famam
egregio parit præliatori[1]

His gestis, Hakon dynasta, cursu extra insulas directo, longius a terra navigans, austrum

[1] Ordo: *Hjálmfaldinn a) hilmir vann harð b) – barða a) fjandr sína; því kom vöxtr í vínu β) lopts vinar vínheims, at prír forsnjallir jarls synir fèlu í þundar c) furs skúrum γ); þat fær δ) þróttar d) snytri e) tírar.* Abest in, F, S, Sk.

a) hjálmgrapi, in grandine galeæ, sc. pugna, Hkr.; *hjálm grap er*, B; *hjálm greip er*, C, obsc. *b) harðr*, strenuus, Hkr. *c) þróttar*, pugnæ, v. Othini, Hkr. *d) þjóðar*, populi (decus), rex, Hkr.; *þjóstar*, forte: pugnæ, B, C. *e) snytri*, B, idem.

a) harð, junxi cum *barða*, quamvis raro cum verbis componatur, ut *harðhenda*, dura manu comprehendere; *vann harðburða*, fecit duriter percussos, i. e. duriter percussit. *β)* Hæc sententia bifariam exponi potest, ob voces *vína*, quæ derivari potest a *vina* et *vinr*, et *vinheims*, quæ pronunciari potest vel *vinheims* vel *vinheims*: *a) vina* et *vína*, propr. Dvina, Russiæ fluvius, in amnium nomenclatura affert Edda Snorr. p. 218; *vínheimr*, domicilium vini, vas vinarium; *Loptsvinr*, amicus, sodalis Lopti v. Lokii, Othinus; hinc *vínheimr Loptsvinar*, vas mulsi poëtici, Odrærir v. Bodna, hujus *vina*, amnis, vel flumen Bodnæ; hac ratione sensus est: propterea incrementa cepit carmen, i. e. quæ res materiam dedit prolixo carmine res gestas principis celebrandi; huic interpretationi favet vox *vöxtr*, quæ proprie de abundatione amnium dicitur. *b) vinheimr*, domicilium amicum; *vínheimr Loptsvinar*, sedes Othino amata, Valhalla; ejus *vinir*, amici Valhallæ, Einherji, quorum numerus h. l. auctus dicitur, occisis tribus præfectis; favet huic interpretationi idem poëta, supra, C. 35, str. 5; obest vero vox *vöxtr*, quæ in hoc orationis contextu minus apta videtur. Neminem autem objecturum puto, *ro vinheims*, in metrum peccare, cum tales semiconsonantiæ sæpissime occurrant, ut in hujus strophæ versu 6to: *furs í þróttar skúrum*, ubi syllabæ *fur* et *skúr*, semiplenam reddunt litterarum metricarum consonantiam. *γ) þundar furr*, ignis Othini, gladius; *skúrir*, jaculatio. *δ)* i. e. Hakoni satrapæ; *snytrir*, qui ornat, a *snotr*, elegans; *þróttr*, fortitudo, it. pugna; *þróttar snytrir*, qui ornat pugnam, doctus pugnæ, excellens imperator, vel qui fortitudinem colit, exhibet; alibi sæpe occurrit *snytrir*, quod dictum per metathesin videtur.

versus Norvegiam prætervectus, in Daniam pervenit, ubi Haraldum Gormi filium, Danorum regem, conveniens, benigne excipitur, hiememque apud eum commoratur. Tum quoque cum Danorum rege versabatur vir quidam, nomine Haraldus, filius Knuti Gormi filii, Haraldi regis ex fratre nepos; is ex piratica redierat, in qua diu versatus, ingentem pecuniarum vim cumulaverat, quare Haraldus Aurosus(πολύκρυσος) cognominatus est; ad hunc imperium Daniæ jure pertinere vulgo credebatur.

De imperio Gunnhildæ filiorum.

Cap. 42. Rex Haraldus Grafeldus et fratres[1] ejus copias in Thrandheimum duxerunt, nemine jam resistente, (abscesserat enim Hakon dynasta), ibique census et tributa omnesque regios reditus exegerunt, et adhæc colonis ingentem pecuniæ mulctam irrogaverunt, quod reges longo jam tempore parum tributorum ex Thrandheimo perceperant, quamdiu Hakon dynasta regionem magno cum exercitu insidens, bella cum regibus gesserat. Sequenti autumno rex Haraldus in australes[2] regni partes cum plerisque militibus, qui ibi domicilia habebant, profectus est; Erlendus vero cum suis remansit, hic colonos gravibus exactionibus vexavit et acerbius eos tractavit. Quare coloni obmurmurare consiliaque conferre cœperunt, et post eadem hieme undique convolantes, magno effecto exercitu, adversus regem Erlendum in convivio constitutum contenderunt, et cum eo conflixerunt; quo prælio rex Erlendus multique cum eo homines cecidere.

Natus Olavus Tryggvii filius.

Cap. 43. Astrida dicta est femina, quam rex Tryggvius Olavi filius in matrimonio habuerat;

1) hanc vocem, quæ abesse non potest, add. B. 2) orientales, C.

erat ea filia Eiriki Bjodaskallii[1], viri potentis, qui Ofrostadis habitavit. Post cædem vero regis Tryggvii aufugit Astrida, clam secum, quantum asportare potuit, pecuniarum auferens. Eam comitatus est nutricius ejus, qui nominatus est Thorolfus Lusaskegg (barba pediculosa), qui assiduus ei comes adhæsit; cæteri vero amicorum ejus fidissimi exploratum ibant, famam de inimicis ejus captantes, eorumque itinera speculantes. Astrida partum ex rege Tryggvio ferens, in lacum quendam[2] se transportari jussit, ubi in insula quadam cum paucis hominibus delituit; hic partum enixa est, infantem marem, quem Thorolfus, aqua lustratum, de nomine avi paterni Olavum nominavit. Hoc accidit anno ab incarnatione Domini nostri nongentesimo sexagesimo[3] nono, anno trigesimo secundo imperii Ottonis Magni imperatoris, et primo anno Jatvardi, Angliæ regis. In dicta insula per æstatem latuit Astrida; ubi vero noctes fieri cœperunt tenebrosiores, dies contractiores, aërque frigidior, tum Astrida, et cum ea Thorolfus, abitum parant, paucis comitantibus; tractus habitatos non permearunt, nisi noctu[4] latentes, nec in ullius conspectum venerunt. Die quodam sub vesperam Ofrostados ad Eirikum, patrem Astridæ, pervenerunt, conspectum hominum fugientes. Astrida ad villam præmisit, qui adventum Eiriko nuntiarent; qui eos ad ædem quandam solitariam deduci jussit, mensamque apponi optimis cibariis structam. Hic cum brevi commorata fuerat Astrida, comites ejus abierunt, sed ipsa remansit, nec non duæ famulæ[5], filius

[1]) *Bjóðaskalli*, (*sá sem otar skalla*, Κρανιωθης), obferens, objiciens sinciput, ad formam *τȣ slaungvanbaugi*. [2]) qui Rönd appellatur, add. F. [3]) quinquagesimo, B, C. [4]) interdiu; F. [5]) duo famuli, B, C.

ejus Olavus, Thorolfus Lusaskegg, et hujus filius Thorgils[1], sex annos natus, qui ibi per hiemem remansere.

Consilia Gunnhildæ adversus Astridam et Olavum.

Cap. 44. Rex Haraldus Grafeldus et Gudrödus, frater ejus, post cædem regis Tryggvii Olavi filii, ad prædia, quæ ei fuerant, se contulerunt; tum vero Astrida inde abscesserat, de qua nullam auditionem acceperunt; interea rumor ad eos venit, eam partum ferre ex rege Tryggvio. Sequenti autumno ad borealis regni partes se contulerunt, ut supra scriptum est; qui matrem Gunnhildam convenientes, ei omnes rerum circumstantias, quæ in itinere eorum gestæ erant, exposuerunt: illa diligenter de rebus ad Astridam pertinentibus perquisivit; illi de ea re rumorem, qualis ad eos pervenerat, narrant. Gunnhilda: verum est, credo, eam Tryggvii filium educaturam, nisi aliqua ratione occurratur. Eam vero ob causam, quod Gunnhildæ filii hoc eodem autumno, nec non sequenti hieme, contentiones cum Hakone dynasta habuerunt, ut supra scriptum est, nulla hac hieme inquisitio de Astrida ejusque filio facta est. Proximo autem vere Gunnhilda homines in Upplanda et in Vikiam usque misit, qui res Astridæ explorarent; qui exploratores, ad Gunnhildam reversi, id potissimum de Astrida referre habuerunt, eam forte apud patrem Ofrostadis versari, veroque perquam esse simile, eam ibidem filium educare regis Tryggvii, se vero neutrum eorum vidisse affirmarunt. Hakon nomen fuit viro potenti, Gunnhildæque amicissimo; huic mandavit, ut Ofrostados ad Eirikum proficisceretur, indeque filium Trygg-

[1] hoc nomen add. B, C.

vii abduceret, sibique traderet; eidem triginta comites præsidio dedit, omnes ab armis et equis[1] bene instructos. Illi, qua ferebat via, iter perrexerunt, donec haud procul ab Ofrostadis abessent; heic amici Eiriki, de itinere eorum et adventus causa certiores facti, ei de emissariis Gunnhildæ indicant. Hoc sub vesperam accidit; sed confestim eadem nocte Eirikus Astridam filiam suam itineri accinxit, datis ei idoneis viæ ducibus. Cum multa jam supererat pars noctis, abeuntes ex septo villæ deducit Eirikus, Astridamque alloquitur: ideo tam subito hinc vobis discedendum est, quod vos heic tueri non possum, nam Gunnhilda filium tuum conquirit, ut eum de medio tollat; vos autem orientem versus in Svioniam mittere constitui ad virum mihi amicissimum, nunc dictum Hakonem Grandævum; hic atque ego diu una piraticam exercuimus, intima juncti societate, communi usi crumena; quem ego omnibus in rebus fidissimum virum expertus sum; nunc vero, etsi honoris titulo careat, amplam in Svionia ditionem tenet, magnaque valet auctoritate, quem ego confido mea causa sedulam vestri curam habiturum. His dictis Eirikus ad villam regreditur; illi iter ingrediuntur, et ad vesperam pagum intrant, Skanam dictum; ubi ingentem villam conspicientes, eo se conferunt, hospitium per noctem petentes; celantes, qui essent, vilia vestimenta induerant. Vir, qui hic habitabat, Björn Eiturkveisa (importunus) dictus, dives quidem, sed inhospitalis, domo eos expulit; quare eadem vespera haud procul inde alium pagum, Vizlas[2] dictum, adierunt, ubi habitabat colonus, nomine Thorstein, qui illis hospitium per noc-

[1]) vestimentis B, C. [2]) Vittlas, F.

tem præbuit, benigneque[1] eos tractavit; et hac quidem nocte commodo usi sunt hospitio. Hakon, a Gunnhilda missus, Ofrostados cum suis pervenit mane diei, cum Astrida ac comites proxime antecedente nocte abscesserant; ille de Astrida filioque ejus quærit; negat Eirikus, eam ibi esse; cujus dictis cum fidem non haberet Hakon, villam, tam intus, quam foris, diligentissime perscrutatus est; hic multum diei immorantes, indicio quodam iter Astridæ docti, equos adducunt, et eadem, qua Astrida comitesque ejus iverant, via equitantes, vesperi in Skanam ad Björnem Eiturkveisam perveniunt, ibique pernoctant. Hakon Björnem interrogat, an ei de Astrida quicquam posset nuntiare. Björn respondet: advenerunt huc quidam proximo die male vestiti, nocturnum hospitium petentes; quos, cum pauperes esse crederem, domo expuli, omnes enim mendici mihi sunt odiosi; memoriæ tamen recurrit, in comitatu eorum esse feminam mirifice venustam, quamvis mendico habitu, parvoque natu puerum perpulcrum, et adhuc virum ætate provectum, et puerum aliquot annos natum; hi, credo, alicubi[2] in vicinis pagis hospitantur. Hoc eodem vespere operarius Thorsteinis, e sylva redux, villam Björnis accessit, ita ferente ejus via; sentit, complures adesse advenas, adventusque eorum causam doctus, hæc omnia Thorsteini colono, domum reversus, indicat. Cum tertia pars noctis jam supererat, Thorstein hospites suos, somno excitatos, confestim domo facessere jussit, allocutus eos voce concitatiore[3], vultuque ad minas composito. Cum extra septum

[1]) *góðan beina*, has vocc. add. C. [2]) *nákkvar*, adverb. vide Tom. 2, p. 15, hujus vers. [3]) *harðliga* (pro *herst*), durius, F; *hast*, var. lect. Hkr.: animo commotiore; quæ voces cognatæ videntur,

in viam progressi essent, Thorstein Astridam comiter salutavit, dicens: haudquaquam vos sævitia aut malignitate tam cito et inclementer domo mea excedere jussi, sed ideo, quod missi ab Gunnhilda Regum-genitrice ad Björnem Eiturkveisam advenerunt, eo consilio, ut natum ex te et rege Tryggvio filium abreptum ei tradant. Jam vero vos, me præmonstrante, in sylvam progrediamini, donec lacum quendam offendetis; in lacu est insula, arundine obsita, quo facile vadari potest; heic in arundine vos occultate, et manete, donec ad vos veniam. Nunc vero mihi primo domum redeundum est, præsagio enim, missos ab Gunnhilda huc brevi vos quæsitum venturos; quibus si me socium inquisitionis junxero, magis providere potero, ne inveniamini. His dictis, ad villam regreditur Thorstein; illi vero in sylvam ad lacum progressi sunt, et in insula, prout præceperat, se occultarunt. Mane diei Hakon a Björne in pagum equitavit, et, quocunque locorum pervenit, Astridam quæsivit; ad Thorsteinem veniens, interrogavit, an eo venissent. Thorstein respondit: heic homines aliqui pernoctarunt, qui sub lucem orientem versus in sylvam se contulerunt. Hakon: ergo age, comes nobis esto in iis quærendis, ut cui omnes viæ latebræque sylvestres notæ sint. Annuit Thorstein, seque confestim accinxit. Cum in sylvam venissent, Thorstein: nunc passim eamus, nam investigatio (spatium perlustrandum) late patet; diligenter animum advertite, si quid nova arte immutatum deprehendatis, futurum enim reor, si loquentium hominum voces exaudient aut periculum aliquod prævidebunt,

cfr. Lex. Dan. Sec. Scient. sub voce *hastig*, signif. 2; B legit *snelt*, citatius.

ut infantem abscondant, sibi vero ipsis consulant; vos quoque diligenter latebras, quæ vobis monstraturus sum, perlustrate. Jam viam illis monstravit, ei loco contrariam, ubi se quæsiti continebant; ipse vero solus ibat; cum vero se conspectui subtraxerat, in pagum recurrit, ablatumque ancillæ cujusdam puerum in sylvam, qua densissima erat, portavit, et in latebra quadam occuluit. Paulo post infans plorare cœpit; quo audito, omnes, qui in quærendo erant occupati, accurrerunt, postremusque Thorstein. Qui, cum hunc puerum conturerentur, Thorstein infit: hic minime regius puer est, is vero, qui hunc puerum huc attulit, nos dolis elusit; apparet enim, eum quærentes in errorem inducere voluisse. Totum deinde diem in quærendo erant occupati, neque Astridam eo magis invenerunt. Postea missi ad Gunnhildam revertuntur, eique exitum rei referunt. Astrida ejusque comites eum diem in insula agebant, quo die per sylvam quærebantur; sequenti vero nocte Thorstein, uti promiserat, illuc perveniens, alimenta aliasque res necessarias eis dedit, ducemque itineris, omnium viarum, orientem versus in Svioniam ferentium, peritum. Thorstein et Astrida amice digressi sunt; ea vero non prius itinere destitit, quam unacum comitibus suis ad Hakonem Grandævum pervenisset, apud quem ipsa et filius ejus longo tempore commorati sunt, benignissime tractati.

Hakon Norvegus in Svioniam proficiscitur, Olavum reducturus.

Cap. 45. Gunnhilda Regum-genitrix famam de Astrida et filio ejus porro captabat; cum vero accepisset, eos in Svionia versari, eundem Hakonem, amicum suum, cum muneribus

et amicitiæ suæ testificatione, ad Eirikum Svionum regem misit. Legati Gunnhildæ, ab Eiriko Svionum rege comi er accepti, apud eum commorabantur, honorifice habiti. Post paulo Hakon regi Eiriko mandata sua aperuit, dicens, petere Gunnhildam, ut rex Hakoni auxilium ferat, quo possit puerum Olavum Tryggvii filium capere, sibique tradere. Rex Eirikus respondet: equidem facile facere possum, ut copias tibi tradam, quantis opus esse credas, sed persuasum habeo, te ita solum negotium tuum apud Hakonem Grandævum peracturum, si voluntati ejus non repugnat. Fuit Hakoni Grandævo filius, nomine Rögnavaldus, qui tum apud regem Eirikum multum gratia valebat; hic regi et Hakoni Norvego colloquentibus adfuit; idem summa celeritate se paravit, et nonnullis comitatus viris ad domum patris equo vectus, nuntiat ei, missos a Gunnhilda Regum-genitrice eo brevi cum magna manu adfuturos, indicans simul adventus eorum causam. Paulo post advenit Hakon Norvegus, magna cohorte stipatus, quam ei rex Eirikus præsidio dederat; Hakon Grandævus eos comiter salutavit. Deinde cognomines colloqui incipiunt. Hakon Norvegus infit: Gunnhilda Regum-genitrix me huc cum his mandatis misit, quod ea benevolo animo pollicetur, se Olavum, filium Tryggvii regis, honorifice educaturam, putans se ita potissimum posse puero et cognatis ejus de injuria satisfacere, filiorumque excusare temerarium consilium, quod cognatum sibi regem Tryggvium interfecerunt, si puerum decenter educandum susceperit, eique regnum, quod jure gentilitio ad eum ætate maturum pertinet, intactum servaverit. Hakon Grandævus reponit: et tu confidenter, et dictis speciosis, mandatum

exposuisti tuum; cum vero se Gunnhilda dolis et fraudulentis astutiis plenam probaverit, speciosis ejus blanditiis mater pueri fidem non habet; quare non opus est hanc rem impeditam tibi reddere, quod futurum non est, ut Olavus, invita Astrida, tecum proficiscatur, aut unquam in potestatem Gunnhildæ veniat, dum volent heic commorari, meoque patrocinio uti. Sic inter eos disceptata re, legati reversi sunt ad regem Eirikum, tumque necesse Hakoni fuit, regi rem omnem, prout inter ipsum et cognominem gesta erat, exponere. Cui rex Eirikus: hoc ab eo exspectandum erat, non enim, ne heic quidem in Svionia, Hakon jus suum viris te potentioribus cessit. Posthæc reditui in Norvegiam se accingunt legati Gunnhildæ, denuo a rege petentes præsidium, ut puerum, nolente volente Hakone Grandævo, abducere possint; quod et rex fecit, firmiore, quam antea, præsidio dato. Venientes ad Hakonem Grandævum postulant, ut puer unacum eis proficiscatur. Hakon se haud facilem præbuit exoratu, ita respondens: prima vice, quando huc venisti, edixi tibi, cognominis! ita uti res erit, penes Astridam esse suæ natique Olavi profectionis arbitrium, sicque in meam venisse potestatem, ut nulla in re tibi invite sit servitura. Hakon Norvegus, dictis ejus impense exasperatus, aspere dicta in eum jactare cœpit, ultima quæque minatus, nisi quod vellet, negotium perficeret. Hakon Grandævus respondet: non est, quod tam superba verba jactes, mihi enim non desunt opes, ut meam tuear libertatem et justam causam adversus potentiores, quam tu es, quamvis nunc te magno militum numero firmaveris. Fuit Hakoni Grandævo servus, nomine Bustius, magna statura et viribus, inge-

nio vehementiore visus; hic, cognominibus inter se altercantibus, ut modo dictum est, procucurrit ad Hakonem Norvegum, ingentem et valde sordidam tenens furcam stercorariam, eique vultu perquam irato dixit: quis tu es, tanti fastus et impudentiæ, quanti nemo antea, qui in principem nostrum minas jactare audeas? nunc duarum conditionum alterutram elige, utramque tibi nimium æquam, aut confestim te cum omnibus tuis hinc aufer, aut ego te hac eadem furca æterna afficiam ignominia. Hic legati, quam citissime sese abripere pulcherrimum rati, e manibus servi ægerrime sine verberibus effugiebant. Hi primo ad regem Eirikum se contulerunt, deinde aquilonem versus in Norvegiam reversi, Gunnhildæ infaustum itineris sui eventum retulere, et hoc præterea, quod Olavum Tryggvii filium conspexissent; quam rem ea iniquo animo tulit.

Divinatio matris Gardoram regis.

Cap. 46. Quo tempore Gunnhildæ filii ad imperium Norvegiæ accedebant, Gardarikiæ præfuit rex, Valdamar dictus; hujus uxor dicta est Allogia[1], prudentis ingenii et animi benevoli, etsi eo tempore ethnicæ religioni addicta[2]. Regi Valdamari mater fuit, grandæva, adeoque decrepita, ut lectulo affixa teneretur; tamen mali dæmonis acta spiritu provida erat, ut multi ethnicorum, qui res futuras et incertas prædicere existimabantur. Ibidem hæc consuetudo obtinuit: prima festi jolensis feria, cum in aula regis homines sedes suas occupaverant, vetula, mater regis, ante celsam sedem regiam lata est; quæ tum prædixit, si quod periculosum bellum regi aut regiis immineret, aliasque res, de qui-

[1]) Arlogia, B, C. [2]) sic B, C; etsi eo tempore ethnica religio invaluit, A.

bus quærebatur. Accidit aliqua hieme, cum vetula pro more in aulam introlata esset, ut rex eam interrogaret, ecquos prævideret externos principes aut bellatores, qui regnum suum affectarent. Ea respondit: nullum quidem hostilem exercitum aut calamitatem, tibi regnove tuo nocitura, imminere prævideo, sed magnum tamen gravisque momenti visum se obfert: in Norvegia, ad aquilonem sita, nuper natus est regis filius, qui heic in Gardarikia educabitur, donec eximius evadet princeps, regno tuo damnum non inferet, sed pacem et libertatem ei conciliabit, tuumque honorem multis modis promovebit; tandem florente ætate patriæ terræ restitutus, regnum, ad quod natus est, adipiscetur; magna luce et dignitate splendebit, multisque populis in boreali orbis terrarum parte salutaris existet, brevi tamen tempore regnum Norvegiæ tenebit. Jam me auferte hinc, ait, nimis multa et vera hoc de viro prædicavi. Tum rursus asportata est.

Complures juvenes et potentium virorum filii, propter tyrannidem Gunnhildæ filiorum e Norvegia pulsi, partim varias terras, piraticæ faciendæ causa adierunt, partim apud exteros principes honorem adipisci studuerunt, quemadmodum de Haraldo Grænlando, qui in Svionia apud Skögulæ-Tostium versatus est, antea proditum est. Sigurdus nomen fuit filio Eiriki ab Ofrostadis, fratris Astridæ; is ad orientem in Gardarikia versatus est, apud regem Valdamarem, apud quem in magna auctoritate et potestate fuit; hujus visendi cupiditate tenebatur Astrida, soror ejus, quæ tum duas hiemes in Svionia apud Hakonem Grandævum egerat, Olavo, filio ejus et Tryggvii regis, tum tres annos nato. Hakon Grandævus eam comi-

tatui mercatorum quorundam adjunxit, ab omnibus rebus, quæ ipsi comitibusque ejus erant necessariæ, abunde instructam. Orientem versus in mare delatis prædones maritimi, Esthones, supervenerunt, res et homines captivos duxerunt, quos partim interfecerunt, partim ad servitutem inter se diviserunt. Heic Olavus, a matre sua divulsus, unacum Thorolfo, nutricio suo, hujusque filio Thorgilse, in possessionem pervenit viri cujusdam, nomine Klerkonis; cui cum Thorolfus ad servitium nimis senex, nullique ad opus faciendum usui, videretur, interfecit Thorolfum, pueros autem secum in Esthoniam abduxit, eosque viro, cui nomen Klerkus, capro nimium quam bono vendidit. Tertius vir Olavum paulo post emit, dato bono paludamento, sive pænula[2]; huic viro nomen erat Reas, uxori ejus Rekon, filio Reknius[3]; cum quo domino Olavus diu exinde versatus beneque habitus est, dilexit enim Olavum Reas non minus, quam filium suum. In hoc exsilio Olavus sex hiemes in Esthonia fuit. Reas colonus etiam Thorgilsem, filium Thorolfi Lusaskeggis[4] emerat, quem ad servilia opera facienda, ut cetera mancipia, coëgit. Tandem Sigurdus Eiriki filius, avunculus Olavi, in Esthoniam venit, ab Valdamare Holmgardi rege missus, ut per eam regionem tributa regi solvenda exigeret. Sigurdus magnifico apparatu, multis stipatus comitibus, provincias obibat. Accidit die quodam, cum Sigurdus cum toto suo comitatu ad aulam villæ Reæ equitaret, ut adolescens Olavus cum aliis pueris luderet, tantum enim eum Reas diligebat, ut eum nollet servitio adstringere, sed corporis exercitiis ar-

[1]) puerós. F, S. [2]) vidé indicem Vigaglumssagæ sub voce *vesl.* [3]) Rekin, B, C; Rekoni, F, S. [4]) Jarnskeggis, (ferreæ barbæ), B.

tibusque liberalibus adsuefaceret, et in vestitu omnibusque rebus ut filium suum tractaret. Olavus, videns ignotos homines in aulam equis invehi, obviam turmæ processit, et principem, ceterosque omnes decenter salutavit. Salutantem Sigurdus comiter resalutavit, et deinde dixit: ex vultu tuo et voce, bone puer! intelligo, te huc peregre advenisse, neutrum enim indigenas hujus loci refert; quare age! dic mihi nomen tuum et genus, et ubi terrarum natus sis. Ille respondit: Olavus vocor, genus meum in Norvegia est, ubi natus sum; pater meus fuit Tryggvius Olavi filius, mater vero Astrida, filia Eiriki ab Ofrostadis, viri potentis. Tum Sigurdus familiam ejus agnovit, et hunc puerum esse suum ex sorore nepotem; porro dixit: quo pacto huc venisti, aut qui nunc est rerum tuarum status? Heic ei Olavus omnia de itineribus suis, totumque fortunæ cursum, recensuit. Tum Sigurdus: cupisne jam potestate Reæ liberari, hincque discedere? Puer respondit: conditione quidem utor, multo quam antea meliore, nam Reas, nutricius meus, plurima mihi, quæ optare possum, tribuit; hinc tamen dimitti pervelim, si Thorgils, coalumnus meus, servitute liberatus, mecum proficiscatur. Sigurdus deinde eum jussit, se ad Ream patremfamilias ducere, id quod fecit. Reas Sigurdum, suosque omnes, comiter salutavit; cum vero colloqui cœpissent, Sigurdus infit: duos peregrinos pueros, qui in tua sunt potestate, emere volo. Reas respondit: copiam tibi faciam puerum natu majorem tanti emendi, quanti inter nos conveniet, minor autem altero multo pulcrior et prudentior est, quem redimere, magno tibi constare pretio visum iri auguror, hunc enim puerum tantopere amo, ut certo confirmare non dubitem, eum in servitu-

tem a me nunquam venum datum iri. Quoniam vero vir es fidei spectatæ, fieri potest, ut ejus tibi copia fiat magna pecuniæ summa redimendi, ea tamen sola lege, ut fide data promittas, te eum pretio venum non daturum, neque ulla in re deterius habiturum, quam hic antea habitus est. Sigurdus respondet: tanti eum æstima, quanti vis; ego eum emam his conditionibus, quas singulas enumerasti; neque mihi in animo est, eum vendere, postquam in meam potestatem venerit, meus enim est consanguineus. Sive vero breviore, sive longiore tempore hac de re egerunt, Sigurdus Thorgilsem selibra auri, Olavum novem[1] auri selibris, emit. Quo facto, Sigurdus utrumque puerum secum Holmgardum (Novogorodium) duxit; genus Olavi nemini indicavit, ipsum vero in omnibus rebus liberaliter tractavit. Tum Olavus novem annorum fuit.

Olavus Tryggvii filius Klerkonem interfecit.

Cap. 47. Die quodam Olavus Tryggvii filius, in foro constitutus, magna hominum frequentia, Klerkonem ibi agnovit, qui Thorolfum Lusaskeggem, nutricium ejus, interfecerat. Olavus exiguam, quam manu gestabat, securim, ad Klerkonem accedens, capiti ejus impegit, ut in cerebrum penetraret; quo facto in pedes se conjiciens domum festinavit, et Sigurdo cognato suo rem retulit. Sigurdus eum illico ad cubiculum reginæ Allogiæ duxit, eique rem narravit, petens, ut opem puero ferat. Illa, puerum intuita, fatur: non fas est, tam venustum puerum interficere; mox omnes suos satellites panoplia armatos adesse jussit. Holmgardi pax[2] tam sancte colebatur, ut qui homi-

[1]) decem, B, C; undecim, F, S. [2]) *mannhelgi*, (pro *friðhelgi*) securitas publica, C; *varðhelgi*, id. B, F.

nem indemnatum occidisset, morte multaretur. Itaque ex institutis et legibus magni facti sunt concursus totius populi, quærentium, quo loco delitesceret Olavus, quem necare voluerunt, prout lex jubebat. Nunciatur his, eum in reginæ palatio esse, ibique ad eum defendendum, præsto adesse magnam hominum multitudinem, panoplia armatam. Quo audito, rex cum suis accurrens, prohibuit, ne pugna congrederentur, effecitque primo, ut pax fieret, deinde vero reconciliatio, ipso rege satisfactionem pecuniariam decernente, regina vero mulctam[1] præstante. Post ea Olavus apud reginam commoratus est, ipsi amicissimus, totique populo acceptissimus. Lex fuit in Gardarikia, quæ vetuit, ne quis, regio sanguine ortus, ibi se contineret, nisi permittente rege. Reginæ itaque Sigurdus indicat, qua familia ortus sit Olavus, causamque, cur illuc venisset, quod in patria, propter inimicorum hostilitates et insidias, manere non licuisset, hanc rem ut regi exponeret, rogans. Illa sic fecit, regem precata, ut hunc regium puerum, tam iniqua usum fortuna, suis opibus sublevaret; precibusque suis effecit, ut postulatis ejus rex annueret, et Olavum, in tutelam suam receptum, magno in honore haberet, prout rege natum habere convenit. Olavus novem annos in Gardarikia apud regem Valdamarem commoratus est, vir pulcritudine, statura et virium magnitudine, præstantissimus, et omnium Norvegorum, de quibus litteris proditum sit, artium peritia excellentissimus.

Cædes Erlendi regis.

Cap. 48. Dynasta Hakon Sigurdi filius proximam hiemem, postquam regno a Gunnhildæ filiis pulsus, Norvegia cesserat, apud regem Haraldum Gormi filium in Dania transegit. Hac

[1]) *gjöldum*, sic B, C, F, S; *gerðum*, mulctam constitutam, A.

hieme tantis curis affectus est, ut lecto affixus insomnes duceret noctes, non plus potus sumens, quam quo vires corporis posset sustentare. Proximo autumno homines clam in Thrandheimum ad amicos suos miserat, hisque id dederat consilii, ut regem Erlendum, si ita ferret occasio, e medio tollerent, spondens, se proxima æstate ad regnum suum esse rediturum. Ea hieme Thrandi regem Erlendum interfecerunt, ut supra scriptum est. Inter Hakonem et Gullharaldum intima intercedebat amicitia; quare Haraldus Hakoni consilia sua aperuit, dicens, statuisse se, missa piratica, reipublicæ administrationem suscipere; interrogat Hakonem, an putaret, Haraldum secum regnum communicaturum, si id postularet. Hakon respondet: puto Haraldum, Danorum regem, tibi nihil eorum, quæ jure postulare possis, tributurum[1]; ipse tamen hoc certius noveris, si ipsum regem hac de re compellas; verum suspicor, te, nisi postulaveris, nullum regnum adepturum.

Gullharaldus partem Daniæ sibi postulat.

Cap. 49. Post paulo Gullharaldus regem Haraldum, agnatum suum, præsentibus plurimis regni optimatibus, utrorumque amicis, allocutus, ab eo postulavit, ut dimidium regni sibi concederet, pro natalium suorum familiæque in Dania claritate. Quibus dictis rex Haraldus ira commotus, respondit: nemo homo ausus est ab rege Gormo, patre meo, postulare, ut semirex fieret Danorum imperii, neque a patre ejus Knuto Hördensi, neque ab Sigurdo Anguioculo, neque ab Ragnare Hirsutibracca; hic tantam induit iram et furorem, ut nullis verbis adiri posset. Quo facto,

[1]) denegaturum, B, C, quod ad orationem aptius est.

Gullharaldus re sua minus quam antea contentus erat, quippe iram regis, nullum autem regnum, non magis quam antea, lucratus; itaque Hakonem, amicum suum, adit; ei aperit rerum suarum iniquitatem, petit ab eo salutaria, si in promtu sint, consilia, ut regnum adipisci possit, dicens, se potissimum apud animum statuisse, regnum armata manu repetere. Cui Hakon: cave, ne cui hoc dicas, ita ut reciscat rex, hoc enim vita tua stabit; tu ipse cum animo tuo considera, quid efficere possis; ad talia ingentia facinora necesse est audacem et constantem esse, neque ulli rei parcere, neque bonæ neque malæ, ut institutum confieri possit; magna vero incepta moliri, iisque deinde cum dedecore absistere, temerarium est. Gullharaldus respondet: ita demum hoc consilium capessivi, ut manibus meis non parsurus sim ad ipsum occidendum regem, si regnum, quod jure ad me pertinet, dare mihi recusabit; his dictis, finem colloquendi fecerunt. Paulo post rex Haraldus Hakonem convenit; incipiunt colloqui. Rex Hakoni indicat, quæ de regno participando postulata Gullharaldus coram se ediderit, suaque quæ dederit responsa, addens, nullo se modo velle regnum suum minuere; quodsi vero Gullharaldus in hoc postulato velit perseverare, exiguam mihi creat molestiam eum interficiendum curare, fidem enim ejus suspectam habeo, si ab hac re desistere non vult. Dynasta respondet: opinor, Gullharaldum hanc rationem ita suscepisse, ut non depositurus sit; qui si motum in civitate ciere inceperit, spero, eum facile populum ad se frequentaturum, maximeque patris gratia civium favore usurum; in agnato autem tuo interficiendo, nefandissimum commisisse scelus

existimaberis, hic enim, re ita comparata, pro insonte vulgo habebitur; neque tamen ego auctor sum, ut te inferiorem facias Gormo, patre tuo, qui imperium perquam auxit, sed minuit nulla in re. Tum rex: quid igitur consilii in medium profers, Hakon? partiarne regnum, et hunc metum a me amoveam? Dynasta respondit: paucis interjectis diebus redi, volo enim hanc difficilem rem perpendere, quo facto, aliquid certi expediam. Deinde rex cum suis abiit.

Consilia Hakonis dynastæ.

Cap. 50. Jam Hakon dynasta in meditando consiliisque excogitandis totus fuit, paucosque in cubiculum arbitros admisit. Paucis post diebus rex Haraldus in colloquium ejus venit, eumque interrogavit, an rem deliberasset, de qua superiore die mentionem movissent. Dynasta respondet: ea de re noctu diuque pervigil et insomnis cogitavi, hæcque ratio optima visa est, ut totum regnum, quod pater tuus possedit, quodque moriens tibi reliquit, obtineas et retineas, Haraldo vero agnato tuo aliud tradas regnum, quod honorem ejus amplificare possit. Quid hoc regni est, ait rex, quod tradere Haraldo meo jure mihi liceat, si indivisum retinebo Daniæ imperium? Dynasta respondet: Norvegia est, domine! reges, qui ibi sunt, toti populo adeo sunt odiosi, ut nemo sit, quin male eis velit, neque id immerito. Respondit rex: Norvegia est terra late patens, populus durus, quem extera manu aggredi difficile est, quod experti sumus, Hakone Adalsteinis alumno terram defendente, tum enim nostrorum multos amisimus, nulla reportata victoria; quo accedit, quod Haraldus Eiriki filius alumnus meus est, quem genu meo im-

posui. Dynasta reposuit: hoc dudum novi, vos satis auxilii tulisse Gunnhildæ filiis, quod illi nulla re nisi malo remunerarunt; jam nos multo faciliori ratione ad Norvegiam perveniemus, quam ut eam cum toto Danorum exercitu aggressi occupare conemur; legatis ad Haraldum, alumnum tuum, missis, fiduciariam ei offer provinciam, quam antea ipse cum fratribus suis hic in Dania tenuit; deinde, tempore locoque præstituto, eum ad te arcesse, quo facto Gullharaldus possessum ab Haraldo Grafeldo regnum horæ momento occupare poterit. Rex fatur: hoc male factum vulgo existimabunt, si alumnum meum insidiose interficio. Hakon contra: at Dani hanc meliorem existimabunt rationem, prædonem Norvegum exstinguere, quam nepotem ex fratre Danum[z]. Porro hac de re diu rex et dynasta disputant, donec inter eos convenerat.

Legatio ab Haraldo Gormi filio in Norvegiam missa.

Cap. 51. Gullharaldus Hakonem dynastam denuo conveniens, colloquium cum eo instituit. Significat dynasta, se causam ejus ita peregisse, ut in majore spe sit, fore, ut regnum Norvegiæ illi pateat; tum nos, inquit, amicitiam nostram servabimus, quo facto, ingens auxilium tibi in Norvegia præstare potero; hoc regnum primum habe; rex enim Haraldus, patruus tuus, senex est, unicum, quem parum diligit, filium habens, cui jus hæreditatis natu non competit. Hanc rem Gullharaldo Hakon demonstravit usque adeo, donec ei probata est. Deinde omnes una, rex, dynasta et Gullharaldus, de eadem re disserunt. Paulo post rex Danorum legatos boream versus in Norvegiam

z) sic B, C; Svecum, A.

ad Haraldum Grafeldum misit apparatu magnifico; qui, ab Haraldo Grafeldo honorifice excepti, afferunt, Hakonem dynastam in Dania commorari, mortique vicinum jacere et mente fere captum; his addunt, Haraldum Danorum regem ad se invitare Haraldum Grafeldum, alumnum suum, ut præfecturas ab se accipiat, quales fratres sui in Dania tenuerint, petereque, ut se in Jotia conveniat. Retulit rem Haraldus Grafeldus ad Gunnhildam, amicosque suos, qui diversas sententias in medium proferebant; existimantibus aliis, hanc profectionem suspicione non carere, talibus in Dania constitutis, pluribus tamen profectionem suadentibus, quod eo tempore in Norvegia tanta erat fames, ut reges vix possent suos sustentare; unde sinus, ubi reges ut plurimum se continebant Hardangriæ nomen accepit. In Dania annona fuit satis bona, quare in spem adducti sunt homines, fore, ut commeatus inde subveherentur, si Haraldus Grafeldus ibi provinciam aliquam fiduciariam et præfecturam acciperet. Itaque decretum est, priusquam discesserunt legati, ut Haraldus proxima æstate in Daniam proficisceretur ad Daniæ regem, oblatamque conditionem acciperet.

Dynasta Hakon ad prælium se parat.

Cap. 52. Proxime sequenti æstate Haraldus Grafeldus in Daniam trajecit, sex longas naves habens, quarum unam duxit Arinbjörn[1], dux Fjördensis. Rex Haraldus e Vikia solvit, classemque, trajecto mari, ad Limafjördum applicuit, ubi naves ad Halsum constituit; hic accepit, regem Danorum eo brevi adfuturum. Cujus adventu cognito, Gullharaldus cum novem navibus, quas milite completas ad expeditionem piraticam armaverat, eo profectus est.

[1]) Arnbjörn, F. S ubique.

Suas quoque copias paraverat Hakon dynasta, piraticam facturus cum navibus duodecim ingentis magnitudinis. Cum vero discesserat Gullharaldus, Hakon dynasta ad Haraldum regem adiens, loquitur: jam vereor, ne absoluta remigatione classica, mulctam neglectæ expeditionis pendere teneamur (sc. ne præstiti officii pœnas daturi simus) nunc enim Gullharaldus, interfecto Haraldo Grafeldo, imperium capesset Norvegiæ; quo facto, an eum putas fidelem fore, tantis a te acceptis opibus, qui proxima hieme mihi declaraverit, se interfecturum te, si se obtulisset occasio? Age, jam Norvegiam tuæ potestati subjiciam, interfecto Haraldo, si mihi polliceris, te facile mecum ea de causa in gratiam rediturum; quo facto, dynasta tuus factus, jurejurando obstrictus, tuo auxilio Norvegiam tibi subjiciam, et deinde tuo subjectam imperio tenebo, tibique tributa pendam; sic patre tuo potentior rex evades, duarum factus gentium imperator. Re hoc pacto inter eos transacta, Hakon cum copiis suis exiit, Gullharaldum quæsiturus.

Cædes Haraldi Grafeldi.

Cap. 53. Gullharaldus, ut primum Halsum in Limafjördo appulerat, Haraldum Grafeldum ad pugnam provocavit; qui etsi inferior esset numero copiarum, tamen illico in terram egressus, prœlium apparavit, aciemque instruxit; idem, antequam agmina coirent, suos magnopere hortatus, gladios librare, fortiterque pugnare jussit; ipse in primam statim aciem procedens, utrinque gladio cædebat. Sic dicit Glumus Geirii filius, in encomio Grafeldi:

Pulcris capulis metallorum Numen,
sanguine quod populis campum
est ausum rubefacere,

locutum est dicta fortiter;
imperans late Haraldus
satellites vibrare jussit
enses in pugna; hoc dictum principis
visum est præclarum militibus[1].

Hoc prælio Haraldus Grafeldus cecidit; sic Glumus:

Amans navigiorum, bellicæ navis
coronæ custos, coactus est
in spatiosa jacere
ripa sinus Limici.
Projector flammæ marinæ
Halsi in arena procubuit;
facetus regulorum amicus
illius cædis auctor erat[2].

[1]) Ordo: *Mœtra a) hjalta málm-óðinn α), sá er b) þorði at rjóða þjóðum völl blóði β), mælti þróttar orð; víðlendr Haraldr c) of d)-bað verðúng vinda sverðum at morði; þat fylkis e) órð þótti flotnum frægt f).*

a) motra, F, Sk; forte depravatum ex *mötra*, i. e. *mœtra*. *b) en*, F, S. *c) Haraldar*, S. *d) ok*, C. *e) filkirs*, perp., Sk. *f) frekt*, Sk, i. e. *frœkt*, id.

α) hjalt, bulla capuli; duæ erant in capulis bullæ, anterior et posterior (*efra ok neðra hjalt*), ante et pone manum; ipse capulus ideo *meðalkafli*, tigillum medium, dicebatur, quod erat inter bullas medius (*kafli* enim idem videtur esse, ac *kefli*, cum Sveci eodem vocabulo exprimant nostrum *kefli* et *meðalkafli* e. g. *köflen på en värja*); hinc: *mœtra hjalta málmr*, metallum pretiosarum bullarum, sc. pretiosis bullis instructum, gladius; ejus *óðinn*, prœliator, sc. Haraldus. *β*) i. e. pugnas cum viris conserere.

[1]) Ordo: *Viggjum a) -hollr α) gœtir β) gamla b) sóta garðs c) varð at liggja á víðu d) borði e) γ) Eylimafjarðar f). Sendir sævar báls δ) fèll á sandi at Hâlsi; orðheppinn jöfra spjalli g) olli því morði.*

a) biggjum (r. *byggjum*), F; incolis (amatus). *b) glamma*, id. Hkr. *c)* sic dedi sec. Hkr.; *garðr*, A; *garð*, *F*, *S*, *Sk*. *d) breiðu*, lata, F; *breiðum*, lato, Sk. *e) borðu*, limbo, Sk, corr. *f)* sic una voce Hkr., Sk, F, S; *ey Limafjarðar*, divisim, A.

Ibi maxima pars cecidit Haraldi militum, cecidit et dux Arinbjörn. Tum, secundum relationem presbyteri Arii Thorgilsis filii, quindecim[1] hiemes effluxerant a morte Hakonis Adalsteinis alumni, a Sigurdi, dynastæ Hladensis, tredecim; tum Olavus Tryggvii filius erat annorum septem[2], transactis extra patriam quatuor[3] hiemibus in Esthonia, duabus vero in Svionia apud Hakonem Grandævum. Sic dicit presbyter Arius, Hakonem Sigurdi filium tredecim hiemes patrio regno in Thrandheimo præfuisse ante obitum Haraldi Grafeldi; idem Arius memorat, sex postremis, quibus Haraldus Grafeldus vixit, annis, Hakonem dynastam et Gunnhildæ filios de regno Norvegiæ dimicasse, alterutris alternis terra cedentibus.

Provinciarum Norvegiæ partitio.

Cap. 54. Non multo post quam ceciderat Haraldus Grafeldus, Hakon dynasta et Gullharaldus congressi sunt. Hakon mox Gullharaldum

g) *jöfurs falli*, cædis regiæ, S; tum *morði* est pro *at morði*, in pugna.

α) *vigg*, n. navis; *hollr viggjum*, qui in navibus excubare amat, rei piraticæ deditus; sec. lect. F, hic versus ita se habet: *Byggjum hollr gætir*, &c. *varð at liggja á breiðu borði*, &c.: incolis amatus custos &c. in lata ripa sinus Limici) jacere coactus est. *β*) *gamli*, nomen piratæ, sec. Cod. Vorm. Eddæ Snorr., vide ed. Holm., p. 208, var. lect. 3; hinc *gamla sóti*, equus piratæ, navis bellica; ejus *garðr*, agger, corona navis bellicæ, sunt clypei navem ambientes, more veterum; hujus *gætir*, custos, possessor clypei, pugnator; intelligitur Haraldus rex. *γ*) *Eylimafjörðr*, est idem ac *Limafjörðr*; vocula *ey*, interdum præmittitur sine significatione, e. g. *eydraupnir*, pro *draupnir*, Fostbr. S. C. 16; *eykvæn*, pro *kvæn*, femina, in Somnio Thorsteinis Siduhalli filii; *eyviti* pro *viti*, ignis, Eigla, C. 56, str. 2. *δ*) *ǽvar bál*, flamma maris, aurum; ejus *sendir*, missor auri, vir liberalis.

[1]) duodecim, F, S. [2]) octo, F, S. [3]) quinque, B, C.

prœlio aggressus, victoriaque potitus est, et Gullharaldum, vivum captum, infelici arbori suspendi fecit. Quo facto, Hakon Haraldum Danorum regem convenit, et gratiam cum eo facile reconciliavit de cæde Gullharaldi, agnati sui. Postea rex Haraldus milites per totum suum regnum conscripsit; tum apud eum fuit Hakon dynasta; pervenerat quoque ad eum Haraldus Grænlandus, filius regis Gudrödi Björnis filii, qui regem Danorum secutus est, multique præterea alii optimates, qui avitis possessionibus a Gunnhildæ filiis pulsi, Norvegia cesserant; hunc exercitum, classemque septingentarum navium, rex Danorum ab meridie in Vikiam duxit; cujus potestati omnis populus se subjecit. Cum Tunsbergum appulerat, confluxit ad eum magna hominum multitudo; quam manum, quæ se partibus ejus in Norvegia adjunxerat, Hakoni dynastæ tradidit. Rex Haraldus Hakonem præfecit Rogalando, Hördiæ, Sogno, Fjördensi provinciæ, Mæriæ australi, Raumsdalo, Mæriæ boreali; quas septem provincias rex Haraldus Hakoni dynastæ administrandas dedit, eadem lege, qua filiis suis dederat rex Haraldus Pulcricomus, hoc excepto, quod Hakon tam in his provinciis, quam etiam in Thrandheimo, omnia regia prædia, et ex prædiis mercedes, possideret; et si hostis intra fines regni esset, pecunia[1], prout opus esset, uteretur. Rex Haraldus, Haraldo Grænlando, tum octodecim annos nato, dedit Vingulmarkiam, Vestfoldiam, et Agdas usque ad Lidandisnesum, regiumque titulum; quam ditionem ei concessit cum omnibus iisdem commodis, quæ majores sui ante eum habuerant, quæque filiis suis concesserat Haraldus Pulcri-

[1]) regia, add. B, C, F, S, quod subaudiendum est.

comus. Quibus rebus peractis, Haraldus Gormi filius exercitum in Daniam reduxit.

Gunnhilda et filii ejus e regno profugiunt.

Cap. 55. Hakon dynasta cum copiis suis boream versus secundum littora terræ contendit; quo cognito, Gunnhilda, et filii ejus, exercitum collegerunt. Cum vero pauci eis se adjungerent, idem, quod antea, consilium ceperunt, ut occidentem versus per mare tenderent cum copiis, quæ se sequi vellent; itaque primo in Orkneyas trajecerunt, ibique ad tempus commorati sunt; his insulis antea dynastæ præfuerunt filii Thorfinni Cranisecæ, Hlödver, Arnfinnus, Ljotus et Skulius. Tum Hakon dynasta totum regnum sibi subjecit, et per hiemem in Thrandheimo consedit; quod memorat Einar Lancicrepus in Vellekla:

Diligens custos sericæ
capitis vittæ septem sibi
subjecit provincias;
affulsit inde lux regno[1].

---

1) Ordo: *Grandvarr geymir a) brúna a) -grundar b) silkis c) síma d) kom und sik sjö fylkjum; þat var landi snúnaðr e).* Abest hoc hemistichium in F, addunt ei alteram semistropham: *Nú liggr alt und jarli*, S, Sk.

a) brama, S; *barma*, Sk, corr. *b) grandar*, B; *gegn at*, C. *c) fylkir*, C. *d) seima*, Ş; *sinna*, B; *sínum*, C. *e) svar maþr*, Sk; *svarr maðr*, S, vir gravis.

a) brúna grund, terra superciliorum, caput vel frons; *silkis-símí*, vinculum sericum; ita appellatur vitta serica, qua viri honoratiores, et cultus elegantiæ studiosi, caput redimire solebant, vide Njalam, C. 121, ubi hic capitis ornatus vocatur *silkihlað*; Hkr. Tom. III, p. 347, *silkihúfa hlöðum búin*, vide not. ad h. l; in historia Vemundi et Vigaskutæ, §. 12: *Kvað Steingrím fylgja hesti sínum, ok vera í hvítri skyrtu, ok hafa hlaðbúna húfu á höfði, ok kvað hann vera skrautmenni hit mesta*; neque aliter intelligendum puto locum Eddæ Snorr. p. 96. str. 5, ubi se dicit poëta, a rege vitta frontali (*ennidúki*) ornatum;

Hakon dynasta, cum præcedente æstate ab austro secundum littora terræ classe veheretur, populusque ejus imperio se submitteret, per totum regnum edixit, ut fana conservarentur, et sacrificia procurarentur, quod et factum est. Sic dicit Einar Lancicrepus:

Fortis ille simul omnes
Thorici fani agros, omnibus
notos hominibus, et vere sacra
deorum loca devastaverat;
antequam Fulmen tempestatis ferreæ
loca sacra restitueret, vectus
giganteæ noxæ lupo, quem dii
omnia per maria regunt[1].

itaque non ineptum puto, Hakonem satrapam appellari *geymi*, i. e. custodem, possessorem hujus vitæ. *β) snúnaðr*, fortuna; eadem forma, ac *farnaðr*, *fènaðr*, a verbo *snúna*, bene vel male cedere, Harbarsl. 17; Hkr. VII, C. 12, str. 1.

[1]) Ordo: *Enn svinni a) lèt senn of herjoð öll hofsland a) Einriða b) hverjum c) mönnum kunn d), ok sönn banda ve; áðr e) β) Hlóriði f) geira-garðs varði g) ve h) (á) vilni jötna valfalls γ), þeim goð stýra of allan sjó.* Hæc stropha abest in F, S, Sk.

a) *lönd*, id. Hkr.; *land* vero eodem modo pro *lönd* dicitur, atque *hallinni* pro *höllinni*, *kallaðu* pro *kölluðu*. *b*) *Eindriða*, Hkr. *c*) *herjum*, populis, Hkr. *d*) *kunnr*, notus, Hkr. *e*) *at*, Hkr. *f*) *Flóriði*, B, C. *g*) *farði*, vexit, a *ferr*, *farði*, *ferja*, vehere, Hkr.; *sparði*, pepercit, B, C. *h*) *veg*, Hkr., sc. *at veg*, cum honore, gloriose; sed cum A, convenire videntur var. l. Hkr., C, E: *áðr úr* (pro *ue*, *ve*).

a) secundum nexum utriusque semistrophæ, quem lectiones cod. A suaserunt, talem ordinem admittere coactus sum; de quo nexu, ut eum animo informavi meo, hæc monenda habeo: in priore parte tangit poëta, quam violenter Gunnhildidæ in avitam Norvagorum religionem sævierant, v. Cap. 32, init.; poëtam vero in animo habuisse puto Haraldum Grafeldum, nuper Hakonis dolo circumventum necatumque; deinde ostendit, quantum Hakon de religione meruerat, tam profane a regibus superioribus vexata. Secundum lect. Hkr. hic ordo et sensus existit:

Subjecta nunc est satrapæ
omnis terra borea Vikiæ;
ditio Hakonis, clypeorum procellæ
exasperatoris, lata est[1].

Prima, qua Hakon dynasta regno præfuit, hieme, haleces omnibus terræ littoribus successerunt, et præcedente autumno fruges provenerant, ubicunque sementis fuerat facta; vere autem proxime sequenti semina collecta sunt, ut plerique agros suos consererent, quare spes

Enn svinni, herjum kunnr, lèt senn sönn öll of-herjoð hofs lönd Eindriða ok banda ve, i. e. mox fortis ille, populo notus, vera esse dixit omnia fani Thorici territoria et deorum sacra loca; *lèt sönn*, dixit esse vera, i. e. rata fecit, stabilivit; ita ut hoc quoque hemistichium commode de Hakone satrapa queat intelligi. β) *Hlóriði*, Thori nomen; *garðr*, agger, it. nubes condensatæ, tempestatem parturientes, it. tempestas; *geira garðr*, tempestas gladiorum, pugna, hujus *Hlóriði*, prœliator. γ) *valfall*, violenta in prœlio mors, a *falla í val*, in prœlio cadere; *jötna valfall*, strages gigantum, appellari potest mare, sec. Edd. Snorr. §. 7, 8; hujus *vitnir*, lupus maris, navis, sec. Edd. Snorr. §. 51. Sensus: Hakon, classe profectus, veterem religionem restituit. Secundem lect. Hkr. *at veg — farði*, pro *áðr ve — varði*, hic ordo et sensus oritur: *Hlóriði geira garðs farði vitni jötna valfalls at veg; þeim styra goð of allan sjó*, i. e. prœliator (Hakon) gloriose pertulit testimonium (famam) de cæde (clade) gigantum (stirpis Gunnhildæ, diis antiquæque religioni invisæ); hunc deducunt dii per totum mare; vel: prœliator magna cum gloria classem, diis auspicibus, per omnia maria (sinus Norvegiæ) deduxit.

[1]) Ordo: *Nú liggr allt und a) jarli fyrir norðan Vík; ríki Hákonar a) ímunborðs b) veðr c) gæðis d) stendr víða.* Hanc semistropham S, Sk, subnectunt hemistichio paulo ante allato; *sjö fylkjum kom silkis.*

a) *undir*, id. Sk. *b*) *innanborðs*, prave, Sk. *c*) *vörðr*, custos, Sk. *d*) *gœvis*, Sk.

a) *ímunborð*, tabula pugnæ, clypeus; ejus *veðr*, tempestas clypei, pugna; ejus *gæðir*, qui auget, ciet pugnam, prœliator.

lætioris annonæ affulsit; accessit bona domi quies. Tum ex filiis Gunnhildæ et regis Eiriki soli duo superstites erant, Ragnfrödus et Gudrödus; sic Glumus Geirii filius in encomio Grafeldi:

Dimidia mihi spes opum
occidit, cum gladii procella
vitam abstulit regis; non lucro
nobis obitus Haraldi cessit.
At ipsius fratrem scio
utrumque spes bonas mihi
fecisse; multi inde homines
exspectant fortunam sibi[1].

Rex Ragnfrödus Gunnhildæ filius, cum unam hiemem in Orkneyis commoratus fuerat, proximo vere expeditionem in Norvegiam per mare occidentale suscepit, pulcrum habens exercitum navesque ingentes. Qui, cum in Norvegiam venisset, audito, Hakonem dynastam in Thrandheimo esse, boream versus Stadum prætervectus, Mæriam australem infesto exercitu invasit; populus vero ei se subjecit, plerumque enim usu venire solet, hostili exercitu regionem peragrante, ut proximi quique eo confugiant, unde maxime auxilum sperant. Hakon dynasta, cognito Mæriam hostium in-

[1]) Ordo: *Hálf a) auðvan α) fèllumk b) þá c) er hjörðrífa brá lífi hilmis; Haralds dauði β) rèðat d) oss til auðar. En ek veit, at e) hans hvaðartveggi f) bróðir hefir heitit mèr góðu; seggfjöld g) getr sjá þar h) til sælu.*

a) hjálm, S; *hjálmar*, Sk. *b) fèllumz*, id. Hkr.; *fèllu*, ceciderunt, F, Sk. *c) þar*, Sk. *d) beiðut*, S; *verðugt*, F. *e)* om. Sk. *f)* ita B, C, Hkr.; *hvarrtveggi*, F, S; *hvuðartveggju*, A; *hvorotveggio*, *Sk.* *g) segg fljóðs*, S. *h) sèr*, F, S, Sk.

α) fèllumk, id. q. *fèll mèr*, occidit mihi, forma ex Eigla satis nota. *β) rèð-at*, vel est periphrasticum, subaud. *verða*, vel potius pro *rèðst-at*, non vertebatur nobis in lucrum.

cursione vástari, missa sagitta, belli nuntia, naves instruit, se quam celerrime apparat, et e sinu cursum dirigit, a copiis bene paratus. Ad boreale latus Mæriæ australis in Ragnfrödum incidens, prœlium statim commisit, numero quidem copiarum superior, navibus autem minoribus usus. Acri itaque orto certamine, cum junctis, ut tum mos ferebat, proris pugnarent, res Hakoniana inferior fuit. Cum autem utraque classis æstu marino, qui in freto erat, terram versus una deferri cœpisset, Hakon dynasta, proris aversis, ad terram se recepit, qua optimum esse egressum judicavit; et simulac naves littus vadosum sentiebant, dynasta suique omnes in terram egressi, naves subduxerunt, ne ab hostibus deduci possent; instructa deinde in campo acie, Ragnfrödum ad egressum provocavit. Ragnfrödus classem littori admovit, sicque utrique invicem tela miserunt; cum vero Ragnfrödus in terram egredi nollet, re ita constituta, diversi discesserunt. Ragnfrödus[1] metuens, ne universus populus ad Hakonem[2] confluëret, præter Stadum classem tenuit. Neque Hakon dynasta hac æstate sæpius cum Ragnfrödo prœlium committendum putavit, quod hostes altioribus navibus[3] utebantur; quare, sequenti autumno boream versus in Thrandheimum reversus, ibi hiemem egit. Rex autem Ragnfrödus omnes provincias ultra Stadum tenuit, Fjördensem, Sognum, Hördiam, Rogalandum, magnoque hominum numero se hac hieme stipavit; cum vernabat, copias ad expeditionem imperavit, magnumque coëgit exercitum, ipse omnes modo dictas pro-

[1]) Hakon, F. [2]) Ragnfrödum, F. [3]) sic B; *liðs*, numero (prævalebant), F, S; *burða*, opibus (prævalebant), A, sed deprav. videtur ex *borða*.

vincias obeunte, ad comparandas copias, naves, aliasque res necessarias.

Hakon dynasta, prælio commisso, victor. Cap. 56. Appetente vere, Hakon dynasta copias ex regno boreali evocavit, magnumque contraxit exercitum ex Halogia et Naumudolo, a Byrda usque ad Stadum, et ex omnibus provinciis maritimis, nec non ex toto Thrandorum communi et Raumsdalo; dicitur, ex quatuor populorum provinciis copias collegisse, septemque eum secuti feruntur dynastæ, quorum quisque immensum habuit copiarum numerum. Qua de re sic Einar:

Præclarius illud fuit, quod
pugnæ avidus populi custos Mæriæ
a septemtrione ad Sognum usque
regni deduxit defensores.
Moderator Hedini procellæ
viros evocavit universos e quatuor
provinciis; gladiorum numini
id magno adminiculo fuit[1].

[1]) Ordo: *Hitt var meirr, er a) morðfikinn α) Mæra β) fólkverjandi lèt γ) fyrva b) um görva c) för d) norðan til Sogns e). Hèðins byrjarð) freyr ýtti f) allri ýrþjóð ε) af fjórum fólklöndum; ζ) branda g) ullr h) η) sá stoð i) af því.*

a) at, B, C, F, Hkr.; *at mæra*, potest quoque pro infinitivo sumi, sc. id majus fuit celebrare, i. e. majori laudi erat. *b) fjörva*, F, S; *firna*, Sk; *fyrða*, viros, C. *c) ger vera*, Sk. *d) fóru*, C. *e) sögn*, Sk. *f) veit ek at*, (pro *ýtti*), F, S. *g) brandr*, B; *brandi*, C; *bröndum*, F, S. *h) uggr*, terror, B, C, quod, quamvis metro non congruum sit, tamen ostendit, librarios junxisse: *allri ýrþjóð stóð uggr af því*, omni id populo terrori fuit; hi denique videntur junxisse: *Hèðins byrjar freyr ýtti branda-sá af fjórum fólklöndum*, i. e. moderator Hedinianæ procellæ deduxit vas perticarum (navem) ex quatuor provinciis. *i)* sic dedi pro *stóð*, A, Hkr., a verbo *standa*, hoc ordine: *sá branda ullr stóð af því*, quod explicant: id urgebat, quasi scriptum esset: *stóð at því*; nam *standa at einu*, non solum est, interesse rei, partem esse rei gerendæ, sed etiam, rei instare, rem urgere.

Et idem porro:

Tota resonuit Norvegia,
cum clypeati belligerentes
congrederentur; multa natavit
cadaverum vis ante promontoria;
et septem præfecti, mollibus vecti
piratæ tabulis, ruebant
in prœlium cum bellici
passeris exhilaratore[1].

a) *morðfíkinn*, bellicosus, a *morð*, cædes, it. pugna, et *fíkinn*, avidus. *β*) *Mœra*, deduco a *Mœrir*, Mæriæ incolæ, unde *Mœra fóllverjandi*, defensor Mærensis populi, est homorifica Hakonis Satrapæ appellatio. *γ*) *fyrva*, accipio pro *fjorva*, acc. pl. nom. *fjorr*, quod inter arbores recenset Edd. Snorr. p. 201, forte abies, et inter virorum appellationes p. 213, unde lect. Codd. F, S; forsitan rectius scriberetur *fjorva*, quam *fjörva*, nisi forte *fjorr* et *fjörr* idem est cum *fyrr*, id. q. *fura*, abies. *δ*) *byr*, ut sæpius, procella; *Hèðins byr*, pugna; ejus *freyr*, prœliator, sc. Hakon. *ε*) *ýrþjóð*, pro *verþjóð*, gens virorum, periphr. pro *verar*, viri, nam *ve* et *vi*, cum *u* et *y* permutantur; si quem vero offendet *to ýtti* in hoc orationis contextu, quod proprie de navi e statione v. portu detrudenda adhibeatur, adeat var. lect. *h*, mox allatam. *ζ*) *ullr-branda*, deus ensium, prœliator, nempe Hakon. *η*) *sá stoð af því*, ad verbum: videbat auxilium ab eo.

[1]) Ordo: *Allr a) Noregr b) glumdi, þá c) er ullar Hèðins veggjar eggþinga α) fóru saman; gnótt nás d) flaut fyrir nesjum; ok sjö landrekar β) þorðo e) fram f) á γ) meita g) mjúkhurðum h) til móts með δ) randa i) — sörva k) svörgæli.* Abest in F, S, Sk.

a) Duo hujus strophæ hemistichia transponuntur in B, C, Hkr., quod mihi rectius videtur; posterior enim pars strophæ arcte cohæret cum antecedentibus, ubi ex septem provinciis viri dicuntur evocati; prior vero pars describit utriusque classis, Hakonianæ et Rögnvaldianæ, accerrimum conflictum, stragemque in pugna editam. *b*) *Noregs*, B, C. *c*) *þar*, ubi, B. *d*) *vas*, corr. B, C. *e*) *þurðo*, id. Hkr. *f*) ita B, C, Hkr., quod, ut commodius, admittere non dubitavi; *frá*, A forte neglecta lineola supra scripta. *g*) *at mœta*, B, occurrere. *h*) *mjök herð-*

Hakon dynasta, cum his copiis a borea Stadum prætervectus, cum accepisset, Ragnfrödum regem copias suas in Sognum duxisse, eo se cum suis convertit, et hic regem Ragnfrödum offendit. Dynasta, navibus ad terram applicatis, Ragnfrödo arenam definivit, et locum prœlii delegit. Sic dicit Einar Lancicrepus:

Rex factus est obvius
homicidiorum exstirpatori, altero

um, admodum forti, strenuo, B, C. *i*) *ráða*, B, C. *k*) *svarfa*, ramentorum, Hkr.

α) *Hèðins veggr*, agger, munimentum Hedini piratæ, clypeus; hujus *eggþíng*, acutus clypei conventus, pugna; ejus *ullar*, prœliatores; *eggþíng*, puto esse acrem conventum, vel incitatum, ab *eggja*, acuere, incitare; cfr. *brynþíng*, C. 26, str. 1. *β*) *landreki*, præfectus, satrapa, a *land*, terra, regio, et *reka*, obire, obeundo provinciam peragere, remque publicam administrare; sic dicitur hodie *að reka sýslu*, provinciam obire, munia præfecti obire; aliam derivationem videsis in Skalda. *γ*) *meiti*, pirata; *mjúkhurð*, tabula mollis, commoda, navis appellatio, quod aquæ molliter incubet; *þorðo*, id. q. *þurðo*, a *þyrja*, ruere; *mót*, concursus. *δ*) lectio *sörva*, difficultatem mihi facit; *sörvi*, n., est torques, globulis vitreis constans, v. Edd. Snorr. p. 128, et Heidarv. S., ubi promiscue *sörvi* et *seyrvi* scribitur; deinde pro vitro, vel qualibet re splendente, adhiberi potest, atque *randar sörvi*, gladium denotare, ut *randar ís*; cum vero nunc saltem exemplum non subeat, corvum ab ense denominari, hanc interpretationem invitus admitto, nisi forte *gælir*, is sit, qui lætatur; tum *randa sörva svör*, responsa, voces ensium, prœlia, sunt; vel *svörgælir*, id. q. *svarr-gælir*, qui vehementer lætatur (ensibus); altera ratio est, si *sörvi*, pro *syrvi*, m. pirata accipias; hujus *svörr*, passer, forsitan corvus esset, et ejus *gælir*, pugnator; tum *randa*, referendum ad *móts*, ut *randa mót*, concursus clypeorum sit, pugna. Secundum lect. Hkr., omnis difficultas tollitur, nam *randa svörf*, ramenta, detrimenta clypeorum, pugna est, in qua clypei atteruntur, inutilesque redduntur; ejus *svörr*, passer pugnæ, corvus, etc.; *svörr* in Edd. mscr. inter aves recensetur, forte idem est cum *spörr*, passer.

in prœlio, sed deinde celeberrima
in pugna facta est strages virorum.
Terrificus gestor subiculi
telorum, scutis noxiorum, adpellere
ad terram jussit, et adversæ provinciæ
obvertit Ulli propugnacula[1].

[1]) Ordo: *Gramr α) varð fyrir β) víga α) myrði við γ) annann styr, en síðan gjörðist mest víðfrœgt mannfall at morði. Hlífar δ) – flagðs – hlunnarfi b) bað c) hverfa at landi, ok lagði ε) öndur – jálks – vorp d) við e) öndvert f) fylki.* Abest hæc stropha in F, S, Sk.

a) Vinda, Vendorum, Hkr. *b) hlunnar fer*, B; *hlunnar fyrir*, C; utrumque, ut opinor, prave; *hlym – narfi*, gigas strepitus (teli), eod. sensu, Hkr. *c) bauð*, id. B, C. *d) vorpa landi*, B; *vorp á landi*, C, pro *vorp at landi; förf*, Hkr., quod explicatur pro *för*, navis, sc. scuta. *e)* sic Hkr., quod rectius putavi; *var*, A; sed hic existimo librarium, siglis deceptum, pro *við* legisse *var. f) öndort*, id. Hkr.; *öndyrt*, id. B.

α) i. e. rex Ragnfrödus. *β)* sc. Hakoni satrapæ. *γ)* opponitur primo prœlio, de quo in Cap. 55. *δ) hlífar flagð*, gigantis armorum, pr. securis, quod loricas et scuta violet; ejus *hlunnr*, phalanga securis, clypeus; hujus *narfi*, gigas clypei, formidabilis prœliator; perinde est, utrum *hlunnarfi* ita resolvas, an a *hlunr*, pro *hlynr*, platanus; solent sec. Edd. clypei solum, vel terra, ensium, telorum, appellari, quod telis objecti sint; eodem modo clypeus phalanga ensis vel securis dici potest, cum ensis objectum vel subjectum clypeum perstringat et atterat, velut navis, e statione deducta, suppositam phalangam; similis locutio occurrit in Grettla, C. 69, str. 1: *hjörgœðir hriðar hlunns*, ubi *hjör – hlunnr*, phalanga ensis, est clypeus. *ε)* hac appellatione videntur mihi vel clypei, vel naves, intelligi, utrumque e verbis quodammodo elici potest; *öndrjálkr*, Othinus (deus) schidiorum, Ullus, qui et *öndr – ás*, Edd. Snorr. p. 105, dicitur; *varp*, n. plur. *vörp*, a *verpa*, id quod mittitur, it. subtemen telæ, et hinc pro tela et tegmine sumere licet; sic *öndr – jálks – vörp*, tegmen Ulli, clypeus, et itidem navis, sec. rationem supra allatam, C. 31, str. 2, *β.*; clypeos terræ obvertere, est naves, clypeis munitas, ad oram terræ applicare. In Njalæ versione lat., ed. Havn. p. 246 not., jungitur h. l. *jálks öndr*,

Ibi acre commissum est prœlium. Hakon, numero copiarum longe superior, victoriam reportavit. Pugnatum est in Thinganeso[1], Sogni et Hördiæ confinio. Rex Ragnfrödus ad naves refugit, cæsis suorum trecentis; sic dicit Einar in Vellekla:

Atrox gesta fuit pugna, ante
quam oppressor prœliantium
trecenos milites subjecerit
funerei vulturis unguibus.
Discessit inde princeps, navalem ciens
pugnam, victoria beatus,
per capita transgressus abscissa virorum;
id fortuna dedit lucro[2].

Othini xylosolea, quod per scutum vertitur; forte admittere voluit interpres var. lect. Hkr.; *þörf* pro *förf*, i. e. utiles clypeos.

1) Dinganeso, B, C, F, S.

2) Ordo: *Guðr var straung, áðr gunnar a) lunda a) þröngvi-meiðr of b) þrýngvi c) þrimr hundruðum und d) hramma náss gammi. Hafs - fólk - eflandi β) fylkir knátti gánga þaðan fángsœll at e) höfðum bragna γ); þat var hagnaðr.* Abest in F, S, Sk.

a) ita Hkr.; *gumnar*, A, B, C, quæ vox haud facile cum cœteris conciliatur. *b*) sic Hkr.; *áðr*, A, B, C. *c*) sic Hkr.; *þrýngri*, A, B, C, quæ sine dubio prava lectio est, nam in membranis *r* et *v* sæpe perquam similia sunt. *d*) *við*, B. *e*) sic Hkr.; *af*, A, B, C.

a) *gunnar lundr*, miles, utpote qui prœlium sustineat; *þröngvi-meiðr*, oppressor; *meiðr*, lignum, columen, qualitatem personæ indicat, præfixum *þröngvi*, qualitatem actionis. *β*) *hafs-fólk*, accipio de pugna maritima, a *fólk*, acies instructa, (unde *fylkja* et *fólkorrosta*) it. poët. prœlium, nisi malis de classiariis intelligere; non enim possum, cum ed. Havn.: *hafs höfuð*, pro navibus accipere; sequentem vocem *fylkir*, de Hakone Satrapa intelligo, fidens Eddæ auctoritate, p. 189: *keisari, konungr, jarl, þessir þrír menn egu saman heiti öll*, i. e. imperator, rex, satrapa, his tribus communes sunt appellationes. *γ*) Cod. Fagurskinna ita hunc locum explicat: *svá mikit varð mannfall, at hèr segir, at jarlinn gengi at mannahöfðum at þessum fundi;*

Post hoc prœlium rex Ragnfrödus e Norvegia aufugit; Hakon vero dynasta, pacato regno, magnum illum exercitum, qui eum hac æstate secutus fuerat, boream versus remisit; ipse autem autumno et subsequenti hieme in australi regni parte commoratus est. Hac æstate, de qua modo proditum est, Olavus Tryggvii filius, tum novem annos natus, orientem versus in Gardarikiam pervenit, ut supra scriptum est.

Vaticinia in Gardarikia de Olavo Tryggvii filio edita.

Cap. 57. Quo tempore Olavus in Gardarikiam pervenit, complures fuere Holmgardi tales viri, qui multas res futuras prædicebant; hi divinatione sua unum omnes significabant, advenisse in regnum genios viri peregrini, natu parvi, tantam promittentes prosperitatem, ut se nullius hominis genios augustiore specie vidisse testati sint, nescientes quidem, quis, aut unde, ille vir esset, multis tamen verbis confirmantes claram illam lucem, quæ eum superfulgeret per totam Gardarikiam, multasque alias partes orientis spargi. Cum vero regina Allogia omnium feminarum esset sapientissima, ut primum Olavum conspexit, ex vultu ejus intellexit, hunc puerum tam benigna fortuna usurum, prout demonstrabant vaticinia, ut magnam gloriam Gardarikiæ conciliaturus esset; quapropter ab rege et regina benigissime habitus est, et a prudentibus et bonis viris magni æstimatus. Olavus in Gardarikia adolevit, et prius sapientia, viribus, ceterisque naturæ bonis, quam annis, maturuit. Rex Valdamar Olavum haud secus amavit, ac si ex ipso natus esset, eumque in digladiandi dexteritate, arte

vocula *at*, quæ h. l. verissima lectio est, idem significat ac *á*, in, per; sic Spec. Reg. p. 2: *gánga sèr einn at vegum*; it. *dró hörpu, skip, at isi*, in glacie, per glaciem, &c. Ihre. Tom. 3, p. 202, 372.

equestri, omnique exercitiorum genere, et studiis, principe viro dignis, erudiendum curavit; hic quoque celerius, quam plerique alii, omnia, quæ ad humanitatem pertinebant, percipiebat; unum vero fuit, qua in re displicuit regi, quod ethnicorum deorum simulacra colere nunquam voluit, et omne sacrificiorum genus aversatus est. Semper quidem regem, fanum adeuntem, comitatus est, nunquam vero ingressus est, sed extra substitit ad fores fani, dum rex sacrificia diis offerebat. Rex sæpe eum monuit, ne sic faciendo deûm iram mereret, et ea de causa florem ætatis perderet: quare oro te, ait rex, ut deos colas, eosque submisso animo placatos tibi reddas; quod ni facis, vereor, ne te aliquo terrore tempestuosæ suæ iræ et sævitiæ superfundant, cum tanto in periculo constitutus sis. Olavus respondet: equidem deos, quos colis, nullus timeo, neque enim sermonis usu, neque visu, neque auditu, gaudent, neque habent rei ullius intelligentiam; inde vero naturam eorum potissimum mihi videor intelligere, quod tua semper, altor! majestas et facies blando et sereno vultu apparet, nisi quando fanum adis et sacrificia diis offers, tum enim obscurum et infaustum præferre vultum videris; unde concludo, hos deos, quos colis, tenebris præesse; quare mihi destinatum est, nunquam eos colere ideo vero eos nulla afficio contumelia, quod tuam movere nolo indignationem.

Prima expeditio regis Olavi.

Cap 58. Dicitur Olavus Tryggvii filius, cum duodecim annorum esset, ab nutricio suo petivisse, ut naves bellicas et copias sibi daret; quo ab rege lubenter concesso, naves et copias apparavit, et, antequam discesserat, quæsivit ab rege, an urbes quædam aut

provinciæ essent, quæ antea Gardorum regi subjectæ, nunc ejus imperio non parerent. Rex significavit, multa et ampla regna, longo tempore Holmgardo subjecta, nunc ab aliis principibus et bellatoribus vi et armis occupata esse; quæ cum rex exacte docuisset, Olavus prima vice naves bellicas ex Gardis[1] duxit, pulcras habens, quamvis non magnas, copias. Fuit hoc inter piratas more receptum, si regibus nati exercitui præessent, ut hi reges appellarentur, etsi nullas haberent terras ditioni suæ subjectas; hinc milites Olavo regium nomen dederunt. Brevi apparuit, quantam habuit ingenii dexteritatem ad regendum exercitum, etsi parvo natu esset, nam ex principibus, qui injuste et prædonum more provincias tributarias regis Valdamaris insederant, quosdam interfecit, quosdam ejecit; cum quibus multa prœlia conseruit, et ex omnibus superior discessit; et prima jam æstate receptis omnibus regnis et provinciis tributariis, quas amiserat rex Valdamar, sequenti autumno Holmgardum reversus, multa et rara habuit cimelia, quæ regi et reginæ afferret, aurum, gemmas, vestes pretiosas; quem rex et regina, omnisque populus, læti et gratulantes exceperunt. Sic aliquantum temporis processit, ut Olavus per æstates in expeditionibus bellicis versaretur, Gardarikiam ab incursionibus piratarum fortiter et strenue defendens, multaque castella et provincias ad mare orientale sitas, in potestatem regis Valdamaris redigens; per hiemes autem sæpissime Holmgardi degeret, honorifice ab rege habitus, et ab regina dilectus. Tum ipse cohortem militum suis impensis sustentavit, quam pecuni-

[1]) *Garðar*, m. pl., Gardi, quibusdam id. q. Holmgardus, forte potius territorium vel provincia, in qua Holmgardus situs fuit, quæ ad mare Balticum pertinuisse videtur.

am ei rex in proprios sumtus dederat; cumque liberalis in suos esset, ab iis magnopere diligebatur. Sed accidit huic, quod sæpe usu venire solet, quando peregrini homines ad honores tantamque gloriam evehuntur, ut indigenis anteponantur, ut multi ei non magis favorem regis, quam reginæ, inviderent. Hi regem monuerunt, ne Olavum nimium faceret: nam talis vir, inquiunt, qui artium peritia, amicitiis, et naturæ bonis, tantum alios præstat, periculosissimus est, si operam suam in eo collocare voluerit, ut tibi regnove tuo detrimentum inferat; neque novimus, quos ille cum regina sermones identidem conserat. Ea frequens fuit apud reges[1] potentissimos consuetudo, ut dimidiam aulicorum partem teneret, suoque sumtu sustentaret regina, et ad eam rem tributa et census, quantum opus esset, haberet. Hæc eadem consuetudo apud regem Valdamarem recepta fuit, ut reginæ non pauciores essent aulici, quam regi, id certatim agentibus utrisque, ut præstantissimos quosque viros in suas partes traherent. Hinc factum est, ut rex fidem adhiberet sermonibus eorum, qui Olavum calumniabantur, et se austerum, minusque affabilem, erga eum præberet. Quod sentiens Olavus, reginæ rem aperuit, significans, se cupere ad terras boreales proficisci, ubi consanguinei sui antea ditionem tenuissent: vero enim simillimum puto, inquit, me his in terris maximos successus habiturum. Regina, prosperum abitum ei precata, dixit, ubicunque locorum esset, virum eximium habitum iri. Memorat carmen Rekstefja[2], quod de Olavo Tryggvii filio compositum est, eum in Gardis fuisse educatum:

1) sic *B*, *C*, *F*, *S*; viros, *A*. 2) De hoc carmine pauca dicturus sum ad calcem Tom. 3 in excursu de poëta Hallarsteine.

Latæ terræ custos gloriosus
Gardis est educatus;
auri præbitor, omnes antecellens homines,
facinora patravit regia.
Othinianæ tingens tempestatis
fulmen, Olavus, permagnæ
classi, quam possedit ipse,
virtute magna præfuit[1].

Deinde Olavus, cum naves et copias apparaverat, ex oriente ab Gardis cursum in salum orientale (Balticum) tetendit; naves ab utroque latere erant clypeis, imbricatim dispositis, ornatæ, celerique cursu ferebantur, vento secundo incitatæ (v. ferentis venti murmura secundo rumore excipientes). Cum autem rex Olavus ab oriente navigaret, ad Borgundarholmum appulit, ibique facta exscensione, prædas egit, incolis ad littus confluentibus, prœliumque committentibus, in quo rex Olavus, victor, magna præda potitus est. Testatur hoc Hallfredus Difficilis-poëta in carmine encomiastico, quod de rege Olavo composuit:

1) Ordo: *Fegmildr vörðr víðrar a) foldar α) þá fóstri Görðum; vellhjóðr b) sá c) er hœrst d) gekk manna, vann vísa e) dáðir. þróttar-ela-blik-rauðr β), Olafr, rèð brátt allþriðt f) brigðamiklum γ) skipa-stóli, þeims δ) kann átti g).* Hanc strophan nescit Ikr.

a) *vygðrar* (r. *vígðrar*), sacræ, Sk. *b*) *vellhjóðs*, Sk. *c*) *þá*, cum. Sk. *d*) *hœrstr*, B, C, S. *e*) *víða*, late, B, C; *vísar*, prudentia, Sk. *f*) *allríkt*, potenter. *g*) *fiögur ok átta*, pro *hann þeims átti*, Sk.

α) i. e. regius princeps, rex. *β*) *þróttr*, nomen Othini, a robore et fortitudine; h. *þróttar-el*, pugna; ejus *blik*, splendor pugnæ, gladius; *rauðr* v. *röðr*, subst. verb. agentis, qui rubefacit, a *rjóða*, *rauð*, *roðinn*; qui rubefacit gladium, est prœliator; intellige Olavum regem. *γ*) *brigða*, in compositione excellentiam exprimit, a *bregða*, quod hac notione occurrit in Edda Snorr. p. 174, str. 1, et Sæm. Aslam. 51; hinc formatum *afbrygða*, quicquid in suo genere excellens. *δ*) *þeims*, pro *þeim es* sc. *þeim er*, cui.

Rex duras cadaverum
noxas tinxit sanguine
Holmi et Gardis in oriente;
quid viros id celaret?[1]

Post hoc prœlium rex Olavus classem ad Borgundarholmum in anchoris tenuit; hic tantam nacti sunt tempestatem marisque æstum, ut consistere non possent; quare austrum versus navigantes, Vindlandiæ littora subierunt, ubi commodum nacti portum, aliquamdiu commorati sunt, pacate se gerentes. Burizlavo, Vindlandiæ regi, tres erant filiæ, Geira, Gunnhilda, Astrida. Geira, regis filia, viro nupserat, sed maritum amiserat; ea fuit insigni formæ pulcritudine et eximia virago. Geira, mortuo viro, regnum reginæ titulo administravit, quo loco Olavus portum tenuerat; consiliario ejus nomen fuit Dixin, vir magnæ auctoritatis et prudentiæ, amicitiisque valens. Urbs principalis, in qua Geira se plurimum continere solebat, haud procul a littore aberat, ubi classis Olavi appulerat.

Hiematio regis Olavi apud Geiram.

Cap. 59. Die quodam Dixin consiliator cubiculum reginæ ingressus est; ea de novis quæsivit. Cui ille: nihil novi referre habeo, præterquam quod ipsa accepisti, nempe ignotos viros huc ad terram multis cum navibus appulisse, duce classis viro genere nobili, formaque conspicuo, qui se vocat Olium Gardicum, mercato-

[1]) Ordo: *Hilmir lèt hörð α) hræskóð a) roðin blóði at b) Hólmi β) ok austr í Görðum; hvat c) of d) dyldi e) hölda f) þess?*

a) herskóð, noxas militum, id. B, C, Sk. *b) á*, B. *c) hvatt*, Hkr., Sk. *d) um*, id. Sk. *e) duldi*, id. Sk., *u* pro *y*. *f) hauka*, milites, B; *höldar*, Hkr.

α) i. e. enses, a *skóð*, quicquid nocivum, a *skeðja* (*skaða*), nocere. *β*) Holmus, id. q. Borgundarholmus.

rem se professus; qui mihi, quantum intellectu consequi possum, rex bellator insignis fortitudinis videtur, neque quemquam vidi pari forma et vultus dignitate, oculis enim est pulcris et argutis, statura magna, totoque corpore talis pulcritudinis et nativæ formæ, qualem sibi excellentissimus quisque optaverit. Regina, probatis omnibus, quæ dixerat Dixin, ipsum ad naves cum mandatis misit. Quo cum venisset, regem Olavum conveniens, sic loquitur: notum est, huic regno, cujus littoribus appulistis, imperare reginam, nomine Geiram, filiam regis Burizlavi; quæ cum audiverit, vos pacate proficisci, neque regnum suum rapinis aut bello infestare, eo consilio ad vos misit, ut te, omnesque copias tuas, invitaret ad hiemandum in hujus regni urbe principali, ubi ipsa cum principibus suis et aulicis cohortibus considet; processit enim æstas, imminetque dura et ventosa tempestas. Oblata rex Olavus lætus accepit; deinde, subductis navibus et diligenter compositis, traditisque in custodiam Dixinis consiliarii armamentis ceterisque impedimentis, ad urbem se contulerunt, quos regina summa comitate et benevolentia excepit; hic hiemem transegerunt, laute et honorifice habiti. Rex Olavus et regina sæpius sermones conseruerunt, et alteri alteris bene placuerunt. Hac hieme rex Olavus Geiram reginam uxorem petivit; qua de re cum ad Dixinem, consiliatorem suum, ceterosque cognatos et amicos, retulisset, omnes uno ore confirmabant, hanc conditionem honorificentissimam esse; testante Dixine, id quod verum fuit, omnibus rebus ejus, nec non imperio, id maximo præsidio fore, si tam egregius princeps, qualis rex Olavus fuit, ibi sedem figere et eo loco acquiescere vellet. Quare ra-

tum factum est, ut rex Olavus Geiram reginam in matrimonium acciperet; quæ nuptiæ magnificentissimo convivio celebratæ sunt; quo facto regni administrationem cum ea suscepit. Mox certior factus, multa castella et provincias in Vindlandia, olim imperio Geiræ reginæ subjectas, solutionem tributorum subterfugisse et obedientiam erga eam abjecisse, eadem hieme has urbes cum exercitu aggressus est. Primo urbem potentem et incolis frequentem obsidione cinxit, oppidanisque pacem obtulit, si tributum, quod jure deberent, penderent. Oppidani contra clamabant, se nunquam sese ei dedituros, aut tributum soluturos; quare impetu in urbem facto, multisque adhibitis stratagematibus, tandem expugnavit, re oppidanorum eo loci deducta, ut ii soli vita donarentur, qui pacem supplices petebant; milites Olavi magna præda potiti sunt. Deinde alterum castellum, firmum et pugnatoribus frequens, obsedit. Castellani, in munimenta procedentes, sic eum alloquuntur: fama accepimus, quantas huc admoveris copias, et quam fœde successerit iis, qui nimia contentione et malevolentia adversus te insurgere aggressi sunt; quare aliam ineundam rationem duximus, saniorem quidem et prudentiorem, ut nosmet sponte tuæ potestati et arbitrio dedamus, potius quam ut divinæ tuæ fortunæ, quæ te undequaque fulcit et firmat, temere repugnemus; etsi enim, jubente natura, secunda diu fortuna[1] usi sumus, tamen facile possumus intelligere, volubili ejus rotæ minime fidendum esse, hæc enim opinione citius subterfugere potest; et id signo erit, nos benevolo agere animo, quod, apertis portis, per-

[1]) *farsœlan*, sic B, C, F, S; *úsœlan*, infortunium, adversa fortuna, A.

missoque introitu, locum vobis dedemus. Quorum oratione gavisus Olavus rex, eis magna dignaque factis præmia pollicitus est; deinde castellum cum copiis ingredi paravit. Cum vero, paucis suorum comitatus, introierat, porta ingentibus ferreis januis est occlusa, firmisque claustris obserata; quo facto castellani undique ex ædibus et cubiculis panoplia armati confluebant, mutuo alii alios hortantes, ne quis regiorum salvus evaderet. Rex ac sui hostem fortiter excipiebant, seque pulcre defendebant, omnes uno aliquo loco juxta munimentum consistentes. Rex, intelligens, rem sic non processuram, suis loquitur: omnes idem uno momento facite, quod me facientem videbitis; quo dicto, in murum, qui ab interiore parte humilis erat, subsiliit, et mox ex muro desiliit; qui quidem saltus admodum præceps erat, innoxius tamen, quod molle solum suberat; deinde suos desilientes excepit omnes, ut salvi in terram devenirent. Quo facto, cum omnibus copiis castellum tanta vi oppugnavit, ut sui brevi tempore, ingentibus in muro intercisis aperturis, irrumperent, castellanis resistentibus; heic orto acerrimo certamini is fuit exitus, ut qui in castello erant, ad unum omnes cæderentur: res omnes, quæ alicujus pretii erant, direptæ: urbs incendio deleta. Rex porro non prius destitit, quam omnes urbes et provincias, quæ ditioni et imperio Geiræ reginæ se subduxerant, in potestatem suam redegisset; deinde ad urbem suam se recepit, ibique quod reliquum erat hiemis peregit. De his expeditionibus regis Olavi mentio fit in Rekstefja his verbis:

Favens Olavus lupis celeriter
latissimo regum omnium
in occidente bello grassatus est,

et Vendorum oppida diruit.
Testis sonitus prœliaris,
bene peritus rei Othinianæ,
in pugna quavis vice
reportavit victoriam [1].

hic significatur, Olavum in Vindlandia latius arma circumtulisse, quam quisquam ante eum rex fecerit, et ex omnibus prœliis victorem discessisse.

Genealogiæ regum et imperatorum[2].

Cap. 60. Dicitur Arnulfus nomen fuisse viro sancto, qui primo dynasta fuit in Saxonia, sed postea archiepiscopus Mezburgi (Mestis)[3]; hujus filius erat Angises, dux in Francia, qui Begam Pippinis filiam in matrimonio habuit; horum filius dictus est Pippin, cujus filius fuit Karl, pater Pippinis, Francorum regis, patris Karlamagni (Caroli Magni), imperatoris. Karlamagnus fuit rex Franciæ annos triginta quatuor, postea vero imperator Romanorum annos duodecim; ejus ætate Michaël, Nicephorus et Leo, Miklagardi imperatores fuerunt. Rex Karlamagnus in matrimonio habuit reginam Hildigarden; eorum filius fuit Hlödver (Ludovicus), qui patri in regno successit, et annis viginti sep-

1) Ordo: *Vargholl Olafr rak allfljótt vestr mestan hernað allra jöfra, ok rèð* a) *brjóta Vindaborgir* b). *Hrælinns* c) *hljóm-váttandi* α), *sannfróðr Svölnis* β) *dóms, mátti hverju sinni ráða sigri í rómu.*

a) *lèt*, Sk. b) *Vindarborgar*, F, S, Sk. c) *hrælindr*, S, pr.; *hrænaðurs*, id. Sk; *hrundust*, B, C, corrupte.

α) *hrælinnr*, serpens cadaveris, ensis; idem valet var. lect. *hrænaðr;* ejus *hljómr*, pugna; hujus *váttandi*, qui interest pugnæ, pugnator. β) *svölnir*, nomen Othini; ejus *dómr*, arbitrium, it. res Othini, vel res, quæ arbitrio Othini dirimitur, i. e. pugna.

2) Cum hoc capite conferatur: Scriptores rerum Danicarum medii ævi, Tom. 2, pag. 25-30. 3) *Matzoborg*, (pro *Mezborg*) B; *Mozonciaborg*, F, S.

tem[1] imperator fuit; ille nunquam lusit, neque risit. Quo tempore Karlamagnus regnavit, Jotiæ præfuit rex, Godefridus dictus; hic Hrœrekum, principem Frisonum, interfecit, et Frisonibus tributum imposuit. Postea rex Karlamagnus ingentem exercitum contra Godefridum duxit; tum Godefridus a suis interfectus est, Hemingus vero, fratruelis[2] ejus, rex creatus est. Hemingus exercitum adversus Karlamagnum promovit, donec ad fluvium, cui nomen Egda[3], convenerunt; ibi pacem fecerunt; una vero post hieme Hemingus obiit. Tunc reges Jotiæ facti sunt Sigfrödus[4], agnatus Godefridi, et alius, nomine Hringus Anulo; qui de regno contendentes, utrique exercitum contraxerunt; tandem ingens prœlium commiserunt, cujus is fuit exitus, ut uterque caderet; in eodem prœlio ceciderunt decies mille nongenti[5] et quadraginta[6] homines. Tum regnum accepit vir quidam, Haraldus dictus; hic quinque annos regnaverat, antequam adversus Reinfridum[7], filium Godefridi, pugnaret. In eo prœlio Haraldus victoriæ causa votum fecit, si salvus ex hoc prœlio evasisset, se cum tota familia sua baptismum accepturum. In hoc prœlio victoria potitus, paulopost cum conjuge sua et Hareko, fratrueli suo, magnaque Danorum multitudine, ad Lödvem, Karlamagni filium, tum imperatorem, profectus est. Tum Haraldus ac sui Meginzoburgi[8] (Moguntiæ), diebus papæ Pascalis, baptizati sunt; quo facto, Haraldus in Daniam rediit, et cum eo Ansgarius episcopus, qui ibi multos homines baptizavit. Haraldus

[1]) triginta duobus, S. [2]) frater, C. [3]) Egdera, S, C; Egdrera, F. [4]) Sigfrodius, F; Sigrödus, B, C. [5]) octingenti, C; quingenti, B. [6]) sexaginta, B, C, F, S. [7]) Remfridum, B. [8]) Meguizoburgi, B.

morbo diem obiit; Harekus vero, propinquus ejus, regnum adeptus, Jotiæ præfuit, donec Guthormus, fratruelis[1] ejus, eum bello aggressus est. Tunc ab incarnatione domini nostri, Jesu Christi, transierant anni octingenti sexaginta duo. In eo congressu ceciderunt ambo, omnisque regia stirps, quæ cum eis erat, uno tantum puero superstite, nomine Hareko, qui postea rex factus est. Ansgarius episcopus tunc iterum in Daniam ad Harekum profectus est, eumque baptizavit. Harekus ædem sacram Ripis exstrui fecit; Haraldus autem antea templum Heidabæi exstruendum curaverat; Ansgarius episcopus, tribus annis post commissum inter Harekum et Godormum (Guthormum) prœlium, mortuus est; tum dicitur Harekus christjanam religionem abjecisse, et paulo post decessisse. Posthæc reges erant ethnici, Sigfrödus et Halfdan. Rimbertus[2] episcopus[3] fuit proxime post Ansgarium; hujus[4] episcopatus anno duodecimo obiit Hlödves imperator, filius Karlamagni; ille quatuor habuit filios, quorum nomina: Lotharius, Hlödves, Karl, Pippin; hi regnum ita inter se diviserunt, ut Lotharius Borgundiam[5] et Lothoringiam[6] et imperium Romanum teneret; Lödves Franciam et nomen imperatoris[7]; Karl Vallandiam; Pippin Aquitaniam[8]. Cum Rimbertus duodecim annos episcopus fuerat, Dani et Nordmanni eam terram bello infestaverunt, quæ a Nordmannis Kerlingalandum[9] (terra vetularum v. Ca-

[1]) avunculus, B, C; frater, F. [2]) sic B, C, F, et mox A; Rambertus, h. l. A. [3]) archiepiscopus, F. [4]) i. e. Ansgari. [5]) Borguniam, B, S. [6]) Lotheringam, B. [7]) sic et membr. Script. rer. Dan., Tom. 2, pag. 26, Tab. 1, non *kónga*, regum. [8]) Equitaniam, B, C. [9]) Borgundiam, F.

rolingorum) appellatur; sed missq adversus eos exercitu, Hlödves junior, Hlödvis filius, ex Nordmannis quatuordecim[1] millia occidit; sed quinque post annis[2] Lödves decessit; eo anno Dani et Nordmanni, vindictam quærentes, cum magnis copiis flumine Rheno subvecti, omnes ibi urbes et templa incenderunt, et templum primarium urbis, quæ Aquisgranum dicitur, pro stabulo equorum usurparunt; coloniam et omnes urbes circa Rhenum Meginzam[3] (Moguntiam) usque concremarunt. Tum Karl, frater Lotharii, exercitum contra eos misit; congressi sunt ad flumen, quod Mosa dicitur; fuerunt in Danorum exercitu reges Sigfrödus et Gudfrödus, et filii Ragnaris Hirsutibraccæ. Hi, pace cum imperatore facta, baptismum acceperunt; sed paulopost pacem ruperunt, et arma tulerunt occidentem versus, totam Franciam devastantes Parisios[4] usque, quam urbem incendio deleverunt; tum adversus eos magno cum exercitu veniens Arnoldus, tunc imperator, ex iis nongentos homines interfecit; quo facto, exercitus Danorum substitit. Tunc a nativitate domini nostri, Jesu Christi, circiter nongenti[5] anni transierant; post vero annis septemdecim Huno episcopus Bremæ in Saxonia consecratus est. Duodecimo[6] post anno Henricus, qui primus eo nomine imperator fuit, in Daniam profectus, Danos blanditiis, minis et prœliis, ad christianismum perduxit, neque destitit, priusquam veram religionem recipere promisissent. Deinde Huno episcopus Frodium regem adiit, qui tum Jotiæ præfuit, eumque ac populum baptizavit; tum templa, Heidabæi et Ripis destructa, refecta sunt, templum

[1]) tredecim, B, C; quatuor, F, S. [2]) uno post anno, F. [3]) Megnizam, B. [4]) Parisburgum, B, C, S. [5]) octingenti, F, S. [6]) decimo septimo, S.

quoque Arose (amnis ostio)[1] exstructum. Postea Frodius, hominibus Romam missis, tres episcopos, Jotiæ ecclesiis præficiendos, auspicio Agapeti Papæ inaugurari fecit: Heredum ecclesiæ Heidabæensi, Livedagum[2] Ripensi, Rimbrondum[3] Arosiensi; hoc factum est anno ab incarnatione domini nostri nongentesimo quadragesimo octavo, anno duodecimo imperii Ottonis Magni. Seriem regum reliquimus, ubi in Dania regnarunt Sigfrödus et Halfdan; post hos Danis imperavit rex, Helgius dictus, qui in prœlio, quod cum Olavo Svionum rege fecit, occubuit; Olavus autem diu postea Daniæ et Svioniæ præfuit, et morbo mortuus est; post eum regnum Daniæ adepti sunt Gyrdus et Knutus, et post hos Siggeir.

[*De Knuto Invento*].

Cap. 61. Cum Sigurdus Ringus (Anulus), pater Ragnaris Hirsutibraccæ, imperio Svionum et Danorum[4] rex præesset, et utrumque regnum pacavisset, regesque vectigales (subregulos) et dynastas[5] præposuisset, memor fuit regni, quod Haraldus Bellidens, cognatus ejus, et ante Haraldum Ivar Longimanus in Anglia tenuerant; quod regnum tunc tenebant reges Angli, quorum qui tum huic regno præfuit, Ingjaldus dictus est, qui frater fuisse dicitur Petri, Saxonum[6] regis; Ingjaldus fuit rex potens. Rex Ringus copias et naves regno suo imperavit, et occidentem versus in Angliam profectus, cum ad Northumbriam appulerat, rogavit, ut reciperetur, multis ad eum transeuntibus. Quo cognito, rex Ingjaldus ingentem

[1]) Aruse, B. [2]) Libedargus, B; Libedager, F. [3]) Rimberlum, B, C, F, S. [4]) omitt. B, C. [5]) hæ voces h. l. synonymæ sunt. [6]) Saxonum occidentalium, B, C.

contraxit exercitum, et adversus regem Ringum contendit; hi aliquot prœlia conseruerunt, in ultimo autem cecidit rex Ingjaldus et Ubbius, filius ejus, magnaque pars exercitus eorum. Quo facto, rex Ringus Northumbriam et totum regnum, quod ante rex Ingjaldus tenuerat, suæ ditionis fecit; et antequam exercitum ex Anglia reduceret, Northumbriæ subregulum præfecit, qui Olavus nominatus est; ille filius fuit Kinriki[1], qui dicitur fuisse nepos ex fratre Moaldæ Crassæ, matris Ivaris Longimani; postea rex Ringus in regnum suum reversus est. Rex Olavus diu Northumbriæ præfuit, donec filius Ubbii regis, Eava[2] dictus, regno potiretur; hic et Olavus multa prœlia commiserunt, in quorum ultimo rex Olavus fugatus est, Eava vero regnum sibi subjecit. Tum rex Olavus in Svioniam ad regem Ringum profectus, ab eo Jotiæ præfectus est, ubi rex Olavus diu postea subregulus fuit, primo regis Ringi, deinde Ragnaris Hirsutibraccæ; idem appellatus fuit Olavus Anglus; ejus filius erat Grimus Canus (v. Vafer), qui regnum regiamque dignitatem, patre mortuo, accepit. Grimus fuit pater Audulvi Robusti[3], qui in Jotia subregulus erat Ragnaris Hirsutibraccæ; filius Audulvi dictus est Gormus, qui postea in Jotia subregulus erat, ille cognominatus est Gormus Stultus[4]. Fuere Gormo regi multi servi, quorum nonnulli in Holsatiam[5] ad emendum vinum missi sunt; hi vinum multis equis revehentes, cum, ab austro profecti, sylvam, Myrkvidum (sylvam opacam) dictam, permearent, ibidem pernoctarunt; aër erat tranquillus. Noctu, cum servi vigilabant, audiverunt in sylva vagitum infantis; mane

[1]) Kirniki, B. [2]) Eana, B, C. [3]) Divitis, F. [4]) impolis, F. [5]) Holtzetalandum (terram Holsatiæ), B, C, S.

vero, ut illucescebat, in sylvam iverunt, infantem quæsituri; fuit sylva densa et opaca. Tandem vagitum appropinquantes, infantem invenerunt, panno linteo involutum; pannus in pectore nodo erat connexus, quo soluto, tres annulos aureos innexos invenerunt; infans corpori proximum gerebat pannum bombycinum, fuitque puer venustissimus. Illi puerum sustulerunt, et secum portarunt, donec ad regem Gormum pervenerunt, cui infantem ostenderunt, eodem indutum habitu, in quo eum invenerant. Rex hunc puerum aqua lustravit, eique nomen dedit, et Knutum denominavit ab nodo illo, quem in pectore habuit; hic puer in aula regis Gormi educatus, mature intelligentia et artium peritia plerosque ejus terræ incolas antecellebat. Rex Gormus, qui nullum filium habebat, Knutum alumnum suum tam dilexit, ut eum pro filio adoptaret, tantique eum, præ omnibus propinquis suis, fecit, ut ei imperium se mortuo decerneret. Hic Knutus appellatus est Inventus. Rex Gormus non diu imperavit, et morbo mortuus est; ante vero quam diem obiret supremum, Knutum creari fecit regem totius regni, quod ipse in Jotia tenuerat. Rex Gormus prisco more tumulatus est.

Cap. 62. Rex Knutus, frequenti indicto conventu, publice coram populo declaravit, si quis homo, sive civis esset, sive peregrinus, vera posset de genere suo referre, se hunc divitem et potentem facturum; hæc res per multas terras fama perlata est. Ferunt, duos viros Saxones[1] ad aulam regis Knuti vespere quodam advenisse; qui cum ad colloquium regis admissi essent, eorum qui potior erat, locutus est:

[1]) Svecos, B, C.

an verum est, te magnam ditionem ei fuisse pollicitum, qui tibi genus tuum indicaret? Verum esse professus rex, juravit, se fidem præstiturum. Advena locutus est: an servis æque ac liberis hoc conditione frui licet? Rex omnes peræque fruituros asseruit. Tum advena: hoc itaque tibi, rex! primo dicendum est, quod ego et hic comes meus servi sumus dynastæ cujusdam in Saxonia, nos autem genus tuum vere indicare possumus; Arnfinnus dynasta Holsatiæ præfuit, cujus et servi tum fuimus, et arcanorum conscii; accidit vero, ut dynasta prolem ex sorore sua procrearet, quæ res primo celata est, donec illa partum enixa est; deinde infans pannis bombycinis involutus est, extremoque panno linteo circumvinctus, cui innexi sunt tres annuli aurei; denique nobis perdendus traditus est; nos vero in sylvam Myrkvidum ivimus, ubi infantem penitus in sylvam abdidimus, et sub arboris radicibus deposuimus; quo facto, abiimus. Hi viri singula attulerunt veritatis indicia, ubi infantem condidissent, ut servi, qui puerum invenerant, agnoscerent. Rex Knutus servis Saxonibus[1] pecunias dedit, quibus se redimerent, quo facto, ad se redire jussit; qui cum iterum ad regem Knutum pervenerant, servos suos, a quibus fuerat inventus, libertate donavit; deinde his utrisque libertis satrapias dedit, et potentes viros reddidit, ut pollicitus fuerat; qua ex re Knutus Servorum appellatus est. Filium habuit, cui nomen Gormi, nutricii sui, indidit. Knutus Servorum regno non diu præfuit, magni tamen nominis rex fuit. Post eum Gormus, filius ejus, rex creatus est, qui regno præfuit, filiis Ragnaris Hirsutibraccæ subjectus, ab Sigurdo Angui-

[1]) Svecis, C.

oculo in primis dilectus; filium Sigurdi et Blæjæ, regis Ellæ filiæ, educavit, quem aqua lustravit, nomenque indidit, et nomine Knuti patris sui appellavit; is deinde dictus est Knutus Hördensis, quia Hördalandum[1] dicitur, ubi natus est.

[*Initium regni Gormi Danorum regis*]

Cap. 63. Filii Ragnaris Hirsutibraccæ magni fuerunt bellatores; hi patris necem ulti sunt, interfecto Ella, Angliæ rege. Tum Ivar Exos rex factus est ejus partis Angliæ, quam majores et cognati sui tenuerant; is multis modis regnum suum auxit, regem Eatmundum (Jatmundum)[2] Sanctum interficiendum curavit, ejusque regnum sibi subjecit. Tradunt, filios Hirsutibraccæ pristis temporibus plurima bella in his terris gessisse; in Anglia, Vallandia, Francia, Saxonia et in Longobardiam[3] usque; ita longissime processerunt, ut urbem, Lunam dictam, ceperint, et aliquando Romam expugnare cogitarint; reversi, regnum inter se diviserunt. Björn Ferrilatus regnum Uppsaliæ, totam Svioniam, utramque Gothiam, et omnes regiones eo pertinentes nactus est; Sigurdus Anguioculus Evgothiam[4], omnesque insulas, Skaniam et Hallandiam; Hvitserkus Reidgothiam et præterea Vindlandiam. Sigurdus Anguioculus in matrimonio habuit Blæjam, filiam Ellæ regis; quorum filius fuit Knutus Hördensis, ut supra scriptum est. Knutus Hördensis post Sigurdum patrem suum rex factus est Sælundi et Skaniæ in Dania. Cum Knutus Hördensis ætate maturus fuit, et uxorem duxerat, filium ex conjuge sua procreavit, quem Gormum denominavit a Gormo, nutricio suo, filio

[1]) Hörda in Jotia, B, C, F. [2]) Etmundum, C. [3]) Lombardiam, B; Lumbardiam, C. [4]) Sic B, C, S; Selundum, F; Ægyptum, A, vitiose.

Knuti inventi. Gormus, filius Knuti Servorum, rex fuerat valde potens, totam enim Daniam pro filiis Ragnaris administravit, dum hi in expeditionibus bellicis erant occupati. Gormus, filius Knuti Hördensis, cum adoleverat, formosissimus fuit omnium hominum, quos sua ætas vidit, magna statura et viribus, et in omnibus studiis liberalibus exercitissimus; non vero ea prudentia præditus credebatur, qua majores ejus præditi fuerant. Gormus, cum ad maturam ætatem pervenerat, uxorem duxit, nomine Thyriam, filiam Haraldi, Jotiæ[1] dynastæ, qui dictus est Haraldus Klakkus. Thyria fuit præ ceteris feminis pulcritudine et prudentia præstans, et fama est, eam ex feminis regnorum septemtrionalium maximam fuisse heroinam; ea appellata est Daniæ restauratrix. Klakk-Haraldus dynasta prudentissimus habitus est eorum hominum, qui tunc in Dania fuerunt. Postquam vero Gormus regiam dignitatem et imperium post patrem suum, Knutum Hördensem, acceperat, consiliis Haraldi dynastæ, soceri sui, et Thyriæ, uxoris suæ, persæpe usus est. Rex Gormus in provinciam Daniæ, vocatam[2] Reidgothiam, nunc Jotiam, exercitum duxit adversus regulum, ibi imperantem, qui Gnupa nominatus est, cum quo aliquot prœlia fecit, eo tandem exitu, ut Gormus, hoc rege cæso, toto ejus regno potiretur. Deinde adversus regem contendit, nomine Silfraskallium; quem bello et prœliis fatigavit, semper victor, tandemque prostravit. Posthæc, in interiores Jotiæ partes progressus, omnia infesto clypeo (i. e. infestis signis) peragravit, adeo, ut austrum versus usque ad Sluem omnes regulos perderet; magnam quoque ditionem in Vind-

[1]) Holsatiæ, F. [2]) tunc temporis vocatam, B, C.

landia sibi subjecit, multa prœlia cum Saxonibus fecit, et rex potentissimus factus est. Rex Gormus ex uxore sua duos filios suscepit, quorum natu major Knutus, minor Haraldus, nominatus est. Knutus Gormi filius omnium, quos quisquam vidit, venustissimus et de facie pulcherrimus fuit; qui quidem primum omnium adeo gratiosus fuit, ut rex eum præ omnibus aliis carum haberet, deinde vero etiam tam popularis ingenii, ut ex toto populo nemo esset, quin eum diligeret; quapropter dictus est amor Danorum. Haraldus cognatis maternis similis fuit, cui mater Thyria non minus quam Knuto favit.

De Ivare Exosse.

Cap. 64. Ivar Exos longo tempore rex Angliæ fuit; ille prolem non habuit, dicitur enim ad liberos procreandos nulla ei cupiditas aut indoles fuisse, prudentia autem et ferocitas ei non defuit; in Anglia senex obiit, ibique tumulo conditus est; tum omnes Hirsutibraccæ filii mortui erant. Postea Adalmundus[1] Jatgeiris filius, Jatmundi Sancti ex fratre nepos, imperium Angliæ suscepit, magnam Angliæ partem christjanam reddidit, Northumbriæ, ethnicæ religioni addictæ, tributum imposuit. Post eum rex creatus est Adalbriktus, rex bonus, qui grandævus extitit; postremis ejus temporibus exercitus Danorum in Angliam pervenit, ducibus fratribus, Gormi Grandævi filiis, Knuto et Haraldo; hi late per Northumbriam armata manu grassantes, magnam incolarum partem sibi subjecerunt, jure hæreditario suas esse vindicantes terras, quas Hirsutibraccæ filii, et multi alii eorum majores, tenuissent. Rex Adalbriktus, magno congregato exercitu, adversus eos

[1]) Ætmundus, B; Etmundus, C.

movit, eosque offendit a boreali parte Kliflandorum, ubi ex Danis magnam hominum[1] multitudinem interfecit. Post aliquanto Gormi filii, exscensione ad Skardaburgum facta, prœlium commiserunt, ibique Dani victoria potiti sunt; quo facto, austrum versus littora terræ legebant, Jorvikam (Eboracum) petituri; hic omnis populus iis se submisit; quare omni deposito metu securi erant. Die quodam calido, sole sereno, cum milites inter naves natarent, regesque se nando exercerent, quidam de terra decurrentes tela in eos miserunt; tum Knutus sagitta ad necem percussus est; milites funus sublatum in naves retulerunt. Quo audito, incolæ ingentem exercitum contraxerunt, et mox, adveniente rege Adalbrikto, omnes, qui antea Danis se subjecerant, ad eum transierunt. Quo facto, Dani nusquam in terram egredi potuerunt propter confluentem populi multitudinem, quare domum in Daniam se retulerunt. Rex Gormus in Jotia tum constitutus fuit; quem Haraldus statim convenit, matri vero ea, quæ acciderant, retulit. Votum voverat rex Gormus, si decessum Knuti filii sui accepisset, se moriturum, et similiter eum, qui sibi mortem ejus nuntiasset. Tum Thyria aulam stragulis panni quadrilicis cinerei coloris obduci fecit, rege vero discumbente, omnes, qui intus erant, tacuerunt. Tum rex: cur hic omnes homines tacent? an res aliqua memoratu digna accidit? Respondit regina: fuerunt tibi, domine! duo accipitres, alter colore albo, alter cinereo; albus ille procul in decerta avolavit, cui in arbore quadam considenti magna superveniens graculorum multitudo, adeo eum vellicabat, ut deplumis inutilisque factus sit; accipiter vero ci-

[1]) Sic B, C; Nordmannorum, A.

nereus rediit, hicque aves jam mensæ tuæ suppeditabit. Heic rex: ita nunc Dania luget, ac si Knutus, filius meus, mortuus sit. Excepit regina: vera narras, domine! Omnes, qui intus erant, vera esse affirmarunt. Eodem die rex Gormus morbum nactus, sequenti die circa eandem horam mortuus est, postquam centum[1] annos rex fuerat; cui mortuo ingens tumulus constructus est. Tum rex imperii Danici creatus est Haraldus, filius ejus, qui diu postea rex fuit.

[*Series imperatorum Germanorum*[2]].

Cap. 65. Imperator Lödves, Lödvis filius, nepos Karlamagni, cum fratribus suis, ut supra scriptum est, annos triginta sex[3] regnavit; postea Karl, filius[4] ejus, undecim[5] annos cum duobus fratribus suis regnavit, quorum alter Karlomannus[6], alter Lödves, nominabatur. Eo tempore incoli cœpit Islandia; tum Daniæ præfuit Gormus Grandævus, Norvegiæ Haraldus Pulcricomus. Karli, Lödvis filio, successit Arnaldus[7], filius Karlomanni[8], qui duodecim annos regnavit; post eum Lödves, filius Arnoldi, duodecim annos; tum Konradus, Konradi filius, septem annos, qui primus fuit imperator ex ea gente, quæ per majorum stemmata origines ad Karlamagnum non referebat. Post Konradum Henrikus octodecim[9] annos imperavit; tum imperator Otto Magnus annos triginta octo; tum Otto Rufus, filius ejus, annos novem; tum Otto Juvenis, annos octodecim. Eo tempore Haraldus Gormi filius rex erat Daniæ et Norvegiæ; Hakon vero dynasta Hladensis regnum

[1]) septuaginta, S. [2]) Confer Script. rer. Dan., Tom. 2, p. 30. [3]) duo, B. [4]) frater, F, S. [5]) duodecim, B, F. [6]) Karlamagnus, C. [7]) Arnoldus, F. [8]) ejus (sc. Karlis), F, S. [9]) septemdecim, F.

Norvegiæ, ejus nomine administravit, ut supra dictum est, fida tum inter eos amicitia. Hakon dynasta æstate quadam sexaginta accipitres regi Haraldo dono misit, nulla vero tributa pependit, eo quod rex Danorum ei omnia tributa concesserat, quamdiu in Norvegia esset, in usum et sumtum, ut regnum a vi externa defenderet.

De imperatore Ottone et rege Haraldo.

Cap. 66. Imperator Otto, qui Juvenis appellatus est, votum vovit, se Danos ad veram religionem conversurum, si qua ratione posset, et omnibus opibus et copiis per tres[1] continuas æstates adhibitis regnum devastaturum, si religionem christjanam prius introducere non posset. Hoc voto nuncupato, legatos ad Haraldum Gormi filium, Donorum regem, misit, postulans, ut ipse, omnisque cui imperaret populus, baptismum veramque religionem acciperet, alioquin se eum bello persecuturum. Quibus rebus cognitis, rex Danorum copias regni præsidiarias apparari, munimentum Danorum refici, navesque bellicas armari, jussit; nuntio boream versus in Norvegiam misso, imperavit, ut Hakon dynasta primo vere, cum omni, quem parare posset, exercitu, ad se veniret. Quare Hakon dynasta eodem vere copias ex toto suo regno evocavit, et cum his in Daniam ad Haraldum, regem Danorum, profectus, ab eo gratissime excipitur; multi alii principes regi Danorum adfuerunt, qui ei opem tulerunt. Tum rex palam fecit, se has copias adversus Ottonem imperatorem ducturum.

Prælium inter Ottonem imperatorem et Danos.

Cap. 67. Imperator Otto, ingenti pulcroque exercitu in Saxonia hoc vere contracto, æstate in Daniam profectus est. Hic et rex Haral-

[1]) sex, C.

dus, classe congressi, prœlium illico commiserunt, et totum diem usque ad noctem conflixerunt, multis utrinque, pluribus tamen imperatoriis, cæsis. Oboriente nocte, inducias trium noctium (dierum), ad consultandum et apparandum, inter se pepigerunt; cum vero tres noctes exierant, utrique in terram egressi, prœlium apparárunt; deinde coierunt agmina, certamenque acerrimum ortum est; res imperatoria tum erat inferior, multo pluribus ex ejus exercitu cadentibus; cumque multum diei jam processerat, fusi fugatique ad naves se receperunt. Dicitur hoc die Otto imperator equo considens fortiter pugnasse; cum vero maxima pars suorum fugere cœpisset, ipse quoque equo vectus ad naves se recepit; manu gestavit hastam ingentem, aureis lamellis obductam, totamque manuum tenus cruore oblitam, qua in vada littoris ante se posita, clara voce locutus est: deum omnipotentem testor, inquit, cum altera vice in Daniam venero, me hoc regnum ad christjanismum perducturum, aut vitam positurum et hic in Dania mortuum decubiturum; quo dicto, Otto imperator, conscensis navibus, copias in Saxoniam reduxit, ubi hiemem transegit. Hakon vero dynasta apud regem Danorum remansit, qui inter se magna consilia agitarunt et [munimentum Danorum[1] denuo instaurandum curarunt.

Cap. 68.[2] Vere proxime sequenti imperator Otto invictum (immensum) exercitum contraxit, copiis ex Saxonia, Francia, Frisia[3] et Vindlandia adductis; sequebatur eum rex Burizlavus magno cum exercitu; magnas præterea ipse

[1]) sic, B, C, F, S; imperium Danorum, A. [2]) titulum capitis: colloquium regis et Hakonis dynastæ, omisi, ut alienum. [3]) Vallandia, B; Finnlandia, C.

copias ex Holsatia habuit; hunc totum exercitum in Daniam duxit. Imperator, audito, Hakonem dynastam in Dania versari, adversus se cum Haraldo rege pugnaturum, duos dynastas suos misit, quorum alteri nomen erat Urguthrjotus, alteri Brimisskjar[1], qui triginta onerarias, viris et armis onustas, in Norvegiam transmitterent, ibique incolas, absente Hakone, ad christjanismum perducerent.

Prœlium inter imperatorem et Hakonem dynastam.

Cap. 69. Hakon dynasta hiemem in Dania apud regem Haraldum transegerat; cum vero accepissent, imperatorem Ottonem in Daniam magno cum exercitu advenisse, rex Haraldus Hakonem dynastam cum toto exercitu Norvegico, qui eum fuerat comitatus, austrum versus ad munimentum Danorum misit, ut ibi fines regni tueretur; ipse vero rex Haraldus copias in Jotia contraxit. Memorat (carmen) Vellekla, Hakonem dynastam cum copiis in Daniam transmisisse, Danorum regi opem laturum, eundemque ab rege ad defendendum munimentum Danorum missum, his verbis:

Accessit, quod arenivagæ tabulæ
jumenta cucurrerunt, ferentia
heroa fortem, a septem trionibus
austrum versus ad Daniam.
Rector virorum, Dofriæ
dominus, galea Terroris
tectus caput, Danorum principum
conventum petebat[2].

[1]) *Brimilskjarr*, B, S; *Brimskjarr*, C; hæc nomina contemtus causa videntur dynastis a Norvegis addita; *Urguþrjótr* enim est: pertinax retinaculorum nebulo; *Brimsskjarr*, vel id. q. *Brimsskjarr*, timidus maris, vel pronuntiandum *Brimisskjarr*, timens ensem.

[2]) Ordo: *Hitt var ok a), er b) örborðs c) eykir α) runnu d)*

Et liberalitate insignis rex
experiri voluit sylvosæ terræ
principem, qui advenerat
a borea, in stragis procella;
cum rex asperum præsidem
loricarum tempestatis
defendere castellum juberet
ab ensium jaculatoribus[1].

norðan sunnr á vit Danmarkar und svinnum sigr-runni. En e) hölda f) valdr Dofra g) drottinn β), of faldinn hólmfjötrs γ) hjálmi h) of sótti fund Danskra jöfra. Abest in F, S, Sk.

a) auk, præterea, Hkr. *b) at*, Hkr. *c) aurborðs*, Hkr.; quod usitatius est; sed inter se permutantur sæpius ö et *au*. *d)* ita Hkr.; *funnu*, A, quod minus aptum duxi; etsi enim subaudias *veg*, inveniebant viam, talis exclusio insolentior mihi videtur; lectio *runnu* facilitate sua se commendat. *e) ok*, et, Hkr. *f) Hörða*, Hördorum, B, Hkr. *g)* sic dedi sec. Hkr.; *döfra*, A. *h) hilmir*, B.

a) örborð mihi idem est cum *aurborð*, quam vocem ex modo navium fabricandarum, apud Islandos occidentales usitato, commodissime explicari posse existimo; nam apud hos tabulæ, carinæ proximæ (*kjalsíðar*), fere erectæ construuntur; secundus ordo tabularum adeo deflectitur, ut paululum modo a solo adsurgat; hic tabularum ordo, quod, dum subducitur vel deducitur navis, subjecta arena atteratur, vocatur *aurborð*, q. tabulæ arenivagæ; hinc: *aurborðs eykr*, navis. *β)* Ed. Havn. jungit *holmfiöturs dofri*, gigas maris, quod pro navis appellatione summunt; paulo convenientius mihi visum est, jungere *Dofradrottinn*, a *Dofrar*, qui tractus est prope montem Dofricum, v. vitam Olavi Sancti, C. 117. *γ) hólmfjöturs hjálmr*, per homonymiam positum est pro *ægishjálmr*, galea terroris; *hólmfjötr*, vinculum insulæ, mare, qui et *ægir* dicitur, quæ vox homonyma est cum *ægir*, terror.

[1]) Ordo: *Ok merkr a) fèmildr konúngr vildi atfreista þess markar b) - hlódynjar c) - álfs a)*, *er kom norðan, við β) morðfrost d); þá er gramr e) bað stirðan γ) valserkjar-veðr-hirði f) varða virki fyrir δ) hagbarða - hurðar g) hlunn h) - njörðum i)*. Abest in F, S, Sk.

a) myrk, Hkr., quod junge cum *markar*, opacæ sylvæ.

Otto imperator exercitum australi parti Danorum munimenti admovit. Munimentum Danicum sic comparatum est: duo sinus hinc illinc in terram insinuant, inter intima vero sinuum brachia Dani aggerem altum et firmum ex saxis, cespitibus et trabibus exstruxerant[1], profundamque fossam extra duxerant; centeni quique passus portam habebant, cui superstructum erat castellum[2] ad defensionem munimenti, nam pro singulis portis pons fossæ erat impositus. Otto imperator partem australem munimenti Danici exercitu suo oppugnavit; Hakon vero dynasta aggeres castelli suis co-

b) *serkjar*, B, C, contra metrum. *c*) *foldynjar*' Hkr., eod. sensu; *hlódynar*, B. *d*) *fyrst*, Hkr., pro *frost*, quod omnes var. lect. ibid. præferunt. *e*) *gram*, C. *f*) *hirðir*, Hkr.; unde legendum suadent *gram* pro *gramr*. *g*) *Hörða*, Hördorum, Hkr., ut adeo *Hörða-gram*, de Hakone satrapa sit intelligendum. *h*) *hlym*, sonitus, Hkr. eod. sensu; *hlið*, C. *i*) *morðum*, C, prave.

α) *hlódyn*, tellus, quæ et *foldyn* et *fjörgyn* audit; *markar hlódyn*, terra sylvæ i. e. sylvosa; de Norvegia intelligo, quæ supra dicitur *eyki-grœnt Onarsfljóð*, terra arboribus viridis; hujus *álfr*, præfectus terræ sylvosæ, ipse Hakon satrapa, eadem ratione, ac in Eigla, C. 59, *landálfr* dicitur., q. s. tutelaris terræ genius. *β*) coactus sum jungere *morð-frost*, ob lectionem *frost*, quamvis *morðálfr* per se apta satis esset bellatoris appellatio; *frost*, gelu, poët. pro procella, tempestate; hinc: *morðfrost*, tempestas cædis, pugna; sic *odda frost*, pugna appellatur apud Sigvatum, Hkr. VII, C. 47, str. 2. *γ*) *hirðir*, pr. qui servat, custos; deinde pro præfecto, duce, accepi; nam *valserkjar veðr*, de procella loricæ, jaculatione, pugna, explicavi; si vero *valserkiar veðr*, pro ariete loricæ, i. e. telo, accipere malis, *hirðir*, proprie verti potest: qui servat, possidet, utitur. *δ*) *Hagbarðr*, sec. Edd. nomen piratæ; *hagbarða hurð*, tabula piratarum, clypeus; ejus *hlunnr*, ensis, nam *hlunnr*, accipi potest pro ligno in genere; hujus *nirðir*, numina ensium, prœliatores.

[1]) latam, add. B, C. [2]) militibus completum, add. B, C.

piis defendit, acerrimo coorto prœlio. De quo sic Einar Lancicrepus in Vellekla:

Haud facile fuit eorum
acies perrumpere, etsi
tumultuosi numen prœlii
cieret atrocem impetum.
Marinorum vector equorum
poposcit pugnam, quando ab austro
bellator iret cum catervis
Frisiorum, Francorum et Vendorum[1].

Hakon dynasta cohortes omnibus munimenti portis imposuit, majorem vero exercitus sui partem aggeres munimenti circumire jussit, ut, qua maxime fiebat oppugnatio, præsidio esset. Tum multi ex imperatoriis ceciderunt; cum vero imperator munimentum expugnare non posset, ad tempus abstitit, et exercitum ad naves reduxit. Qua de re sic Einar:

1) Ordo: *Varat a) gengiligt at gánga í gegn b) þeirra a) lið, þóat c) β) geirrásar d) garðröknir e) gerði harðan styr. Vâge blakkriði γ) kvaddi víge, þá er δ) gunnviðurr f) fór sunnan með fylki ε) Frísa, Frakka ok Vinda.* Abest in F, S, Sk.

a) *vara*, id., Hkr. *b*) *gögn*, id., Hkr. *c*) *þótt*, id., Hkr. *d*) sic B, Hkr.; *geir ásar*, A. *e*) *garðrögnir*, id., Hkr.; *garðraknir*, B. *f*) *gunnundr*, B, prave.

α) i. e. Norvagorum, quibus præfuit Hakon. *β*) i. e. Otto imperator; *geirrás*, impetus missi gladii; ejus *garðr*, vehemens pugna; hujus *röknir*, præliator: *röknir*, id. q. *rögnir*, nomen Othini, *k* cum *g* permutato. *γ*) i. e. Hakon satrapes; *vâge blakkr*, navis; *riði*, verbale agentis, qui equitat, a *ríða*, *reið*, *riðinn*. *δ*) intelligitur Otto imperator, a *gunnr*, pugna, et *Viðurr*, Othinus; Ed. Havn. Hakonem subjicit, hoc ordine: *þá er Frísa fylki* (nom. pro *fylkir*, sc. Otto) *fór sunnan með* (pro *mót*) *gunnviðor* (Hakonem) *vage blakkriði* (in dandi v. accusandi casu), *ok kvaddi Frakka* (*ok*) *Vinda víge*; quem ordinem haud paucis difficultatibus laborare existimo. *ε*) *fylki*, pro (militum) caterva, interdum occurrit, v. c. Hervarars. C. 18, str. 10; Edd. Snorr., p. 67; sic *fólk*, sæpius. De copiis Ottonis repete Cap. 68.

Intonuere mucrones; ubi
consortes ludi gladiorum
conseruere scuta; repertus est
ferox pugnando aquilæ saturator.
Marini equi oppugnator strenuus
Saxones vertere terga coëgit;
sic princeps cum militibus
barbaros arcuit a castello [1].

Hac pugna pugnata, dynasta ad naves suas rediit, et quam primum boream versus in Norvegiam navigare statuit, sed vento adverso retentus, in Limafjördo diu jacuit.

Munimentum Danicum consiliis Olavi expugnatum.

Cap. 70. Rex Olavus Tryggvii filius unam

[1]) Ordo: *a) þrymr a) við oddum b), er c) þriðja logs leikmiðjúngar β) lögðu saman randir; arngræddir γ) varð andvígr. Sækiþróttr sundfaxa δ) kom Söxum á flótta; þar er svá ε), at d) gramr varði ζ) óþjóðum e) garð með gumnum.* Abest in F, S, Sk.

a) *þrym*, Hkr. *b*) *odda*, Hkr. *c*) *þar er*, Hkr. *d*) om. Hkr. *e*) *ýrþjóðum*, viros, Hkr.

a) puto legendum esse: *þrymr varð odda*, strepitus exstitit mucronum; *varð*, quoque leg. quid. codd. Hkr.; possis quoque ita construere: *oddum þrymr við*, colliduntur cum stridore mucrones; sed offendit tempus præsens; Hkr. jungit: *arngreddir varð andvígr við oddalogs þrym*, pugnavit adversus fulgentis gladii gigantem (bellatorem, sc. Ottonem). *β*) *þriðja log*, flamma Othini, ensis; ejus *leikr*, ludus ensium, pugna; *miðjúngar*, in appellationibus virorum posse adhiberi, docet Edda, p. 201, in nota; forte a *miðr*, medius, q. s. qui intersunt rei gerendæ; sequens *leggja saman*, idem est ac Latinorum, conserere manus. *γ*) i. e. Hakon; *arngreddir* (sic enim pronuntianda vox), bellator, a *gráðr*, voracitas. *δ*) Hoc nomine etiam Hakon ornatur; *sækiþróttr*, qui oppugnat, a *þróttr*, nomen Othini; *sundfaxi*, equus freti, navis; bellatoris periphrasis. *ε*) ad verbum: ibi sic erat, quod; idem vero puto, ac si dictum sit: *þat er svá*, *at*, periphrastice pro *svá*, sic, quemadmodum Cap. 26, str. 2: *nú er þat*, *er*, pro *nú*. *ζ*) pr. non-gens, it. mali homines.

hiemem in Vindlandia degit, ut supra scriptum est; novo vere naves suas apparavit, et vela in altum dedit, cursuque ad littora Skaniæ directo, ibi exscensionem fecit; incolæ vero in unum se conglobarunt, et prœlium cum eo commiserunt, in quo victor Olavus, magna præda potitus est; inde Gotlandiam advectus, navem mercatoriam, quæ Jamtis fuit, cepit, strenue se tutantibus, qui nave vehebantur, eo tandem exitu, ut Olavus navem, multis interfectis, expugnaret, et omnia bona occuparet; tertiam pugnam in ipsa fecit Gotlandia, ubi victor magna præda potitus est. Sic dicit Hallfredus Difficilis-poëta:

Fecit porro princeps bellicosus
Jamtorum et Vendorum progeniem
in prœlio cadere; ei rei
mature adsuefactus est.
Audax in pugna dominus ducum
noxius fuit vitæ Gotlandorum;
audivi fando, auri largitorem
fecisse in Skania gladii procellam[1].

1) Ordo: *a) Ve-grimmr a) allvaldr lèt endr Jamta ok b) Vinda kindir c) falla í styr; hann d) vandist snimma á þat. Hjördjarfr hersa drottinn var hœttr Gota fjörvi; β) ek frá gullskerði e) gjörðo f) geirþey á Skáneyju.*

a) veg-grimmr, non parcens honori, honoris cupidissimus, Hkr.; *víg-grimmr*, in pugna ferocissimus, Sk. *b) at*, F. *c) kindum*, B. *d) hèr*, F. *e) gullskerðis*, Sk. *f) gerði*, Sk, quando subest *at*.

a) ve-grimmr, sævus in pacem, i. e. bellicosus. *β)* Hanc sententiam paullo aliter Edda Havn. resolvit: *ek frá* (sc. *at menn*) *gjörðo gullskerði* (dat.) *geirþey á Skáneyju*, i. e. audivi viros gessisse pugnam cum auri largitore; ego vero *gullskerði*, pro accus. accipio, et *gjörðo* pro imperf. infinitivi, admonitus de hac forma a G. Magnæo in Egla ed. Havn., p. 104, not. 1; cfr. quoque Glossarium Njalæ, sub voce *gerðu*, et Vigaglums-

Postea rex Olavus, classe littora Daniæ legens, austrum versus ad Sljeum contendit; audiverat enim, ibi adesse Ottonem imperatorem, et cum eo Burizlavum Vendorum regem, socerum suum, quibus opus auxilio esse cognoverat. Olavus, imperatorem conveniens, pollicitus est ei cum tota sua manu auxilio venire. Imperator, eum intuitus, quæsivit, quis esset. Cui ille: nomen meum haud insolitum est, domine! Olius vocor. Imperator: tu sane vir es magnæ staturæ, bonamque polliceris fortunam, et tui omnes strenui mihi videntur; quare utique tuum auxilium accipere volo. Imperator, habito cum consiliariis suis, aliisque principibus concilio, infit: considerate, principes! consiliumque date, quæ sit ineunda ratio, magna enim ad nos pervenit difficultas, quod totus hicce

sagæ, sub voce *fóru;* tangit quoque nonnihil hanc rem Raskius in Gram. Isl. ed. Havn., p. 123-4, quem de ratione harum formarum adeas. Ego nonnulla istuc pertinentia exempla satis habeho proferre, ut certo sciant lectores, talia imperfecta infinitivorum in sermone prisco extitisse; præter formas *mundu*, et *skyldu*, quavis fere pagina obvias, etiam *vildu*, a verbo *vilja*, velle, exhibet Knytlingæ C. 29: *hann lèzt vildu refsa þeim, er stolit hefði;* in poësi vero sæpissime occurrit hæc forma, v. c. Hkr. VII, C. 192, str. 3: *ek kveð flestan sigr frömdu fremd Olafs ens digra*, ajo plurimas victorias auxisse gloriam Olavi Crassi; ibid. C. 240, str. 3: *þat kveð ek mik frágu*, id ajo me audivisse; it. Hist. Haraldi Severi, C. 76, str. 1: *þar hykk fast ins frækna fylking Haralds gingu;* Hist. Magni Boni, C. 29, str. 2: *hykk í hundraðs flokki Haralds bróðurson stóðu;* Hkr. VI, C. 123, str. 2: *þar hykk gram, þanns gunni framdi, misto gengis þrænskra drengja*, ubi omnis constructio bene cohæret per accus. c. infinit., neque adeo opus est, ut ad enallagen casuum et figuras grammaticas, nescio quas, confugias cum J. Olavio (in tractatu *Nordens gamle Digtekunst*); eodem modo *komu*, Gretla, C. 65, str. 4; *váru*, O. Trygg. ed. Skalh., C. 367, str. 5; in forma passiva adhibetur Knytl., C. 8, str. 4: *hykkat þik þekltu kyrrsetu*, tibi non placuisse vitam otiosam.

magnus exercitus, qui huc convenit, commeatu fere destitutus est; Dani autem pecudes suas, omniaque cetera bona, quæ ipsis sunt, penitus in regnum e conspectu nostro abdiderunt, ubi sibi potissimum videntur posse ea a nobis defendere, ita ut ab hac parte munimenti Danici nulla eorum bona inveniantur, quæ hominibus alendis inservire possint; fecimus hic aliquot prœlia, et in magna difficultate terræ subigendæ versamur; quare consilium in medium proferte, quid agendum sit, ut honorem nostrum retineamus. Cum imperator finem dicendi fecerat, plerique tacuere; qui vero responderunt, duas præsto esse conditiones contendebant: unam, ut abscederent et in regnum reverterentur, alteram, ut jumenta vectoria mactarent ad militem sustentandum. Imperator reposuit: his consiliis grave subest piaculum, nam equina vesci, magna christjanæ religionis violatio est iis, qui alio modo vitam tolerare possunt; sin vero hoc bello, hac vice, absistimus, et domum in regnum nostrum revertimur, facile prævidere possum, nos alio tempore nunquam majorem aut splendidiorem exercitum ad subigendum Danorum imperium nacturos; mihi autem ipsi summum flagitium et nefas est, datam fidem violare; deo enim fidem meam obstrinxi, me hac vice aut Daniam christjanam redditurum, aut heic moriturum; quapropter neutro hoc consilio uti volo; sed audire libet, quid princeps Olius, qui nuper advenit, in medium consulat. Olius respondit: ea ingenio meo congruunt domine! quæ non commodissima videntur; vir sum exigui consilii, verum tamen tanti mea consilia facio, ut nihil omnino in medium prolaturus sim, nisi tu, domine! omnesque tui consiliarii, promittatis

usuros et habituros, quæ consilia daturus sum. Annuit imperator, annuerunt omnes, se consilio, quod daret Olius, usuros. Tum Olius: primum meum consilium est, ut inde auxilium petatis, ubi auxilii copia est, omnisque exercitus tres noctes et tres dies jejunet, ut deus, qui res omnes creavit, victoriam ex Danis nobis concedat, vosque faciat mandatis suis perfungi, quæ exsequenda habetis; deinde volo, ut omnes milites in sylvam, munimento Danico proximam, eant, sarmentorum fascem sibi quisque cædant, et ad munimentum apportent; quo facto, quid optimum factu sit, dispiciamus. Oratio Olii omnium acclamatione comprobata, cunctis militibus hoc consilium laudantibus. Primo mane sequentis diei in sylvam itum; ligna sero vespere ad munimentum apportata. Postridie Olius hanc rationem instituit: capiunt omnia, quæ comparare poterant, vasa aquaria, eaque assulis pice delibutis complent, et in eam rem tormenta sive ballistas[1] apparant. Ut alia taceamus, quæ facere instituerunt, militum nonnulli, jussu Olii, munimentum, qua facillime potuit adiri telis et lapidum conjectu oppugnaverunt; interdiu vero munimentum oppugnare non potuerunt, quod Hakon dynasta digrediens, magnum militum numerum omnibus castellis imposuerat, qui munimentum defenderent, si forte hostes reverterentur. Sero vespere milites imperatoris, jussu Olii, ignem in vasa aquaria conjecerunt, eaque ad munimentum contorserunt. Assulæ, pice oblitæ, brevi conflagrarunt; mox flammam ex vasis erumpentem sarmenta, sub munimentum congesta, conceperunt. Fuerat hoc die aër tranquillus et serenus, sub vespe-

[1]) *valslöngur*, (pro *slaungur*) id. C, F, S.

ram vero ortus est auster vehemens et siccus, qui, ingruente nocte, acrius spirare[1] cœpit. Cum vero sarmenta cœpissent conflagrare, ventique vis munimentum versus ferretur, castella, e ligno facta, subito ignem concipiebant, et similiter aggeres munimenti, qui magna ex parte ligno erant constructi; jamque tanta exstitit flammæ vis, ut unum ex altero conflagraret, maneque sequenti nulla vestigia Danici munimenti, præter saxa, apparerent[2]. His gestis, imperator cum omnibus suis Sljeum ad naves profectus, copias sinum in Jotiam transvexit, militibus jam commeatu non laborantibus, utpote quibus pecudum Danicarum copia affatim ad mactandum suppeteret. Haraldus autem, Danorum rex, cognito, incensum esse munimentum Danorum, Ottonemque imperatorem cum exercitu bene magno Jotiam ingressum, adversus eum cum exercitu suo contendit. Factum est, quo loco convenerunt, magnum et longum prœlium, eo tandem exitu, ut imperator victoriam reportaret, rex vero Haraldus ad Limafjördum refugeret, ubi comparatis navibus in Marseyam trajecit; tum missis inter eum et imperatorem internunciis, eo res deducta est, ut, pacem pacti, condicto loco temporeque conveniendi, ipse Otto imperator et Haraldus Danorum rex in Marseya congrederentur. Poppo nomen erat episcopo, qui cum imperatore fuit; hic regem Haraldum ad religionem christjanam amplectendam hortatus est, multaque eum docuit dei omnipotentis miracula. Cum vero episcopus prolixa diser-

1) *hvessa*, (pro *styrma*) id., S. 2) Tangit Fagurskinna expugnationem munimenti Danici his verbis: *þá er hann hafði áðr unnit Danavirki, sem heyra má í þeirri frásögn, hvesso með miklum krapti þat varð unnit af Guðs fulltingi.*

taque oratione de negotio divino exposuisset, rex Haraldus sic respondet: invitus facio, ut religioni renuntiem, quam per totam ætatem habui et observavi, et ante me consanguinei et majores mei, neque verbis solis, quantumvis splendidis et blandis, inducor, ut eam deseram, nisi manifesta simul ostendatis signa, ita ut negari non possit, vestram religionem esse meliorem et veriorem, quam nostram. Tum episcopus Poppo laminam ferream candentem dextræ imponi fecit, eamque in omnium conspectu novem pedes gestavit, quo facto, manum incolumem regi Haraldo ostendit; quo viso miratus rex Haraldus, religionem amplexus et cum omnibus suis copiis baptizatus est. Rex Haraldus, cum in Marseya considebat, antequam imperatorem conveniret, Hakoni dynastæ nuntium miserat, ut sibi auxilio veniret. Pervenerat tum in insulam dynasta, quando baptizatus erat rex; rex, missis nuntiis, jussit, ut ad se veniret; ut vero convenerunt, rex dynastam, ut se baptizari sineret, coëgit; quare Hakon dynasta cum omnibus, qui eum tum sequebantur, baptizatus est. Quo facto, rex ei sacerdotes aliosque doctos viros tradidit, additis mandatis, ut omnem Norvegiæ populum baptizandum curaret; quo facto, cum discessisset, dynasta Halsum in Limafjördo se contulit, ibique secundum ventum exspectavit. Férunt, Ottonem imperatorem officium lustricum præstitisse Sveini, filio regis Haraldi, eique nomen suum dedisse, quare sic baptizatus est, ut Otto Svein nominatus sit. Imperator, consilium Olii bene succesisse existimans, iterum interrogavit Olium, qua in terra natus, quaque familia ortus esset. Respondet Olius: qui sim, haud diutius te, domine! celabo;

Olavus vocor, gente Norvegus, patre natus rege Tryggvio Olavi filio. Imperator respondet: patris quidem aliqua, tui vero major, ad me fama pervenit; nunc volo, ut mecum in Saxoniam proficiscaris, te magnum principem in meo regno faciam. Olavus respondet: gratias tibi ago pro oblato beneficio, at regnum aliquod habeo in Vindlandia, quod curandum mihi est, tuus vero amicus libenter esse cupio; imperator ita fore annuit. Post hæc Otto in Saxoniam in regnum suum reversus est, ipso ac rege Haraldo amicissime digressis. Rex Haraldus ad mortem usque religionem christjanam bene servavit. Rex Burizlavus in Vindlandiam profectus est, et cum eo gener ejus Olavus Tryggvii filius. Hujus belli, quod in Dania gesserunt, meminit Hallfrödus in encomio Olavi (Olaviade):

Falangæ jumentorum incitator
betulas loricarum feriendo
decorticavit, in Dania,
austrum versus ab Heidabyo[1].

Hakon dynasta fidem deserit, et apostasiam commisit.

Cap. 71. Jam ob eo ordiendum, cum Hakon dynasta ad Halsum in Limafjördo ventum secundum exspectaret; ut autem nactus est ventum, quo se in altum deferri posse credidit,

[1]) Ordo: *Hleypi – meiðr a) a) hlunnviggja b) hjó c) β) bavðserkjar d) birki barklaust γ) fur sunnan Heidabý í Danmerku.* Abest in C.

a) Hleypimeiðar, Sk. *b) hlunnángja*, prave, Sk. *c) lèt*, Sk. *d) bandserkjar*, pr. Sk.

a) hlunnvigg, jumentum falangæ, navis; ejus *hleypimeiðr*, qui navem in cursum incitat, vir rei navali intentus, h. l. intellige regem Olavum. *β) bavðserkr*, indusium pugnæ, lorica; ejus *birki*, betula loricæ, miles loricatus (intelligi quoque posset de ense). *γ) barklaust*, non ad *birki* referendum, sed ad *hjó*, i. e. feriit ita, ut cortice denudaretur, sive loricas militum cædendo corrupit.

viros consecratos in terram exposuit, ipse vero altum petiit. Ventus primum a libanoto, deinde ab occidente flavit. Tum dynasta per Eyrarsundum vectus est, terramque ab utroque latere prædatus est; hinc orientem versus Oram Skaneyæ prætervectus est, prædas, ubicunque oris allaberetur, agens. Cum vero scopulos Gothicos orientem versus præternavigasset, ad terram appulit, magnumque instauravit sacrificium; tum volantes supervenerunt duo corvi, acutum clangentes; unde dynasta intelligere sibi visus est, Odinem sacrificationem accepisse, seque auspicato pugnaturum; quare naves omnes injecto igne concremavit; deinde in terram omnibus cum copiis progressus, infesto clypeo omnia peragravit. Tum ei obviam venit magno cum exercitu dynasta, Gautlandiæ (Gothiæ) præfectus, nomine Ottar; hi magnum prœlium commiserunt, victore Hakone dynasta, Ottare vero dynasta cum plurima suorum parte occumbente. Hakon dynasta utramque Gautlandiam peragrans, omnia infesto clypeo vastavit, donec in Norvegiam perveniret. Hujus rei meminit Einar Lancicrepus:

Occisor fugientium in campo
oraculum consuluit;
opportunitatem prœliandi nactus est
Hediniani gestator amiculi.
Et imperator militum videbat
atroces vultures cadaverum;
id numen sacri aspergilli volebat
vitam Gothorum perdere[1].

[1]) Ordo: *a*) *Velli-njörðr a*) *flótta gekk til frèttar á velli; draugr b*) *hèðins váða β*) *gat dagráð γ*) *dólga sagu. Ok δ*) *haldboði c*) *hildar sá ramma hrægamma ε*); *sá d*) *teine*)*-lautar týr vildi týna fjör Gauta ζ*). Abest in F, S, Sk.

a) *morðr*, B, C, vitio librarii. *b*) *drjúgr*, B. *c*) *hallboði*, id., B. *d*) *þá*, tum, Hkr. *e*) *teins*, B; *tens*, C.

Agitavit satrapes igneum
scuti conventum, qua nemo ante
processerat depugnaturus
sub piratæ lacunari;
nec quisquam a mari longius
portavit scuta, circumfusa strato
serpentis; omnem Gothiam
peragravit imperator [1].

α) *felli-njörðr*, qui sternit; *f. flótta*, fugæ, i. e. fugientium, prœliator, h. l. de Hakone. β) *Hęðins váðir*, panni, tegumina, Hedini piratæ, lorica; ejus *draugr*, pugnator; nota h. l. quatuor ejusdem subjecti periphrases in totidem enunciationibus, ut adeo pronominis vicem sustinere videantur. γ) *dagráð*, tempus opportunum: *dagráð at tala við konúng*, Egla; *dólga saga*, contentio cum hostibus, pugna; *saga*, narratio, it. contentio, ut *senna; dagráð dólga sagu*, id. q. in prosa: *dagráð til at berjast*. δ) *haldboði hildar*, qui pugnam committere jubet, dux exercitus. ε) *hrœgammr*, corvus. ζ) secundum has lectiones binæ admittendæ sunt anomaliæ: 1) *to hlaut*, esse femininum; 2) *fjör*, esse dativum, aut verbum *týna*, h. l. construi cum accusativo; siquidem *týr teinlautar*, esset pro *týr lautar-teins*, *laut* vero id. q. *hlaut*, sanguis lustralis, quod alias neutrum est; *lautar teinn*, tigillum, aspergillum sanguinis lustrici, v. Hist. Hakonis Boni, C. 16, et Eyrbyggjam in initio; hoc nomine dignissimus quidem fuit Hakon, antiquæ religionis cultor observantissimus; equidem lubentius admiserim verbum *týna*, cum accusativo, quam *to fjör*, poni pro *fjöri* v. *fjörvi*, quod nescio, an in neutris procedat; eædem anomaliæ sunt admittendæ, si vel cum ed. Havn. junges *haldboði lautar teins*, et *týr hildar*. Cum vero versus penultimus in consonantia metrica claudicet, fieri potest, ut vox *týna*, depravata sit; forte reponendum est *týra*, a *týr*, v. *tjörr*, si hoc loricam v. clypeum significet (nam in dubio versatur); tum *týra teinn*, ensis; ejus *laut*, terra ensis, clypeus; hujus *týr*, pugnator; porro jungendum esset: *vildi fjör Gauta*, cupidus erat vitæ Gothorum.

[1]) Ordo: *Jarl háði hjörlautar α) hyrjar þing, þars α) aungr b) maðr c) und ský d) -ranni β) sörva e) kom at herja áðan. Maðr f) bar-a g) randir lýngs h) - barða - lopt - varðaðar γ) enn i) lengra frá sjá; gramr vann um k) gengit allt Gautland.* Abest in C, F, S, Sk.

(*Dynasta in Norvegiam redit*).

Cap. 72. Cum Hakon dynasta, ab oriente proficiscens, Gautlandiam infesto clypeo peragraret, dynastæ imperatoris, Urguthrjotus et Brimisskjar[1], in Vikia constituti, quam totam ad Lidandisnesum usque christjanam reddiderant, cum de itineribus ejus omnique ratione cognovissent, minus tutum rati, ibidem Hakonem dynastam exspectare, si incolarum multitudo adversum se cum illo se conjungeret, cum omnibus navibus suis, quas eo secum duxerant, item octo[2] aliis, aufugerunt. Hakon dynasta in Vikiam perveniens, mox animadvertit, quid ibi dynastæ moliti fuissent: destructa fana, omnemque populum ad christjanismum perductum, ubi ejus rei data esset facultas. Tum Hakon destructa fana reficienda curavit, missisque per totam Vikiam nuntiis, interposito interdicto vetuit, ne quis religionem ab dynastis promulgatam servaret; deinde boream versus pedestri itinere in Thrandheimum profectus, ibi primum quietus consedit; jam solus toti Norvegiæ præfuit, neque ulla ab eo tempore tributa Danorum regi solvit, factus exinde in omnibus pejor, et paganismo addictior, quam antequam baptizatus est.

a) *þar er*, id., Hkr. *b*) *engi*, id., Hkr. *c*) *mannr*, id., Hkr. *d*) omitt. Hkr. *e*) *sörla*, piratæ, Hkr. *f*) *mun*, B. *g*) *bera*, B. *h*) *launga*, *B*. *i*) *ens*, B. *k*) *of*, Hkr. id.

α) *hjörlaut*, solum gladii, clypeus; ejus *hyr*, ensis; hujus *þing*, pugna. *β*) *sörvi*, h. l. accipio pro eadem voce, ac *syrvi*, quam inter piratas recenset Edda Snorr.; unde *sörvar*, in genere de hominibus, quemadmodum *serlar*, homines, viri, a *sörli*, pirata, ductum videtur; *ský-rann*, locus nubis, cælum; hinc *sörvaský-rann*, cælum piratæ, clypeus. *γ*) *barði*, piscis; *lýngs barði*, piscis ericeti, serpens; hujus *lopt*, tabulatum, cui incubat serpens, aurum; *varðaðr*, circumdatus, a *varða*, id. q. *verja*.

[1]) Brimiskjarr, B, C. [2]) novem, F, S.

(*Epeditio Olavi Tryggvii filii*).

Cap. 73. Dicitur Olavus Tryggvii filius idola nunquam coluisse, horum omnem cultum magnopere detestatus est, quæcunque vero de cælesti deo ejusque miraculis inaudivit, ea ei eximie placuerunt, in primis autem animo infixa tenuit, quæ in Dania viderat dei miracula. Atque proxima post hieme, quam digressus ab imperatore Ottone fuerat Olavus, in regno suo in Vindlandia consedit; insequenti autem vere naves suas comparavit, in piraticam excurrit, et primo per Frislandiam, deinde per Saxlandiam (Saxoniam)[1] et in Flæmingiam usque, prædando grassatus est; sic dicit Hallfredus:

Princeps, filius Tryggvii,
cadavera crebra concidit
deformia Saxonum in prædam
equo feroci, ad ultimum, gigantidis.
Amicis rex beatus passim præbuit
atro gigantidum equitio
bibendum nigrum sanguinem
multorum Frisiorum[2].

[1]) Frakklandiam (Franconiam), F.

[2]) Ordo: *Tiggi, sonr Tryggva, lèt α) tíðhöggvit ljótvaxin hræ a) Saxa fur b) styggvan c) leiknar hest β) γ) á lesti d). Vinhróðigr e) vísi gaf víða blökku δ) kveldriðu f) stóði at drekka brúnt g) blóð h) margra i) Frisa.*

a) gram, S. *b) við*, B, C. *c) dyggjan*, S; *dyggvan*, Sk. *d) lasti*, A. *e) vm hróðgr*, Sk. *f) kvöldriður*, Sk. *g) brútt*, Sk. *h) blóði*, Sk. *i) margar*, S.

α) forte rectius verterim: crebris ictibus fœdavit, ut *ljótvaxin*, non ad *hræ*, sed ad *höggvit* referatur; neque enim quis facile credat, Saxones in genere deformes fuisse. *β*) i. e. lupo; *leikn*, gigantis; ejus *hestr*, lupus. *γ*) *á lesti*, ultimo; sic opponitur *τῳ fyrstr*, in hujus historiæ Cap. 261, str. 2. *δ*) i. e. lupis; *kveldriða*, pr. quæ vespertino tempore equitat, h. l. gigantis est intelligenda; gigantides enim lupis vectæ noctu oberrabant, cfr.

Calumniatorum oppressor potens
removit involucra gladii;
ductor exercitus Flæmingorum
carnem distribuit corvis[1].

Olavus Tryggvii filius clypeum ab Thangbrando dono accepit.

Cap. 74. Eo tempore Albertus episcopus erat Bremis in Saxonia; ejus discipulus erat Thangbrandus, filius Vilbaldi[2], comitis de urbe Bremorum; hic jam ad maturam pervenerat ætatem, quando Hugbertus, episcopus de Kantarabvrgo (Cantuariensis), Albertum episcopum[3] ad se invitavit, et eximia munera ei omnibusque ejus comitibus dedit; huic convivio Thangbrandus cum episcopo interfuit; et cum munera distribuerentur, Hugbertus episcopus Thangbrando: tu ita moratus[4] es, uti equites, etsi

Edd.-Sæm., Helg. Hat. 35; hinc appellantur *kveldrunnar konur*, mulieres noctu oberrantes, Edd. Snorr., p. 102, str. 6; in Eyrbyggja *kveldriða*, de femina maga usurpatur, homines nocturnis incubationibus (equitationibus) vexante, p. 46, ante enim præcessit: *flutti þat Oddr Kötluson, at Geirríðr mun hafa riðit honum.*

[1]) Ordo: *Ríkr lægir rógsrekka* a) *brá* a) *valkera* b) *líki* β); *hersteſnir* γ) *lèt goldit hröſnum hold Flæmingja.*

a) *bar*, gestavit, Hkr. b) *valskera*, seculæ cadaveris, F, S; *valskerja*, id., Sk.

a) *rógs rekkar*, homines calumniæ v. dissidii, sunt turbulenti homines, rerum novatores; quorum *lægir*, repressor, rex dicitur. β) *brá valkera líki*, evaginavit ensem; *lík*, accipio pro involucro, id. q. *hamr*; *valkeri*, ensis, q. s. tentaculum cæsorum; ejus *lík*, vagina; sed lect. ed. Havn. alium exhibet sensum: *bar valkera líki*, gestavit induvias Othini (arma, loricam), vel similis fuit Othino (in pugna), a *líki*, similitudo, et *valkeri*, elector cæsorum, Othinus. γ) *hersteſnir*, qui evocat milites, imperator.

[2]) Vigbaldi, B, C. [3]) fratrem suum, add. B, C, S. [4]) alieno imperio subjectus, S.

clericus sis, ideo dono tibi clypeum[1], in quo signata est sancta illa crux cum effigie domini nostri, id significat doctrinam tuam; Thangbrandus donum grato animo accepit. Dein Albertus cum suis a convivio discessit; qui cum domum in Saxoniam pervenerant, aderat ibi rex Olavus Tryggvii filius; hunc convenit Thangbrandus, qui tum clypeum gestavit, ipsi ab episcopo Hugberto donatum. Ut autem rex Olavus clypeum conspexit, quid in eo signatum esset, diligenter attendit; et admiratus Thangbrando ait: quem colitis christjani in cruce passum? Thangbrandus respondit: dominum nostrum, Jesum Christum, colimus. Rex quæsivit: quid commisit, qui sic cruciaretur? Tum Thangbrandus ei passionem domini, et miracula crucis, exacte narravit. Tum rex Olavus clypeum venum petiit, Thangbrandus vero ei dono dedit. Rex ait: hoc donum magnopere mihi placet, et si quid tibi usu veniat, ut alicujus præsidio aut auxilio indigeas, me adeas, et tum ego clypeum tibi rependam, interim tamen volo, ut argenti nonnihil a me accipias. Annuit Thangbrandus; rex ei pretium clypei pendi jussit; quo facto, amice digressi sunt. Deinde rex Olavus insequenti autumno domum in Vindlandiam navigavit, ibique tertiam hiemem se continuit.

Rex Olavus cruce se signavit.

Cap. 75. Cum rex Olavus Tryggvii filius tres hiemes in Vindlandia fuerat, accidit res, quæ ei et multis aliis ibidem terrarum magnum dolorem peperit, ut uxor ejus, regina Geira, morbum nancisceretur, qui ei mortem attulit. Hæc jactura Olavo regi adeo gravis fuit, ut ei postea in Vindlandia commorari triste visum sit; ideo

[1]) Sic, B, C, F, S; *krosold*, A, vox obcura; forte *krosskjöld*, clypeum cruce notatum, vel *ro old*, ut *ald*, mera terminatio est.

naves viris instruxit, et primum in Daniam navigavit, atque hinc orientem versus in Gardarikiam proficisci statuit. Veri quoque simile videri debet, eum propter dolorem suum istuc se primum convertisse, ubi antea plurimum commoratus et sorte sua optime contentus fuerat. Cum vero ad Daniæ littora ventum secundum exspectarent, die quadam rex Olavus in terram egressus est, et more piratarum pecora abegerunt; quo comperto, incolæ congregati eos magna manu insecuti sunt. Rex Olavus ac sui non prius rem animadverterunt, quam confluente undique multitudine cingerentur; fugam circumspicientes, quomodo evaderent, non statim repererunt, erat enim in eo loco sylva densa et minutula, nulla vero tuta[1] latibula. Tum rex Olavus cum magna fiducia divinæ clementiæ suos alloquitur: scio, inquit, potentem esse deum, qui cœlos regit, et omnia creavit; audivi etiam, illum habere victoriæ signum, quod magna sequatur vis, hæc crux est, in qua passus est; oremus ergo omnes humiliter hunc eundem deum, ut nos per suum crucis signum protegat; nos humi sternamus, atque sumamus duos ramos, quos nobis in formam crucis superimponamus. Omnes ita, uti præcepit, fecerunt. Deinde magno strepitu et armorum fremitu supervenerunt hostes, eos statim comprehensuri, quippe quos paulo ante brevi a se intervallo abesse vidissent; in quibus cum frustrarentur, ultro citroque per sylvam cursitarunt, etenim illos, licet pedibus suis subjacerent, non viderunt; sic eos protexit sancta illa crux, divino adjuvante auxilio. Incolæ a quærendo destiterunt; rex vero Olavus cum suis surrexit, et ad naves perrexit; quo viso, illi acriter eos insecuti sunt. Tum nil aliud

[1]) alia, *F.*

regi atque militibus ejus relictum est effugium, quam, ut in loco, quo pervenerant, humi decumberent, dei misericordiam sperantes; dani vero illos nunc non magis invenerunt in plano campo jacentes, quam antea in densa sylva.

De rege Olavo.

Cap. 76. Post hoc eventum Olavus naves suas orientem versus in Gardarikiam direxit, ubi ab rege Valdamare atque Allogia[1] regina perbene exceptus est; sequenti hieme cum suis Holmgardi commoratus est. Nocte quadam per quietem ei oblata est visio magna et memorabilis; ei nempe visa est turris lapidea, in sublime, quousque oculis attingere posset, erecta; hæc columna extrinsecus gradibus, sive scamnis, excisa videbatur; ille sibi visus est ascendere columnam, usquequo supra nubes pervenisset; heic adeo suavem fragrantiam sensit, qualem antea nunquam animadverterat; tum circumspexit, et undique circa se vidit loca amœna, omnifaria voluptate florida; heic conspexit homines lucidos, albis vestibus indutos, atque omnigena splendida gloria ornatos, majorique, quam ut dici possit, gaudio plenos. Dein supra se audivit vocem, ad se ita dicentem: ecce, Olave! vir bonæ spei! tua opera ad res bonas multiplicabuntur, atque eximium fructum ferent, in gloriam dei, et in tuum honorem, tam in præsens, quam in posterum, tempus, quoniam nunquam veneratus es maledicta idola, neque illis ethnicum cultum præstitisti; hinc nomen tuum per orbem celebrabitur; multum tamen tibi deest, ut perfectus sis dei minister, nondum enim plenam habes rerum divinarum notitiam aut persuasionem,

[1]) Arlogia, B, C.

neque sacro baptismo ablutus es. Tum pertimuit Olavus, et valde anxius dixit: quis es, domine, in quem credere possim? Vox respondit: in Græciam proficiscere, ibi tibi notum fiet nomen dei tui, et si in eum recte credis, atque præcepta ejus fideliter servas, te et multos alios ab opacis ethnicæ religionis tramitibus erroneis in lucidas sacrosanctæ fidei vias deduces; deus enim te elegit, ut multos populos ei acquiras, et propter hæc æternam salutem, majoremque, quam nunc vidisti, gloriam adipisceris. Cum hæc vidisset et audivisset, de columna descendere voluit; tum deorsum infra se vidit multa terribilia loca, flammantibus cruciatibus plena, audivitque ejulatum et desperationem, atque miserabilem lamentationem animarum, quæ ibi cruciabantur; ibi sibi cognoscere visus est multos principes atque amicos suos, qui in ethnicos deos crediderant; ibi etiam conspexit formidabilem cruciatum, regi Valdamari et reginæ Allogiæ præparatum. Hac visione valde exterritus est, et tantopere commotus, ut, cum expergefieret, oculi ejus lacrimis oppleti essent; eodemque mane, cum vestes induisset, jussit copias suas profectioni se accingere. Hinc naves quam celerrime ad Græciam direxit, ubi multos offendit præstantes sacerdotes, qui ei notum fecerunt nomen domini, Jesu Christi, narratumque est, Olavum tum prima signatione initiatum fuisse; postea rogavit episcopum, cui nomen Paulus, ut in Gardarikiam proficisceretur, atque ibi gentibus ethnicis religionem christjanam annuntiaret. Paulus episcopus erat magnus dei amicus, dixitque, se in Gardarikiam profecturum, si Olavus præcessisset, et negotium ejus interpretatus esset, ne resisterent principes, quominus christ-

janam dei religionem ibi fundaret. Tum Olavus Gardos reversus est, atque sanctam fidem ibi annuntiavit, et quidem primum sigillatim regi et reginæ. Rex primum firmiter restitit, regina autem facilior erat; tandem vero eo res perducta est, ut suasu reginæ rex frequentia comitia convocaret. Cum autem multi magnates atque ingens populi multitudo eodem convenissent, comitiaque constituta essent, surrexit rex Olavus, et ita verba fecit: spero, domine rex! te sapientia tua intelligere, de quo coram te aliquam intuli mentionem, tibi scilicet et omnibus aliis, tam divitibus, quam pauperibus, multis nominibus præstare, in unum verum deum credere, creatorem, qui fecit cœlum et terram, et omnes res, visibiles et invisibiles, quique dat æternam salutem sine fine omnibus in se recte credentibus, sibique rite servientibus, quam in tantis errare tenebris, ut in falsa idola credatis, quæ eo minus aliis quidquam auxilii præstare possunt, quod ipsa nequeant loco moveri, nisi ab aliis portata aut tracta sint, quemadmodum tibi multo ante dixi, cum nullam dei notitiam haberem, mihi nihilo secius temerarium videri, eis servire; hinc omnem laborem et operam impendam, atque nunquam desistam, nomen dei vobis annuntiare, priusquam te, rex! atque totum hunc populum ab opaco erroris tramite, quo nimis diu incessistis, in candidas spei vias æternæ salutis traduxero. Rex Valdamar ad sermonem illius respondit, atque ita fatus est: ex istis radiolis, qui ex pulcris tuis hortationibus renitent[1], inducor in spem, morem christianorum hominum nostro præstare; verum longa pri-

[1]) ad meam rationem, add. B, C, F, S.

stinæ religionis consuetudo retinet me, quominus res eo pertinentes animadvertam; quo accedit, quod mens mea dictitat, vix decere stultitiam meam, renuntiare religioni, quam cognati mei et majores, unus post alterum, perpetuo per omnem ætatem coluerint; ideo de difficili hac re aliorum sententias audiam, primum reginæ, quæ me multo sapientior est, et deinde omnium aliorum principum et consiliariorum nostrorum. Sermo regis magno omnium applausu exceptus est. Cum autem silentium factum esset, regina ita orsa est: hic vir Olavus ad te, rex! pervenit, cum ætate puer erat, de exilio, atque magna servitute recens liberatus, eumque ignotum et peregrinum ad te recepisti, ita ut, eum adeo amanter, uti tuum ipsius filium nutriveris ac educaveris; quo (beneficio) sic usus est, ut, cum propter ætatem aliquid adgredi posset, tuum regnum omni benevolentia firmaverit et auxerit; dehinc omnium bonorum gratiam sibi conciliavit; jam paulisper abfuit, et fidus et salutaris consiliis factus est principibus, quibus non debuit tantum boni, quantum tibi; videtur etiam sollicite et perquam serio proferre speciosum illud negotium, cujus præco est, quodque omnibus sapientibus salubre videbitur. Hinc conscientia mea mihi indicat, matrem tuam, rex! hunc quondam prævidisse virum, multosque sapientes et sagaces viros hujus regni prædixisse, virum peregrinum hic educatum iri, qui non solum ornaturus esset hoc regnum splendidæ suæ intelligentiæ ac scientiæ lumine, sed etiam cujus benevolentia passim alibi pulcre floresceret; hoc ex vultu illius jam pridem præsagivi, et tunc statim et semper deinceps mihi majoris visus est, quam alii juvenes; hoc verius est, quam

quod suspicati sunt mali homines, nostrum amorem crimine iniiti. Regina ita finem dicendi fecit, ut omnes ejus eloquentiam et sapientiam collaudarent. Ille fuit comitiorum exitus, ut dei clementia atque hortatione reginæ, omnes veram fidem amplecti promitterent. Hoc tempore episcopus Paulus fiducia regis Olavi e Græcia venit, atque regem Valdamarem et reginam Allogiam, atque totum eorum populum, baptizavit, et in sancta fide stabilivit. Hunc primum laboris sui fructum domino suo obtulit fidelis cœlorum regis minister, tum nondum baptizatus, exemplo sancti Basilii, qui, priusquam baptizaretur, sanctam fidem palam annuntiavit. Nec mirum est, deum spiritum suum inspiravisse pectori hujus viri, crucis signo sub confessionem sanctæ fidei initiati, quem elegerat, ut negotium suum gentibus paganis prædicaret, qui sua providentia Ambrosium, nondum baptizatum, quæ christianæ ecclesiæ archiepiscopum elegisset; atque misit angelum suum evidenter, ad ostendendum ethnico Cornelio centurioni viam salutis ad sanctam fidem, ut benefactorum, quæ jam pridem præstiterat, præmium auferret. Idem ipse dominus noster, Jesus Christus, palam apparuit ethnico Placido, equitum præfecto, atque eum ad suam misericordiam vocavit, cum antea res divinas ignoraret, licet multa bene faceret. Hæc, quæ de annuntiata in Gardarikia ab Olavo Tryggvii filio fide christiana jam relata sunt, fidem non excedunt, nam liber præstans, et ad rerum cognitionem frugifer, qui incribitur Imago mundi[r],

[r]) Liber, dictus *Stjórn*, (de quo vide Hist. Eccl. Isl., Tom. 1, p. 370–1, not. a.) hunc librum citat Libr. 7, Cap. 4, qui librum Judicum complectitur, his verbis: *hinn ágæti Aoth stjórnaði yfir Israels lýð í átta tugi úra, eptir því, sem segir*

clare testatur, has nationes, quæ appellantur Rusci, Polavi[1], Ungarii, ad christjanismum conversas esse diebus Ottonis imperatoris hoc nomine tertii. Quidam libri tradunt, Ottonem imperatorem cum copiis suis terras orientales (ad mare Balticum jacentes) ingressum, ibique multis locis populos ad christjanismum coëgisse, atque Olavum Trygvii filium eum comitatum fuisse.

De piratica regis Olavi Tryggvii filii.

Cap. 77. Posthæc rex Olavus naves suas et copias ex oriente ab Gardarikia profecturas paravit; primum in Daniam navigavit, et hinc occidentem versus per mare vela dedit; ita dicit Hallarstein[2]:

Permultæ naves deinde regiæ,
clypeis ornatæ, cucurrerunt
omnes simul a Gardis,
regem ferentes liberalem.
Fidus Olavus, hæres Tryggvii,
vastavit terras occidentales
navali expeditione, et virorum
progeniem secuit metallis[3].

Imago mundi; þat segir ok sú sama bók, at á hans dögum varð sá mikli bardagi við Gabaon, er sjálfir Gyðingar stríddu á.

[1]) Rutokolani, B, C. [2]) Markus Prætor in Rekstefja, F, S.

[3]) Ordo: *Hérmörg a) snekkju borð b) hildings, α) hála c) β) törgut d), runnu síðan öll senn or Görðum und e) mildum gram; aldyggr Olafr, arfi Tryggva, rèð f) herjat γ) Vestrlönd, ok klauf virða kindir g) stálum h).*

a) herðig, S; *hergin*, F. *b) börð*, proræ, Hkr. in hist. Ol. Trygg. C. 21. *c)* sic Sk; *hala*, A, Hkr., cet. *d) tjörgut*, id., vel pice oblitæ, S; *norgut*, obsc. C; *urgut*, F; *urgur*, vincula (insularum), i. e. mare, Hkr., Sk. *e) um*, circa, F. *f) lèt*, Sk. *g) kindar*, Hkr., Sk. *h) stáli*, ferro, Sk; *straumi*, B.

α) hála, contr. ex *háliga*, magnifice, splendide. *β) torgut* (ut in textu impressum est), accepi pro *törgut*, a *targa*, clypeus. *γ) rèð herjat*, periphr. pro *herjaði*, depopulatus est.

Rex Olavus primo ad Angliam accessit, ibique multis in locis regionem prædando vastavit; sic dicit Hallarstein[1].

Cruentus ensis regiorum militum
insonuit in Anglia;
accepi, tinctorem attulisse cuspidis
Britannicis populis necem[2].

Navigavit quoque in Northumbriam usque, ibique prœlia commisit; deinde boream versus Skotiæ littora prætervectus, multis locis prædas egit; hujus rei meminit Hallarstein:

Clypeo decorus etiam Skotiam
polito devastavit ense;
prædura cuspis morti destinatos
momordit Skotos; saturabantur lupi[3].

Rex Olavus ab Skotia ad Sudreyas navigavit, ibique aliquot prœlia fecit; hinc ad Monam cursum direxit, ibique bellavit; in Hibernia piraticam exercuit, ibique multis locis tractus

[1]) Marcus Prætor, F, S.

[2]) Ordo: *Blóðugr brandr bragnings þjóðar gall a) á Englandi; ek frá odd-rjóð b) valda aldrspælli Enskra lýða.* Abest in Hkr.

a) *galt*, S. *b*) *óð meðal*, F; *oddjörð*, clypeum, S; *odds jóð* pr. Sk; *oddr jóð*, A, B, C; unde feci *oddrjóð*, quæ unice vera lectio esse videtur.

[3]) Ordo: *Skjaldfrýðr a) nam ok b) ryðja c) Skotland d) sköfnum e) brandi; ódeigr oddr beit feiga Skota f); úlfar söddust.* Abest in Hkr.

a) *skjótfróðr*, jaculandi peritus, F, S, Sk; q. s. *skotfróðr*, a *skjóta*, vel *j* vitio librarii insertum est, ut Hkr. VII, C. 260, str. 2: *fljótt skœrum*, pro *flótt-skœrum*; *skjallfríðr*, C, quod vel id. est quod *skjaldfríðr*, vel pulcher, candidus instar membranulæ ovorum, a *skjall*; cfr. Eddam Snorr. p. 20; verti *skjaldfrýðr*, quasi scriptum esset *skjaldfríðr*; forsitan legendum est *skjall-frýðr*, ab ostentatione (jactantia) alienus, a *skjall*, gloriatio et *frýja*, recusare, adj. verb.: is, in quo negatur esse gloriatio. *b*) om. Sk. *c*) *rjóða*, rubefacere, F, Sk. *d*) *Skotlande*, B, C. *e*) *skömmum*, curto, F, S; *skygðum*, levigato, pellucido, Sk. *f*) *Skotta*, Sk.

habitatos incendiis vastavit; sic dicit Hallarstein:

Intrepidus porro dominus
procellæ scutorum combussit,
absque metu, vehementer
agros Hibernorum passim[1].

Tum ad Bretlandiam se contulit, et ibi passim regionem deprædatus est; hinc occidentem versus in Vallandiam navigavit, ibique prædas egit. De omni hac piratica mentionem facit Hallfredus Difficilis-poëta:

Rex juvenis, cedere nescius,
adversus Anglos contendebat;
ciens telorum pluviam
eam edidit stragem Nordimbrorum.
In pugna lætus satiator luporum
multis in locis Skotos profligavit;
auri largitor ensis ludum
gladio perfecit Monæ[2].

[1]) Ordo: *Ok víðinn a) Ullar kjöla elfreyr a) réð víða endr brendar b) Ira bygðir ugglaust fíkula c).*

a) elþeyr, S; *elþreyr*, f. id. quod *elþrór*, Othinus procellæ, Sk. *b)* sic B, Sk; *brendan*, A. *c) ríkula*, potenter, magna vi, F, Sk.

a) ullar kjölr, navis Ulli, clypeus; ejus *el*, pugna; hujus *freyr*, deus, dominus pugnæ, prœliator.

[2]) Ordo: *Ungr a) ofvægr a) konungr gjörðist bægja við Engla; nærir b) naddskúrar c) réð d) því e) morði f) Norðtimbra. Ognblíðr úlfa greddir g) eyddi Skotum h) víða; skerðir i) seims gjörði sverðleik k) í Mön l) með sverði.* Exstat in Hkr. O. Trygg., C. 31.

a) ofnægr, pr. Sk. *b) nær*, S; *nærri*, Sk. *c) naddskar*, F, S; *naðskúrar*, pluviæ serpentis (gladii), Sk. *d) reið*, S; *hlóð* cumulavit, concidit, F. *e) þar*, ibi, F; *sá*, is, Hkr. *f) timbri*, lignum, materiam, F. *g) bræddir* (r. *bræðir*), Sk. *h) skipum*, naves, F; *liði*, milites, S. *i) skerði*, C; *skerðist*, B; *grundar*, F. *k) sundleik*, prave F, S. *l) mun*, S; *muna*, F.

a) ofvægr, varie explicari potest: 1) nimium facilis, indulgens; 2) nimis gravis, molestus, a *vægr*, gravis (*vega*, ponde-

Sagittarum numem fecit
Hibernos et insulanorum
occumbere catervas; pretiosorum
deus scutorum gloriæ fuit appetens.
Rex incolas terræ Britannicæ
percussit, et cecidit Vallicas
gentes; prœliorum milvis
est imminuta aviditas[1].

De colloquio regis Olavi et divinatoris.

Cap. 78. Rex Olavus Tryggvii Vallandia[2] ab occidente navigavit, Angliam[3] petiturus; at ventis impeditus est, et delatus ad insulas, quæ Syllingæ nuncupantur; hæ in mari ab occidente Angliæ jacent; huc in portum appulit, et paulisper ibi in ancoris stetit; tum effluxerant quatuor hiemes, ex quo Vindlandiam reliquerat[4]. Cum rex Olavus in Syllingis jaceret, audivit, in insulis istis esse vatem, qui res futuras prædiceret, quæ multis eventu probari visæ

rare); 3) qui non cedit alteri, ab *of*, neg., uti in: Skalda: *oftjóst*, p. 207, 208, 227, quo mea versio spectavit.

[1]) Ordo: *Ægir ýdrauga a) lèt Eyverskan her ok Ira deya; dýra b) tjörva a) týr var tírar gjarn c). Tiggi barði byggendr Brezkrar jarðar ok hjó Valskar d) þjóðir; gráðr þvarr e) geira hriðar gjóði.* Abest hæc stropha in F, S, Sk. Extat in Hkr. O. Tr. C. 31.

a) ýdrógar, sing., id., Hkr. *b) dýrra*, id., C, Hkr. *c) gram*, C. *d) vasckar*, vitio librarii, B. *e)* sic B, C, Hkr.; *hjó*, A, quod sine dubio oscitantia librarii repetitum est ex præcedenti *hjó*.

a) tjörva, vox mihi non alibi obvia, genit. pl. *τȣ̃ tjörr*, quod clypeum vel gladium significare puto, et idem esse cum *týrr*, in Loðbrokarkviða 3: *ok týr ruðam viða*; forte *týrr*, proprie est picea (unde scuta fuerint confecta, ensesque appellati, ut *lind* et *askr*), et hoc sensu occurrere videtur in Spec. reg., p. 427: *tyrfi* (r. *tyrvi*), d. s. minus recte, ut puto, vertitur per Dan. *Törve*, cum de arboribus sermo sit, et var. lect. ad eum locum præferat *tjöruvið*; ex hac voce compositum est *týrviðr*.

[2]) Anglia, F, S. [3]) Hiberniam, F. Vindlandiam, S. [4]) attigerat, S.

sint; magna incessit regem cupiditas tentandi hujus viri vaticinium; misit e suis, qui statura erat maximus et vultu formosissimus; hunc quam splendidissime ornat, et jubet, anachoretam accedat, seque regem esse dicat; tum enim ubique terrarum ea re inclaruerat Olavus, quod aliis major et formosior esset, nec vero plus de nomine suo retinuit, ex quo priore vice Gardarikiam reliquerat, quam quod se Olium appellavit, asserens se esse Gardicum (e Gardarikia oriundum). Missus vatem adiit, et se regem profitebatur. Vates respondit: non rex es, sed suadeo, ut regi tuo fidus sis; nec plura huic dixit. Ille ad regem rediit, et quid inter se et vatem actum esset, narravit. Hinc credidit Olavus, hunc virum esse veri nominis vatem, unde magis quam ante eum convenire cupivit; deinde Olavus eum adiit, et cum eo verba fecit. Rex quæsivit, quid diceret vates, quomodo ei res cessura esset in regno, aut alia prosperitate obtinenda. Anachoreta sancto vaticinandi spiritu respondet: rex illustris fies, et multa præclara facinora edes, atque multos ad veram fidem et sacrum baptismum adduces, teque et multos alios hac re salvabis; ne autem de his meis responsis dubites, indicio tibi sit, quod, ubi ad naves redieris, incides in naves[1]) et hostium catervas, quibuscum pugnam conseres, et aliquot tuorum perdes, ipse vero vulnus adeo grave accipies, ut futurum sit, ut ex eo mortifere ægrotes, et in scuto ad naves referaris; tamen intra septem dies ex hoc vulnere convalesces, et statim post baptismo lustraberis. Posthæc Olavus ad naves suas rediit; ibi in hostes incidit, qui eum et copias ejus interficere voluerunt, omniaque inter

[1]) insidias, B, C; pirata, F.

eos gesta sunt, uti ei prædixerat anachoreta, ut saucius ad naves deportatus sit, et intra septem dies revaluerit; hinc pro certo habuit, hunc virum ei vera prædixisse, eumque esse verum vatem, undecunque hanc divinationem haberet. Tum alio tempore hunc virum convenit rex Olavus, et unde ei venisset hæc sapientia, qua res futuras prædiceret, interrogavit. Anachoreta dixit, ipsum christjanorum deum, omnia, quæ scire cuperet, sibi aperire; tumque Olavo multa dei miracula exposuit, atque propter ejus verba Olavus se baptismum admissurum pollicitus est; quo facto ad naves suas rediit.

Olavus Tryggvii filius baptizatus.

Cap. 79. In his insulis abbas quidam eximius opulento cuidam monasterio præfuit; huc Olavus deinde cum navibus et omnibus copiis contendit. Qui autem ibi præfuit vir divinus, vaticinandi spiritu adventum regis præscivit; hic omnes, quibus imperavit, fratres convocavit, et ut quam splendidissime ornarentur præcepit: nam processionem faciemus ad litus, et quam honorificentissime excipiemus navalem illum exercitum, qui ad nos brevi venturus est. Ut autem paratus erat abbas, atque omnes ornati, ad litus cum omnibus fratribus et multis aliis clericis et ministris sanctæ ecclesiæ, quibus imperavit, processit; erat mane diei. Rex Olavus cum omnibus suis in terram egressus erat; tum conspexerunt procul ante se tantum splendorem, ut primo fere nescirent, quid rei esset, nam passim renitebat, cum pretiosæ illæ vestes, quibus abbas et clerici ejus erant ornati, a sole matutino collucerent; ut autem congressi sunt, abbas eum ad monasterium suum deduxit; et cum cecinissent, magna comitate se invicem exceperunt. Olavus coram

abbate cum omni humilitate in genua procubuit; abbas eum sublevatum osculatus est, et ita loquitur: paulo ante mihi ostensum et dictum fuit, quis sis, et qualis futurus sis; nam dominus, Jesus Christus, te ideo huc ad insulas misit, quod debemus annuntiare tibi doctrinam salutarem, tibique ac tuis copiis sacri baptismi officium præstare, unde tu et omnes alii, qui veram fidem amplectentur, æternum auxilium et salutem reportabunt. Talibus et multis aliis pulcris verbis coram eis locutus est abbas, diserta ac longa usus oratione; deinde dei venia Olavum atque omnes ejus comites baptizavit. Hinc Olavus cum suis ibi diu moratus est, sacraque præcepta et bonos mores ab hoc viro divino, atque fratribus ejus monasticis, edocti sunt. Abbas Olavo prædixit, eum regem fore Norvegiæ, eta deo electum esse, ut multis animabus ad creatorem suum rectam viam monstret. Cum Olavus Tryggvii filius baptizaretur, annos viginti quinque natus erat; tum ab incarnatione domini nostri, Jesu Christi, anni nongenti nonaginta tres elapsi erant; accidit hoc anno decimo imperii Ottonis Juvenis imperatoris, et vicesimo primo Adalradi[1] Anglorum regis.

Rex Olavus Gydam ambit.

Cap. 80. Insequenti autumno rex Olavus e Syllingis ad Angliam navigavit, atque secum sacerdotes et alios doctos viros ex insulis[2] duxit; ad Angliam in portu quodam jacuit, pacateque se gessit, nam et terra et ipse Christo nomen dederant. Accidit vero, ut per terram mitteretur tessera, ut omnes ad comitia convenirent. Ut autem ordinata erant comitia, accessit regina quædam, nomine Gyda, soror Olavi Kva-

[1]) Adalsteinis, F. [2]) Sic B, C, F, S; Orkneyis, A.

ranis, qui Dublini in Irlandia rex fuit; illa nupta fuerat potenti in Anglia dynastæ, qui tum mortuus erat, illa vero regnum tenuit; fuit autem in regno ejus vir quidam, nomine Alfvinius[1], magnus athleta et duellator; hic ambiverat Gydam: illa vero ita respondit: se eligere velle in regno suo virum, cui nuberet; atque eum in finem comitia indicta erant, ut Gyda sibi maritum eligeret. Eo venerat Alfvinius, optimis vestibus ornatus, omnesque principes et optimates bene vestiti erant. Affuit etiam Olavus, vestesque gessit nauticas, super quas induerat lacernam hirsutam, cucullo demisso; stabat cum suo comitatu ab aliis sejunctus. Gyda circumivit, et quemcunque, qui aliquid virilitatis præ se ferre videretur, inspexit; ut autem eo, ubi stetit Olavus, pervenit, eum undique oculis lustravit; deinde, sublevato lacernæ cucullo, vultum ejus inspexit, et dixit: quis est hic vir? Ille respondit: nominor Olius, atque sum hic peregrinus. Gyda pergit: si tu me habere vis, te mihi herum eligo. Ille respondet: non recusabo; quid tibi nomen, quid genus, quisve rerum tuarum status? Ego, inquit ea, filia sum regis Irlandiæ, atque huc collocata sum dynastæ, qui huic regno præfuit; post mortem ejus regnum administravi; me ambierunt multi, quorum nemini nubere volui; nominor autem Gyda; illa erat mulier juvenis et specie valde formosa. Dein collocuti sunt, et de hac re ita pacti sunt, ut Gydam uxorem desponderet; hoc Alfvinius ægerrime tulit. Tum temporis in Anglia consuetudo invaluit, si duo de re aliqua contenderent, ut ea de re duello decerneretur, atque is causam obtineret, qui re bene gesta victoria potiretur. Igitur Alfvinius Olavum hac de re

[1]) Alfinnius s. Alfunius, B.

ad singulare certamen provocat, moxque pugnæ conventum constituunt, ita, ut ab utraque parte duodecim dimicarent. Cum autem se ad duellum accingerent, Olavus dedit suis, qui dimicarent, magnas secures, jubens, ut cum athletis[1] congredientes, quod se facientem vidissent, imitarentur; ipse quoque ingentem securim habuit. Cum vero in destinatum duello locum convenerunt, Alfvinius Olavum gladio ferire voluit; Olavus vero securi gladium e manu ejus excussit, et mox alio ictu ipsum adeo percussit, ut deliquium pateretur, tumque eum vinculis arcte constrinxit. Res ita cessit omnibus Alfvinii comitibus, ut vincti ac verberati, et ad hospitium Olavi deducti sint; deinde Alfvinium Anglia excedere jussit, atque nunquam reverti; Olavus vero omnes ejus fundos et possessiones occupavit. Posthæc nuptias celebravit, Gydamque duxit uxorem; ex qua filium procreavit, nomine Tryggvium, optimæ spei puerum.

Duellum Thangbrandi cum satellite regio.

Cap. 81. Jam ab eo ordiendum est, cum Olavus et Thangbrandus amice digressi essent, ut supra commemoratum est; ea vero pecunia, quam rex Olavus Thangbrando pro clypeo dederat, hic virginem Iricam (Hibernam)[2], eandemque formosam, emit; deinde cum Alberto episcopo domum in urbem Bremorum rediit, adducta secum virgine. Paulo post obses[3] quidam imperatoris virginem Iricam[4] rapere voluit; Thangbrandus vero restitit, neque passus est se spoliari. Obses erat fortissimus athleta et duellator, Thangbrandumque ad singu-

[1]) de voce *berserkr*, vide excursum de Berserkis et furore Berserkico ad Kristnisagam. [2]) *ríka* (pro *íreka*), potentem, B. [3]) *gils* (pro *gisl*), id., B. [4]) *í rekkju* (pro *íreku*), in lecto suo collocare voluit, B.

lare certamen provocavit; Thangbrandus annuit; dimicant; Thangbrandus victor obsidem prostravit; propter hoc e Saxonia exulare jussus, in Angliam ad regem Olavum se contulit; rex eum benigne excepit, atque sacerdotem aulicum inaugurari fecit.

Hic accipit rex Olavus canem Vigium.

Cap. 82. Cum rex Olavus Gydam Anglicam[1] duxisset, partim in Anglia, partim in Hibernia commoratus est. Cum rex Olavus in Hibernia[2] se contineret, forte aliquando ita accidit, ut in expeditione quadam magno stipatus exercitu navali versaretur. Cum vero rapto indigerent, in terram exscenderunt, atque magnam pecoris multitudinem abegerunt. Tum eos consecutus est colonus quidam, petens, ut eas[3] vaccas, quas possideret in grege ab illis agitato, sibi redderet. Rex Olavus respondit: abige vaccas tuas, si eas nosti, atque potes a grege boum ita secernere, ut iter nostrum nullo modo moreris; ego vero credo, neque te, nec ullum alium hoc in tot, quot agimus, boum centenis exsequi posse. Colonus habuit ingentem canem pastoralem, quem armenta boum coacta lustrare jussit. Canis per omnia boum armenta discurrit, atque celeriter discrevit, totque abegit boves, quot se desiderare dixerat colonus; omnes hi boves eodem modo notati erant, unde collegerunt, canem recte dignovisse. Tum rex: valde, inquit, sagax est canis tuus, colone! vis mihi dare canem? Ille contra: ego vero lubens volo. Rex ei statim dedit magnum annulum aureum, suamque ei pollicitus est amicitiam. Hic canis nominabatur Vigius, eratque omnium canum sagacissimus et optimus; illum canem rex Olavus diu postea possedit.

[1]) Hiberniam, B. [2]) Anglia, F, S. [3]) duas, F.

Expeditio regis Haraldi Gormi filii.

Cap. 83. Haraldus Gormi filius, rex Danorum, cognito, Hakonem dynastam a christjanismo defecisse, regnumque ejus passim rapinis infestasse, uti antea dictum est, exercitum per Daniam imperavit, et deinde in Norvegiam profectus est. Cumque in regnum, cui præfuit Hakon dynasta, pervenisset rex Haraldus, populari cœpit; omnes, quos assecutus est, viros interfecit; prædia incendit, atque terram, quacunque penetraret, vastavit, adeo, ut quinque solum prædia in Sogno in Læradalo ab igne integra remanserint; omnis vero, qui occasionem nactus est, populus in saltus et sylvas, assumtis, quæ auferri potuerunt, bonis mobilibus, aufugit. Rex Haraldus cum exercitu appulit ad insulas, quæ Selundæ[1] nominantur, atque ibi cum omnibus copiis in ancoris stetit; narratum est, eum non habuisse minus, quam mille ducentas naves. Constituit rex Danorum cum universis his copiis in Islandiam navigare, ulturus carmen illud probrosum, quod in ejus contumeliam pepegerant omnes Islandi; erat quippe in Islandia lege receptum, ut de Danorum rege Haraldo concinnaretur stropha probrosa pro quovis naso (capite), qui in terra erat. Causa hujus rei erat talis, quod navis, quam possedere Islandi, in Dania fractæ, omnia bona a Danis essent occupata, asserentibus, ea esse maris ejectamenta. Hujus occupationis auctor erat dispensator regis, nomine Birger[2]; ideo vero de utroque, Haraldo rege et Birgere, carmen contumeliosum confectum fuerat, quod rex hanc rem ad se delatam restituere noluerat. Consiliarii et principes Haraldi ei expeditionem Islandicam dissuaserunt, dicentes, et quidem

[1]) Solundæ, Hkr. [2]) Birgeirr, B.

vere, tam vastum ad Islandiam peragrandum esse mare, ut nulla ratione possit tantus exercitus juncta classe ire: Danis præterea ignotos esse portus, populum vero terræ acrem et difficilem. Hinc factum est, ut a profectione desisteret rex Danorum; deinde austrum versus secundum terram copias duxit, atque in Daniam reversus est. Hakon vero dynasta Norvegiæ imperavit, totamque, quam incenderat et vastaverat rex Haraldus, terram restauravit, nulla vero tributa Danorum regi postea solvit.

Origo piritarum Jomensium.

Cap. 84. Svein, Haraldi regis filius, postea dictus Furcobarbus, dum adolescebat, educatus est apud potentem quendam principem, cui nomen Palnatokius, Fioniæ præfecto. [Ut autem adolevit Svein, regnum a patre suo postulavit[1]; Haraldus vero rex tum non magis, quam antea, regnum Daniæ partiri voluit, unde Svein nullam ab eo ditionem adeptus est. Tum Svein naves bellicas sibi comparavit, dicens, se piraticam facturum; cum autem copiæ ejus convenissent, naves suas ad Sjalandiam direxit, atque Isafjördum intravit; heic ei se socium addidit Palnatokius, nutricius suus, magnis instructus copiis. Eodem in sinu classem cum copiis in ancoris tenuit rex Haraldus, pater Sveinis, ad piraticam excurrere paratus. Svein patrem prœlio adoritur; fit acris pugna. Tum ad Haraldum regem copiæ confluxerunt, ut Svein copiis inferior aufugeret. Heic nactus est rex Haraldus vulnera, quibus obiit, dicitur-que Palnatokius ei hæc vulnera inflixisse. Palnatokius erat filius Palneris, Tokii filii, et Ingibjargæ, filiæ Ottaris, Gothiæ dynastæ. Pal-

[1]) a signo [add. B.

natokius atque illius majores Fioniæ per longum tempus præfuerant. Cum vero Palnatokius a Burizlavo Vindlandiæ rege defensor terræ, atque simul princeps piratarum Jomensium, electus esset, dynastam, nomine Akium, Fioniæ præfecit; ille Sveini, Haraldi regis filio, ætate par erat, iique, dum in Fionia apud Palnatokium adoleverant, sodales fuerant. Mater Akii erat Olava, filia Stefneris, qui Bretlandiæ dynasta erat. Hoc tempore Skaneyæ in Dania præfuit dynasta Haraldus, qui Strutharaldus[1] cognominatus est; hujus filii erant Sigvaldius, Hemingus et Thorkel Procerus. Sigvaldius erat statura magna, facie oblonga, naso adunco, vultu pallido atque oculis pulcris. Thorkel erat statura procerrimus, facie pulcra atque viribus eximiis. Tova appellata est filia[2] Haraldi dynastæ. Tum Borgundarholmo præfuit princeps, nomine Vesetius[3]; uxor ejus erat Hildigunna; horum filii erant Buius Crassus et Sigurdus, cognomine Kapa (sagatus); filia Vesetii erat Thorgunna, quæ nupserat Akio Fioniensi; eorum filius erat Vagn, qui prima jam ætate statura erat magnus et robustus, facie pulcra, ingenio in pueritia ferociore, animo vero, cum adolevit, audacissimo. Avunculus ejus Buius facie non erat pulcher, animo vero aspero, statura procera et crassa, tantoque robore, ut nemini compertum sit, vires eum unquam defecisse. Sigurdus Kapa, frater ejus, erat specie pulcher, sermonis parcus et bene sedatus, animo intrepido; ille in matrimonio habuit Tovam, filiam Strutharaldi[4] dynastæ de Skaneya. Hi omnes modo memorati juve-

[1]) rationem hujus cognominis quære in historia Jomensium ed. Havn. 1828, C. 16. [2]) uxor, B. [3]) B hoc nomen semper Vjeseti scribit. [4]) Stuttharaldi, ut semper, B.

nes, filii Strutharaldi atque filii Vesetii de Borgundarholmo et Vagn Akii filius, Jomsburgum in Vindlandia pervenerant, antequam mortuus esset Palnatokius, seque legibus piratarum Jomensium, quas posuerat Palnatokius, submisserant. Nec multo post Palnatokius morbum nactus est, qui ei exitialis fuit. Tum Sigvaldius Strutharaldi filius princeps piratarum Jomensium constitutus est. Nec diu fuit, antequam multis in rebus violatæ essent leges eorum, ita ut mulieres in castello sæpius morarentur, cædesque et vulnera intra castellum inter ipsos piratas Jomenses, atque multæ aliæ prævaricationes, invalescerent. Posthæc Sigvaldius dynasta Jomsburgo in Vindlandiam ad Burizlavum regem profectus est. Rex Burizlavus duas tum habuit filias in vivis, quarum una nominabatur Astrida, altera vero Gunnhilda; tertia ejus filia, licet tum fato functa, fuit Geira regina, quam duxerat rex Olavus Tryggvii filius; Astrida erat specie formosa et mulierum sapientissima. Sigvaldius non diu apud regem commoratus erat, cum negotium suum aperiret; sermonem ita ingressus est: notum est tibi, domine, nos aliquantisper in hoc regno ad tui ipsius ac populi tui salutem commoratos fuisse; nos enim piratæ Jomenses, nostrumque castellum, per longum tempus fuit tanquam claustrum regni tui, nos vero ditionem nostram ac possessiones in Dania deseruimus; jam, ut vera tibi enuntiem, talia diutius non præstabo exiguæ mercedis ergo; hinc duas propono conditiones, ut mihi in matrimonium des filiam tuam Astridam, alias nos omnes piratæ Jomenses, castello relicto, in Daniam revertemur, nostrasque possessiones administrabimus. Rex reposuit: mihi meo-

que regno valde damnosum est, Jomsburgum a vobis deseri; filia autem mea Astrida in omnibus consiliis sapientissima est; quare ejus in hac re sententiam sequar, licet constituerim eam collocare viro majore, quam tu, dignitatis titulo conspicuo. Tum rex colloquium cum Astrida instituit, eique sermonem inter se et Sigvaldium jactatum exposuit. Diu de hac re sigillatim collocuti sunt; illa dicit, se nullo modo Sigvaldio nuptum dari velle; at ob necessitatem, qua urgeretur pater, malle se matrimonium ei non denegari, interposita, quam inter se confirmarent, conditione, quam ut castellum ac defensionem terræ deserant. Tum arcessitus est Sigvaldius, cui rex ita: consilium nostrum est, dare tibi filiam meam Astridam, si heic, uti antea, cum omnibus piratis Jomensibus ad defendendam terram commorari velis; præterea, priusquam hoc matrimonium adipisceris, nos in perpetuum liberabis a tributo, quod Danorum regi pendere cogimur; alias Sveinem regem in nostram potestatem deducas. Hoc pollicitus est Sigvaldius, atque re ita transacta domum, Jomsburgum, reversus est.

[*Res inter Sigvaldium et regem Sveinem Haraldi filium gestæ*].

Cap. 85. Svein Haraldi filius post patrem rex Daniæ creatus est, tumque statim regnum suum convivans obiit. Jam Sigvaldius Jomsburgo in Daniam ire paravit, habuitque naves tres et octodecim virorum decurias; ille naves suas ad terram appulit prope eum locum, ubi audivit Sveinem regem cum sex centuriis virorum (i. e. septingentis et viginti viris) convivium celebrare. Sigvaldius naves suas, prora unius puppi alterius alligata, ordine junxit; pontem a navi terræ proxima in litus demitti, ancoram vero

ab extrema[1] navi conjici jussit; deinde ad regem misit, Sigvaldium adeo graviter ægrotare, ut morti jam sit proximus: illud etiam referte, inquit, me eum obsecrare, ut ad me veniat, ab eo enim regnum et vitam ejus pendere, quod, antequam moriar, conveniamus. Missi ab Sigvaldio oppidum adeunt, regique omnia, ut mandata erant, referunt. Interea vero Sigvaldius suis, qui in navibus erant, comitibus monstravit, quid faciendum esset, si rex ad eos perveniret, ut scilicet, cum rex cum triginta viris navem terræ proximam conscendisset, pontem, qui navem cum terra jungeret, tollerent; ut autem in navem mediam cum viginti suorum venisset, pontem, qui inter naves esset, abjicerent; ego vero, inquit Sigvaldius, in extrema navi decumbam; hic pons tollendus est, ubi cum decem viris huc pervenit; dein vero ea, quæ mandaturus sum, exequamini. Cum rex Svein audiret dynastam adeo graviter ægrotare, atque omnia hæc mandata ad eum delata essent, nihil moratus, cum copiis ad litus descendit; omnia vero, quemadmodum præceperat Sigvaldius, peracta sunt. Ut autem rex Svein in extremam navim pervenit, quæsivit, ubi dynasta decumberet; accipit, eum in celsa puppi decumbere. Celsæ puppi velamen superinductum erat; eo graditur rex, atque sublato velamine quærit, an loqui possit. Ille respondet voce depressiore, dicens, se posse quidem loqui, vires vero perquam esse infirmas. Tum rex: quænam, inquit, res sunt, de quibus ad me misisti, has scire, mea permagni interesse? Ille respondet: te ad me magis inclina, ut intelligere possis, quæ loquar, voce enim submissiore sum. Tum rex se penitus

[1]) proxima, B.

ad eum declinavit; dynasta vero eum utraque manu corripuit, et quam arctissime tenuit, neque sane jam viribus erat adeo infirmis. Deinde Sigvaldius suos inclamat, et naves quam vehementissime a terra propellere jubet; quod ita factum est. Sic abduxerunt Sveinem regem cum his triginta, qui cum eo naves conscenderant, omni reliquo exercitu ejus in litore remanente, cum nullæ essent naves propinquæ. Tum locutus est rex: quid nunc rei est, Sigvaldi! vin' decipere me? Sigvaldius respondet: nolo te decipere, sed jam tibi mecum Jomsburgum proficiscendum est, te vero tuosque omnibus, quibus potero, officiis colam, tumque intelliges, quo hæc spectent. Rex dixit: necessitas jubet, ut hac vice fiat, quod tu vis. Jam perseverant, donec Jomsburgum pervenerunt. Heic Sigvaldius regi: exoptatus, inquit, adsis, conviviumque, quod parandum curavi, accipias, ego vero meique omnes benignum tibi ministerium præstabimus. Rex respondit: ut jam res se habet, pronissimum fuerit, ea, quæ in honorem nostrum facta sint, accipere. Jam quoque, inquit Sigvaldius, tibi exponam, quam ob causam te huc transvexerim, quod nempe propter amicitiam in te susceperim, petere tibi uxorem Gunnhildam, Burizlavi regis filiam, virginem, quam ego præstantissimam ac circa omnia peritissimam esse sciebam, nolui enim te optima conditione uxoria excidere, mihi vero desponsata est altera illius filia, nomine Astrida, quæ, uti par est, deformior est, atque per omnia vilior. Sigvaldius concilium ita instituerat, ut piratæ Jomenses hæc cum eo confirmarent. Præterea regem allocutus est, dynasta: jam tibi, domine! sic de rebus tuis cogitandum est, fore tibi hujus matrimonii copiam, si tanti

illud redimere volueris, ut Vindis in perpetuum condones tributa, quæ tibi solvere tenentur; sin vero hanc conditionem recusas, te Vindis tradam. Rex sibi jam visus est perspicere totum consilium Burizlavi regis et Sigvaldii; sciebat rex Svein, Vindos, si in eorum potestatem veniret, se cruciatibus necaturos; hinc annuit, ut Sigvaldius solus reconciliationem inter se et regem (Burizlavum) stipularetur[1]. Is fuit harum rerum exitus, ut Svein ductum iret Gunnhildam, Burizlavi regis filiam, ipse contra sororem suam, Thyriam Haraldi filiam, regi Burizlavo nuptum daret, uterque autem rex haberet regnum suum liberum, et a tributis immune, pax vero inter regna coleretur. Tum Sigvaldius dynasta in matrimonium accepit Astridam. Posthæc rex Svein in Daniam rediit, ducta secum uxore sua Gunnhilda; horum filii erant Haraldus et Knutus Potens. Eo tempore Dani comminabantur, se in Norvegiam exercitum[2] adversus Hakonem dynastam ducturos.

Vota regis et piratarum Jomensium.

Cap. 86. Rex Svein opiparum instauravit convivium, et ad se vocavit omnes principes, qui in regno ejus erant, quod patri suo, regi Haraldo parentalia solvenda habuit. Tum paulo ante obierant dynasta Strutharaldus de Skaneya et Vesetius de Borgundarholmo, pater Buii Crassi et Sigurdi Kapæ. Rex ad piratas Jomenses misit, ut dynasta Sigvaldius et Buius, atque fratres eorum, eo venirent, et convivio, quod rex pararet, patribus suis parentarent. Piratæ Jomenses unacum fortissimis copiis ad convivium profecti sunt. Meninit Bjarnius episco-

[1]) transigeret, B. [2]) add. B.

pus in encomio piratarum Jomensium (Jomiade)[1], eos Daniam petiisse; hic ita habet:

Robusti cruentarum hastarum
rubefactores deinde petebant
Daniam classe; hi fruebantur
potentia et magnificentia;
et bellicosi largitores
divitiarum concelebrabant ibi
patrum suorum parentalia;
vicissim quemque accepi curis distrahi[2].

Piratæ Jomenses ex Vindlandia quadraginta naves, ex Skaneya vero viginti duxerunt. Ad hoc exsequiale convivium permagna convenit hominum multitudo. Primo convivii die, antequam rex Svein celsam sedem patris sui ascenderet, in memoriam ejus bibit, atque votum fecit, se, priusquam tres hiemes elapsæ essent, copias suas in Angliam ducturum, regemque Adalradum[3] aut interfecturum, aut regno expulsurum; hoc poculum memoriale omnes, qui convivio intererant, bibere tenebantur. Tum principibus piratarum Jomensium propinata sunt maxima cornua, potu, qui habebatur, validissimo repleta. Ut autem hoc poculum memoriale haustum erat, omnes in Christi memoriam biberent; tertium erat poculum memoriæ Michaëlis dicatum, quod omnes biberunt. Piratis Jomensibus propinabantur pocula plenissima potusque valentissimus. Tum magna in aula læ-

[1]) de Bjarnio episcopo Orcadensi, vide Hungurvakam, p. 226, not., et necrologium Islandicum apud Langebekkium.

[2]) Ordo: *Styrkir rjóðendr dreyrgra darra hèldu síðan skipum til Danmarkar; þeim gafst rauðn ok ríki; ok ógnrakkir auðbrotar drukku þar erfi feðra sinna; eh frá þeim ýmsum a) aukast annir.* Hæc stropha abest in C, F, S, Sk, Hkr.

a) *ýmsar*, variis (curis), B.

[3]) Adalsteinem, B.

titia extitit. Tum locutus est rex Svein: jam vobis, piratæ Jomenses! eo major gloria quærenda est, quo magis plerosque alios septemtrionis incolas celebritate nominis præstatis. Illi responderunt, convenienis esse, lætitiam, quam rex orsus sit, non adeo celeriter deponi. Ita dicit Bjarnius episcopus:

Tum vero in primis voluere
convivantes suam quærere
gloriam; talia materiem
præbent fundendi carminis;
et vota nuncupare occeperunt
inimosissime; nec fuisse parvam
en convivio virorum
hilaritatem, fando audivi[1].

Tum Sigvaldius dynasta poculum memoriale patris sui bibit, et vovit, antequam effluxissent tres hiemes, se Norvegiam petiturum, et Hakonem dynastam aut interfecturum, aut regno expulsurum. Tum votum vovit Thorkel Procerus, se fratrem Sigvaldium in Norvegiam comitaturum, neque ex pugna ita aufugiturum, ut dimicans remaneret Sigvaldius. Tum votum vovit Buius Crassus, se cum eis in Norvegiam iturum, neque ab Hakone dynasta ex pugna fugiturum. Ita dicit Bjarnius episcopus:

Audivi fando Sigvaldium, pronum
irarum, nuncupasse vota;
intrepidus Buius præceps fuit
in talem pugnam instigandam.
Minitabantur graviter Hakonem

[1]) Ordo: *En einkum a) vildu þá avldur-menn, at skyldu b) þeita síns c) ágætis; slíkt ero yrkis efni; ok gátu haukligast d) hefja heitstrengíngar; ek frá orð e), ýta ölteiti var eigi lítil.* Abest in C, F, S, Sk, Hkr.

a) öngu, B. *b*) skuldum, B. *c*) sèr, sibi, B. *d*) haukliga, animose, B. *e*) *at*, quod, B.

Hakon dynasta et Eirikus dynasta per totum Thrandorum commune sectam sagittam, belli indicem, circummitti curaverunt. Missis austrum versus in utramque Mæriam et Raumsdalum, ut et boream versus in Naumudalum et Halogiam, nuntiis, totam populi universitatem, naves et copias imperando, evocaverunt. Sic habet encomium Eiriki:

Bellator multas naves bellicas,
onerarias et cursorias,
in altum ruere fecit; largum
laudis poëtæ carmen crescit.
Multa ante litus tilia natabat,
ubi ciens clypeorum procellam
magnam commisit pugam exteriore
paternæ regionis in ora[1].

piratis Jomensibus intelligendum. *γ*) *sjâst*, ad verb.: videre sibi, i. e. timere; vide Helgakv. Hat., str. 12; Brynh. k. II, 33. *δ*) *sveiði*, pirata; ejus *vângr*, campus piratæ, mare; hujus *vigg*, navis; ejus *meiðr*, prœliator maritimus; intelligi puto Erikum satrapam. *ε*) *dravgnum*, pro *dregnum*, a *draginn* pro *dreginn*, quod non tantum tractum significat, sed et tractu attritum (et hinc interdum defatigatum).

[1]) Ordo: *Skjald-hlynr a) lèt mjök margar snekkjur ok b) knörru ok skeiðar dynja á brim; mærðar-örr óðr skálds vex. Mörg lind var fyrir landi, þá er randa- c) el-herðir a) gerði d) ólítinn styr e) úti f) (við) land g) sins föður.* Hæc stropha est in Hkr. O. Tr. S. C. 40; abest in F, C, S, Sk.

a) *lynr*, id. Hkr. *b*) *sem*, ut, et, Hkr. *c*) *röndu*, clypeo, B, Hkr. *d*) *gerða*, armaturæ, Hkr. *e*) *för*, ivit, incepit, Hkr. *f*) *utan*, Hkr. *g*) *löud*, terras, B, Hkr.

α) non est prætereunda hoc loco lectio codicis mscr., qui *Noregs konúnga-tal* inscribitur (et ita citatur in gloss. Njalæ sub voce *skauf*), quem eundem esse cum Fagurskinna opinor; quæ lectio forte certissimam hujus hemistichii interpretationem parit: *þá er ólítill utan oddherðir fat gerða, mörg var lind fyrir landi, land sins föður random*, hoc ordine: *mörg lind var fyrir landi, þá er ólítill oddherðir fat gerða utan land sins föður random*, i. e. multa fuit ante litus tilia (navis), cum

Hakon dynasta statim meridiem versus in Mæriam, speculaturus et copias collecturus, contendit; Eirikus vero dynasta exercitum contraxit et ex septemtrione perduxit.

De militia piratarum Jomensium.

Cap. 88. Piratæ Jomenses copias suas ad Limafjördum duxerunt, et inde in altum vela dederunt; vento usi sunt vehementi, unde naves cursu violentiore ferebantur. Heic ita narratur:

Valde vehemens procella
stridebat in funium tabulis;
cucurrerunt equi prorarum
in montibus cancrorum.
Cæruleus fluctus lavit latera;
urens frigore decidit unda
ex animalibus æstus marini;
percita propulit unda carinam[1].

Atque porro:

magnus ille pugnator cingere occiperet patris sui provincias clypeis (i. e. navibus armatis); eundem fere sensum fundit lectio Hkr., quamvis aliam interpretes prætulerint.

1) Ordo: *Harðr hvast hregg. knúði* α) *á* β) *hefils-spjöllum* a); *marir barða* γ) *hljópu á humra fjöllum* δ). *Blá hrönn þvo hlýrum; hin sviðkalda* b) *úðr hraut af brimdýrum; æst alda skaut kili.* Abest in C, F, S, Sk, Hkr.

a) *völlum*, campis, B. b) *sjókalda*, frigore marino urens, B.

α) *knúði*, h. l. idem est ac *gnúði*; interdum enim alternant *g* et *k*, præsertim sequente *l*, e. g. *gleif* pro *kleif*, *gljúfr* pro *kljúfr*. β) difficultatem mihi parit illud *hefils spjöllum*; in re ambigua accepi id pro *spjöldum*, tabulis; sc. *hefill*, lorum contrahendo velo; ejus *spjöld*, vela puto quodammodo appellari posse; vel legendum esse *hefils pöllum*, gradibus v. scamnis funium, i. e. antennis, ex quibus apti sunt id genus funes. γ) *barð*, pars proræ superior ab utroque latere; h. *barða marr*, navis. δ) i. e. in undis; *humarr*, cancri genus, dan. *Hummer*; unde *humra fjöll*, undæ.

Jumenta gurgitum ferebant
constantes animo viros
ad principis regionem;
ingruebat stridor clypeorum.
Lata Norvegia puppes
excepit numerosas;
arma sæviunt in clypeos,
obvenit nova præda corvis[1].

Piratæ Jomenses ex alto Agdas advecti, inde boream versus in Rogalandum contenderunt; statim, atque regnum Hakonis ingressi sunt, hostiliter grassari cœperunt; traditum est, eos festi Jolensis vigilia in Jadarem exscendisse. Vir, quem ibi manu stipatum offenderunt, nominatus est Geirmundus, juvenis, et genere nobilis; hic cum suis in cœnaculo quodam dormivit. Piratæ Jomenses, domum adorti, bellicum conclamarunt. Geirmundus ac socii, ad clamorem et crepitum armorum excitati, intellexerunt, hostes adesse. Geirmundus celeriter vestes induit, de cœnaculo desilivit, altiore quidem saltu, tamen stans humi devenit. Ibi prope adstans Vagn Akii filius eum percussit, qui ictus manum tetigit, et supra carpum abscidit; sic ille elapsus est. Nox erat illunis. Geirmundus, ut brevi ab ædibus progressus

1) Ordo: *Ökn rasta búru geðfasta rekka til ræsis landa; þröng at randa rym. Viðr a) Noregr nam við mörgum skipstöfnum b); vopn ero grimm törgum; hröfnum gafst c) nýtt d) nest e).* Abest in C, F, S, Sk, Hkr.

a) sic, B; *viði*, arborem, v. *víði*, mari, A, quæ cum cæteris non commode cohærent. *b)* *skeiðarstöfnum*, id., B. *c)* sic, B; *gaf*, A, quod etiam neutraliter eodem sensu accipi potest. *d)* sic, B; *nýtr*, A. Si lectionem *gaf*, in significatione transitiva, et *nýtr*, retinere malis, posteriorem vocem intellige de Buio, in cujus laudem carmen compositum est; quæ apostrophæ usitatæ sunt priscis poëtis; tum *nýtr*, utilis, pro strenuo bellatore ponitur. *e)* A scribit: *næst.*

erat, substitit, nam scire cupivit, quisnam hic exercitus esset. Hujus exscensionis mentio fit in encomio piratarum Jomensium:

Ferunt[1] rubrorum clypeorum
tentatores[2], Jomenses piratas
classem suam Jadaro
applicuisse nocte jolensi.
Fuere viri nimium
avidi ferocis tumultus;
rubefactores gladiorum[3]
intulerunt vim Geirmundo[4].

Geirmundus viros aliquot sibi comparavit atque cursoriam, qua vectus boream versus in Mæriam pevenit; ubi Hakonem dynastam offendit, eique rem narrat, exercitum e Dania advectum partes regni australes adiisse. Dynasta quæsivit, num certa rei indicia sciret. Geirmundus alterum brachium, cui manus erat præcisa, tollens, hoc indicium esse ait, hostilem exercitum terram intrasse. Deinde dynasta de hoc exercitu diligenter perquisivit. Geirmundus dixit, hos esse piratas Jomenses, qui multos fortes juvenes interfecissent, et multa loca depopulati essent, attamen, inquit, rapido et præcipiti itinere feruntur, unde opinor brevi huc deventuros. Dynasta porro: unde nosti, inquit, hos potius esse piratas Jomenses, quam alios. Geirmundus respondet: eo intellexi, illos esse, quod, cum manus mihi præcideretur, aliquis dixit: jam lucraris, Vagn Akii fili! inhærebat enim manui annulus aureus; præterea audivi nomine compellatum Buium ac plures piratas Jomenses, cum brevi ab illis spatio subsisterem. Dein dynasta omnes sinus perlustravit, oras, hac intror-

[1]) *seggja*, perp. B. [2]) *reyfendr*, B, q. s. *raufendr*, dirumpentes, i. e. viri. [3]) *randormr*, serpens clypei, ensis; ejus *rjóðandi*, prœliator. [4]) abest hæc stropha in C, F, S, Sk, Hkr.

sum, illac extrorsum, legens, noctu interdiuque iter faciens, missis speculatoribus tam superne per Eidum, quam austrum versus in Fjördos, et boream versus, qua cum copiis ivit Eirikus. Hujus rei mentio fit in encomio Eiriki:

Pugna peritus satrapes, minas
altarum puppium qui opposuit
adversus Sigvaldum, in altum
tabularum equitium propulit.
Multa tremuere remorum manubria;
sed consolatores sanguinei vulturis,
qui mare palmulis remorum
lacerabant, mortem minime timebant[1].

Cap. 89. Sigvaldius dynasta copias suas boream versus ultra Stadum duxit, primumque ad Hereyas appulit; quamvis autem incolas offenderent, hi nunquam vere narrarunt, quid molirentur dynastæ. Piratæ Jomenses, quacunque tractus habitatos adierunt, hostilia fecerunt; Hadam ex alto advecti, facta exscensione, prædas egerunt, cibum et pecora[2] ad naves abstulerunt, viros vero omnes, quos armis impetere licuit, occiderunt. Cum vero ad naves descenderent, venit ad eos rusticus senex;

1) Ordo: *ágnfróðr jarl, sá er setti húfra a) stafna hát ámóti Sigvalda a), atti b) hrefnis β)-stóði á lög. Margr hlumr c) skalf, en huggendr d) súrgamms, þeir er gátu slíta seá úra blóðum, ugðu hvergi bana.* Abest in C, F, S, Sk; extat in Hkr., O. Tr. S. C. 41.

a) *háfa*, altas (puppes), Hkr. *b*) ita Hkr.; *átti*, A. *c*) *hlunnr*, falanga, B, quæ vox interdum cum *hlummr*, remi manubrium, confunditur. *d*) sic Hkr.; *hugendr*, A.

a) i. e. pugnam navalem commisit cum Sigv. *β*) *hrefni*, tabula navis, vide Lexicon B. Haldoris; hæc vox in Edda Snorr., p. 220., occurrit, aliquantum depravata, sc. in textu est *hremmi*, quod scribi debuit *hremni*, nam var. l. *hrepni*, ex *hrefni*, detortaest; *hrefnis stóð*, naves.

2) boves et oves, B.

ei proxima erat cohors Buii. Rusticus dixit: non operam datis rebus milite dignis, qui vaccas et vitulos ad litus abigatis; major esset captura, ursum capere, lustrum jam ingressum. Quid ais, senex! inquiunt; ecquid nobis dicere habes, ubi sit Hakon dynasta? Ille contra: Hakon dynasta heri Hjörungavagum[1] intravit, unam duasve naves habens, haud plures erant quam tres, neque ille de vestro itinere quicquam resciverat. Buius cum suis statim ad naves decucurrit, omni relicta præda. Buius fatur: nunc utamur fortuna, nos enim nuntium accepimus, atque victoriæ proximi sumus. Statim, ut naves nanciscuntur, abremigant. Sigvaldius dynasta eos inclamans, quæsivit, quid novi nuntiarent. Referunt, Hakonem dynastam in interiore sinus parte consistere. Sigvaldius dynasta, soluta classe, insulam Hadam a borea circumflectens, sinum intravit.

Acies ab Nordmannis et Jomensibus instructa.

Cap. 90. Hakon dynasta et Eirikus dynasta naves tenuerunt in Hallkelsvika, quo omnes eorum copiæ convenerant; habebant naves centum et octoginta; tumque audiverant, piratas Jomenses per exteriora Hadam appropinquasse; quare dynastæ a septemtrione ad quærendum eos remigarunt. Sic dicit Bjarnius episcopus:

Tum satrapæ Norvagici
ad gladiorum procellam
aperte provocabant heroas,
ab austro qui advenerant.
Ibi maximæ terrestres copiæ
convenisse repertæ sunt exiguo
temporis momento; multi
pugnatores intererant armorum ludo[2].

[1]) Sic B; Hörundarfjördum, A.

[2]) Ordo: *þeir Norege jarlar buðu þá þeim greppum, a)*

Venientes in locum, qui Hjörungavagus dicitur, congressi sunt; tum utrique ad oppugnandum aciem instruxerunt. In medio agmine erat signum Sigvaldii dynastæ; ibi dynasta ad oppugnandum aciem instruxit; Sigvaldius habuit naves viginti, Hakon vero sexaginta[1]. In exercitu Hakonis dynastæ hi principes erant: Thorer Cervus de Halogia et Styrkar de Gimsis. In altero aciei cornu erat Buius Crassus et Sigurdus Kapa, frater ejus, viginti habens naves. Hos adversum sexaginta naves instruxit Eirikus, et cum eo hi principes: Guðbrandus Alhus de Upplandis, Thorkel Leira Vikensis, et vir, nomine Armodus, insignis athleta. In altero aciei cornu Vagn Akii filius viginti naves provexit, et adversus eum Svein Hakonis filius, et cum eo Skeggius Yrjensis de Upphögo, et Rögnvaldus ab Jorvika de Stado, cum sexaginta navibus. Sic dicit Bjarnius episcopus:

Fert fama, ternos ductores
fortes utrivis classi
præfuisse; id quod manet
in populi memoria;
ubi procellæ gladiorum
gestores occurrerunt invicem
in lato sinu Hjörungorum;
is celeber fuit conventus virorum[2].

---

er sunnan kvæmi at móti, gerla til geirhríðar, þar var mestr landherr fundinn b) saman í skömmu mæli a); mergr morðremmandi β) var at laufaleiki. Abest in F, S, Sk, Hkr.

a) sic B; *greipum*, sævis, bellicosis, A. *b) þundinn*, conjunctæ, B, C.

a) mæli, certum temporis spatium, id. q. *meli*, vide gloss. Vigagl. S. *β) morðremmandi*, pugnam augens, ciens, prœliator.

[1]) quadraginta, B, C.

[2]) Ordo: *Ok menn heyra a), at þrír hraustir höfðingjar voro með hvárum flokki; þjóð hefir þat í minnum; þar er hreggviðir b) hjálma-skúrs a) hittust á c) viðum d) Hjörungavági β); sá fundr fyrða þótti frægr.* Abest in F, S, Sk, Hkr.

Deinde classem conjunxerunt; sic dicit encomium Eiriki:

Verum procellosi domicilii mergi
labebantur ad pugnam adversus
Danorum triremes, longo
classe legente littora tractu;
quas plurimas, ferentes copiosi
ministros auri, satrapes vastavit
in Mæria; sub calidis
cadaveribus ferebatur navis[1].

a) *heyri*, audiant (viri), B. *b*) *hreggundir*, (a *vinna*), id., B. *c*) in textu bis præp. *á* ponitur, sc. ante *víðum* et *Hjörúngavági*, quod forte negligentia poëtæ factum est, nisi legendum sit *á víðum á Hjörúngavági*, navibus in Hjörungav. *d*) *viðjum*, B.

a) *hjálmaskóð*, noxa galearum, ensis; ejus *hregg*, pugna; hujus *viðr*, prœliator. *β*) De origine nominis hujus sinus adi Historiam Olavi Tryggvidæ, ed. Skalh. Part. 1, C. 151: *þar standa steinar þrír, er Hjörúngar heita, ok er einn nokkru mestr, ok við þá steina er vogrinn kendr*; i. e. ibi stant lapides tres, qui Hjörungi appellantur, quorum unus est aliquanto maximus, ex quibus lapidibus sinus nomen traxit.

[1]) Ordo: *En a*) *gœheims a*)-*mœvar b*) *skriðu at gunni ígegn Dana skeiðum; leiðángr rendi lángt með landi; þær c*) *er jarl hrauð flestar d*) *á Mœri β*) *und árum γ*) *œrins gulls; barms viggð*) *rak und vörmum ε*) *valkesti.* Abest in F, S, Sk; vide Hkr, O. Tr. S. C. 43, str. 1.

a) *glœheims*, pellucidi domicilii, eod. sens., B, Hkr. *b*) *mœar*, Hkr; *meyar*, virgines, B, C. *c*) *þar*, ubi, B. *d*) *flesta*, plurimam, B. *e*) sic Hkr; *vörmu*, A, ubi librarius virgulam supra scriptam omisit.

a) *gœheimr*, mare; deducendum videtur a *gœ*, quod Edda mscr. in aëris nomenclatura recenset, et procellam vel tempestatem significare videtur; forte cognata est hæc vox voci *Góa*, mensi hiemali, incidenti in posteriorem Februarii, priorem Martii, partem; utrique voci respondere videtur vox norvagica *gjö*, nix recens, per autumnum delapsa, it. secundum novilunium, post novilunium anni incipientis, unde *gjöfjære*, maximi æstuum marinorum recessus, mense Martio incdentes (nobis *góustraum-*

Dein utrique signa erexerunt; acerrimum oritur prœlium, jactis primo lapidibus et sagittis. Sic dicitur in encomio Buii:

Exercitus alte signa extulit;
sæva telorum procella
infusa est Hamderi tunicis,
copiis virorum congredientibus.
Saxa telaque missilia
lædebant vitam classiariorum;
pleraque diffringebantur arma defensoria;
mucrones personabant lucidi[1].

Deinde res cominus geri cœpit magna utrinque strage, majore vero Hakonianorum. Multorum capita et membra amputata e navibus in mare excussa sunt, uti memorat encomium Buii:

Et capita et manus virorum
e navibus excussa sunt,

---

ar), et *gjömaaned* mensis Martius, vide Lexid. Hallageri. *Mœvar*, mergi, rectissime videtur deduci a *mœr*, id. q. *már*, mergus, quemadmodum *snœr* et *snjár*, *sœr* et *sjár* alternant; fieri tamen potest, ut *mœvar* scribendum sit *mœyar*, ut adeo *v* ex *y* depravatum sit; virgines vero maris appellantur, ut puto, naves, ob expansa vela, ad instar capitis virginei peplo obvelati; unde naves, omnia vela ostentantes, dicuntur *at skauta* et *falda*, quod de ornatu capitis muliebris proprium est. *β*) interpr. Ilkr. vertunt: mari; rectius videtur de Mœria, provincia Norvegiæ, sumere, secundum Knytl. C. 5, quæ diserte Hjörungorum sinum in Mœria ponit. *γ*) *árr*, minister, pl. *árar*, ab *ár*, labor; alia forma est *œrr*, pl. *œrir*. *δ*) *barmr*, pars navis, puto, latus adversum, idem fere quod *sólborð*; hinc *barmsvigg*, jumentum lateris, navis.

[1]) Ordo: *Herr bar hátt merki; grimt a*) *eggja él kom á Hamdis serki a*), *lið seggja gekk at b*). *Grjót ok skotbroddar meiddu fjör flotna*; *flest hlíf varð brotna*; *gráir oddar glumdu.* Omittunt F, S, Sk, Ilkr.

a) *grjót*, B; sc. *grjót-él eggja*, telorum lapideus nimbus. *b*) *at gekkst*, exquisitius: invicem congredientibus, B.

a) i. e. loricis.

amictu militari dissecto;
lupus cadavera rimabatur[1].

Memorantur duo viri, piratas Jomenses e Dania secuti, præ aliis acres et tractatu difficiles, quorum uni nomen erat Havardus Höggvandus (Cæsor), alteri Aslakus Holmskallius (Duellicalva), qui ferro lædi non potuit; hi proretæ erant Buii; Buius quoque graves ictus inferebat. Sic dicit Bjarnius episcopus:

Diffidit galeas Buius
igne Othiniano; sonuit arcus;
is in humeros hamatarum
tunicarum noxam depressit.
Havardus virorum catervis
duros ingeminavit ictus;
Aslakus prœliantibus
male tractabilis fuit[2].

Vagn Akii filius copiis Sveinis Hakonis filii adeo acriter institit, ut Svein puppes averteret et fugam meditaretur; tunc eo se convertit Eirikus dynasta, frater ejus, atque in acie Vagni se opposuit. Tum Vagn puppem avertit, magna tamen pugnavit fortitudine suique omnes, et multos homines occidit; in his Armodum, virum potentem et insignem bellatorem, qui cum Eiriko erat, prostravit. Hujus rei mentionem facit Bjarnius episcopus:

Vagnus in acri prœlio
difficilis fuit obluctatu viris;

[1]) Ordo: *Bæði höfuð ok hendr manna hrutu fyrir borð; herklæði brustu; vargr nam kanna hræ.* Omittunt F, S, Sk, Hkr.

[2]) Ordo: *Búi klauf hjálma með Yggjar eldi α); álmr gall; hann lèt hríngserkja a)-böl β) gánga niðr í herðar. Hávarðr rèð at stæra hart högg fyrða liði; Aslákr hefir verit fíkjum illr at ega viðr.* Omitt. F, S, Sk, Hkr.

a) *hrímserki á*, B; *hranserkja*, C.

α) i. e. gladio. β) noxa loricarum, ensis.

forti, animi ingentis, viro
strenue juvenes operam navarunt;
ubi in Othini procella
ab Akii potente filio
leto celeriter stratum
accepi animosum Armodum[1].

Tum ubique per exercitum vehementissime pugnatum est, nam piratæ Jomenses et graves et crebros ictus intulerunt. Sic in encomio Buii perhibetur:

Adhibuit exercitus manuum robur;
acer erat gladiorum impetus;
avide noxa clypeorum
appetebat galeæ[2] terras.
Cadebant teli numina[3];
nervo volabant excussæ sagittæ;
acutum gladii insonuere
teguminibus[4] solidis.

Piratæ Jomenses tela adeo acriter conjecerunt, ut tegmina militaria impetum eorum non sustinerent, tantaque armorum vis in Hakonem dynastam ingesta est, ut lorica ejus inutilis redderetur, adeo, ut eam abjiceret. Cujus rei meminit Tindus Hallkelis filius:

Sutura, quam confecit ignis dea
curvis humerorum membris,
fœdabatur; increbuit stridor
Othini ignium circa satrapen:
cum tingens annulos loricæ
coactus est abjicere laxum Othini

[1]) Ordo: *Vagn hefir orðit örfengr ýtum at strángri böð; drengir gengu vel fram með frœknum fullhuga; þars ek frá, at hann Aka sonr hinn riki hlæði brátt hugprúðum Armóði í Yggjar éli.* Omitt. F, S, Sk, Hkr.

[2]) *Fjölnis*, Othini, A; sed Othini terra ad hunc locum nihil facit; itaque admitto var. l. *fjörnis*, B, C, galeæ, nam solum galeæ, caput est. [3]) i. e. milites. [4]) *hlífarnar* (pro *hlífar*), C.

amictum tinnulum; jactabundi equi marini milite sunt nudati¹).

¹) Ordo, verbis strophæ attemperatus, talis est: *Sæng α), sem gims-gerðr β) gjörði herða bjúglimum γ), varð-a farlig δ); gnýr Fjölnis ε) fura vóx of b) jatli; þá er brynju-c) hringfáinn ζ) varð at kasta viðum d), húnga e) hrynserk η), rota f)-rostar g)- h) riðmarar θ) hruðast.* Omitt. C, F, S, Sk; extat in Hkr., O. Tr. S, C. 43, str. 3, et posterius hemistichium in Edda Snorr. p. 160, str. 3.

a) *sæing*, id., Hkr. b) omitt. Hkr. c) *hringfám*, Hkr. et Edda, dat. a *hringfárr*, qui paucis est annulis, de lorica, cujus hami dissoluti sunt; quantum video, unice vera lectio, ex qua ceteræ lectiones: *hringfáin*, *hringfáinn* et *hringfaut*, B, facile depravari potuerunt. d) *Viðurr*, Othinus, procul dubio præferendum, Hkr. et Edda; *viðum*, B. e) *hrim-serk*, B. f) om. B. g) *hauðrastar*, B. h) *hrimveðor*, B.

α) *sæng*, contr. pro *sæing*, propr. situra, a verbo *sæ*, suo, nunc fere de culcita; intelligitur vero lorica, opus muliebre; feminas autem loricas arte confecisse, etiam aliunde notum. β) *gims-gerðr*, dea ignis sc. domestici, femina, cui penates curæ. γ) *bjúglimr* (pro *bjúgr limr*), membrum curvum; *bjúglimir herða*, brachia; denominatur h. l. lorica ex parte corporis, quam tegit, brachiis; ejusdem, ac *bjúglimr*, radicis esseputo *bóglimr*, quod de brachiis et cruribus adhibetur, ab obsol. *býg*, *bóg*, *boginn*, *bjúga*. δ) *varð-a farlig*, non pulcra facta est, i. e. dissolvebatur, inutilis reddita; *farligr*, contr. ex *fagrligr*, pulcher aspectu, unde nunc vulgo *falligr*; eadem forma iterum occurrit in hac historia, Cap. 230, Vol. II. p. 206, ubi *fákr farlegs húfs*, equus pulcræ tabulæ, navis. ε) i. e. pugna. ζ) *fáinn*, accepi eodem sensu ac *fáiðr*, qui tingit, a *fá*, tingere, ut *framiðr*, qui promovet, in Hist. Hak. Grandævi, C. 235, str. 2; verum sec. var. lect. Hkr. et Eddæ, quas certissimas judicavi, hic ordo oritur: *þá er brynju-viðurr varð at kasta hringfám húnga hrynserk*, i. e. cum Othinus loricæ (prœliator, Hakon satrapes) abjicere coactus est loricam, detritis hamis inutilem. η) *hrynserkr*, indusium tinnulum; *hryn*, in compos. streperum, stridulum quid, sonat; *hángi*, qui pendet, h. l. pro Othini nomine accipio, nullo argumento, nisi quod Othinus aliis locis appelletur *hángatýr*, pedens deus, cfr. Runatalsþ. initium. Edda Snorr. l. c. jungit *roða serkr*, indusium piratæ, lorica; sed quid de cetero-

Hamis consertum indusium
Satrapæ dissiluit in arena
piratæ domus; ejus rei
monumenta habet virorum amicus[1].

Piratæ Jomenses naves habuere majores, utrique vero summa cum audacia oppugnarunt; tum multi ex Hakonianis et telis et lapidibus cæsi cadebant. Ita dicitur in encomio Buii:

Clangbante cadaveris[2] accipitres[3];
acuta vulnerum tigilla[4]
militum crura succidebant;
artus virorum saxa contundebant.
Lucida sonuere metalla,
allisa cassidis stationibus[5];
galeæ dissiluere, nec ulla
montibus accipitris[6] data quies[7].

---

rum ordine et structura cogitaverit, haud facile est judicare. *ð*) *riðmarr*, equus tremulus, a *riða*, vacillare; *roðri*, pirata (nunc *hroði*); ejus *riðmarr*, navis.

[1]) Ordo: *Hríngofinn a) serkr a) hraut b) í sundr á sandi c) sörla d) bœs β) fyrir jarli; seggja sessi γ) hefir þess merki.* Omitt. C, F, S, Sk; in Hkr. est l. c.

a) addidi literam *r*, tum quod nescirem, quorsum æco. *serk* referendus esset, tum quod, si sequens vox *hríngofinn*, scripta fuit *ríngofinn*, præcedens *r* in pronuntiatione, atque adeo in scriptione, facile a librario omitti potuerit. *b*) *þá er*, B; *þars*, Hkr. *c*) *sundi*, in freto, mari, Hkr. *d*) *hjós* (pro *hjóst*), Hkr., ex correctione; *bœrs*, B, quod mihi est idem cum *bers*, a *berr*, aries v. ursus; var. lect. Hkr. *blœs* et *blœrs*, a *blœrr*, aries (v. aura) deducendæ videntur; sensus idem manet.

α) *hríngofinn serkr*, pro plena loricæ appellatione haberi potest, ut ante hujus Cap. str. 6; *hríngserkr*. *β*) *sörla bœr*, domus piratæ, navis, vel ex var. lect. *sörla bœrr* v. *blœrr*, aries v. ursus piratæ, id.; ejus *sandr*, arena navis, mare. *γ*) *sessi*, consessor, convictor, it. amicus, sec. Edd. p. 106, 199, 213; *seggja sessi*, princeps, ut *gumna vinr*.

[2]) *hregg*, (pro *hræss*) B. [3]) i. e. corvi vel aquilæ. [4]) i. e. enses. [5]) i. e. capitibus. [6]) *hauks fjöll*, montes accipitris, vulgo sunt manus, h. l. humeri vel axillæ, vel forte caput ipsum.

[7]) Hanc stropham om. F, S, Hkr.

Hakon dynasta, cum, copias in navibus minui sentiens, victoriæ diffideret, atque acies jam undique inclinari cœpisset, dicitur, in terram egressus, filium suum septennem, nomine Erlingum, optimæ formæ ac spei puerum victoriæ ergo diis immolavisse. Hoc testatur encomium piratarum Jomensium:

Augebat exercitus strepitum hastarum;
audivi fando, ubicunque viros
a bellicosis gladiorum procellæ
columinibus pulsos recessisse;
antequam in nimbo sagittarum
crudelis in viros Hakon
filium immolare instituisset;
dura provenit immanitas.

Eirikus dynasta classem, qua parte Svein frater suus Vagni retro cesserat, inclinatam restituerat, ut naves in hoc cornu eodem ordine starent, atque primo, cum congressi fuerant; quo facto, ad copias suas se recepit; heic sui cedentes puppes averterant; Buius vero, dissectis navium suarum vinculis, fugientes persequi parabat. Tum Eirikus dynasta navem suam ad navem Buii junctis lateribus applicuit. Heic acerrima fit gladiis pugna, duabus aut tribus navi-

1) Ordo: *Herr ægsti a) darra gný; ek frá hölda hvarvitna hrökkva fúr gunnar-rekkum β) hjörva hreggviðum; áðr Hákon a), grimmr ýtum í örva drífu, tæki at blóta syni; en harða heipt kom fram.* Abest in C, F, S, Sk, Hkr.

a) hallkvæm, commoda, B, quod metro repugnat.

a) ægsti, augebat; eadem forma (*æxti*) occurrit in Edda Sæm., Atlam. str. 1, 2, 74, 107, ubi vide Glossarium; non dubito derivandum esse a *vaxa*, crescere; *vexa*, transit. crescere facere, augere, Edda Snorr. p. 185, str. 1; *vexa sár*, augere, inferre vulnera, Gretl. C. 20, str. 2; *æxa* (unde formatum *æxla*) itaque idem est ac *vexa*, per aphæresin *vð v*; sic *öxtr*, pro *vöxtr*, in cod. aliquo legis isl. Jonsbok me videre memini. *β) gunnar-rekkr*, pro *rakkr*, strenuus in pugna.

bus Eirikianis unam Buiam adorientibus; Buius vero acies penetravit. Hujus rei mentio fit in encomio Buii:

Audivi fando, Buium cito gradu
per eorum catervas perrupisse;
olor suspensorum lætatus est,
excitato gladiorum clangore[1].

Posthæc de terra devenit Hakon dynasta, et navem suam conscendit, copiasque hortatus, victoriam iis certam esse asseruit. Tum vehemens procella et turbida tempestas, piratarum Jomensium adversa feriens corpora, oborta est. Ita narratur in encomio Jomensium:

Audivi fando, tunc malam illam
procellam Hölgii filiæ
a borea sæviisse; valde sæva
insonuit grando galeis;
quando nubium saxa, venti
procella incitata, illisa sunt
oculis virorum volubilibus;
ideo vulnus edebat stridorem[2].

---

[1]) Ordo: *Ek frá Búa greitt gánga gegnum þeirra lið; svanr hánga α) gladdist a), geira göll β) var vökt.* Abest in F, S, Sk, Hkr.

a) *gladdi*; A; sed sensus necessario postulat *gladdist*, uti in notis ad text. isl. conjecerunt Editores.

α) i. e. corvus. *β*) i. e. prœlio; *göll*, clangor, a *gjalla*, *gella*, clangere.

[2]) Ordo: *Ek frá þá hit illa èl Hölga brúðar α) æðast or norðri; harða grimt hagl glumdi á hjálmum; þars hreggi keyrðu skýagrjóti barði í ormfrán augu ýtum; a) þí β) náði ben blása γ).* Abest in F, S, Sk, Hkr.

a) *þá*, tum, B.

α) De Thorgerda Hölgii filia, quam præ ceteris diis caram habuit Hakon, vide Edd. Snorr. p. 154, Njalæ Cap. 114, et Hist. Olavi Trygg. ed. Skalh. Part I, Cap. 114. Quod vero ad fundum hujus mythicæ expositionis adtinet, haud a vero abhorret, Hakonem, virum artis bellicæ peritissimum, machinas

Adeo ingens erat grando, ut singuli globuli unciam penderent. Heic ita narratur:

Singuli grandinei globuli pendebant unciam;
sanguis in mare decidebat excussus
ex virorum vulneribus;
cruor lavabat[1] remos vulneris[2].
Late cadebant cæsi ibi[3],
arma aurea[4] ferri visa sunt;
exercitus pugnavit acriter
in satraparum navibus.

Simul visi sibi sunt piratæ Jomenses, intermittente tempestate, in nave Hakonis feminam cernere, ex cujus singulis digitis sagittæ creberrime volare videbantur, singulæ vero sagittæ cædem afferebant. [De hac re ita canit poëta[5]:

Acres sagittas jaculabatur
monstrum horrendum
e singulis manus digitis;
quod viris peperit malum.
Procella valde vehemens
et nimbus aëreus viros potentes
impetiit; clangentibus armis
acutum militaribus[6].

quasdam vel tormenta eminus disposuisse, vel, quod simplicissimum est, grandinosam tempestatem, in ora oculosque hostium latam, eos ita afflixisse, ut adversariorum ictibus facilia præbuerint corpora. β) *þí*, secundum vulgarem, id. q. *því*, ideo. γ) *blása* flare, it. sonum edere; de voce marinarum belluarum adhiberi, testatur Skalda, p. 289, de stridente igne, Hist. Magni Nudipedis, C. 3; de cavorum vulnerum stridore, cfr. Fostbræðra S.

[1]) *þó* (pro *þvo*), B, C, id. [2]) i. e. gladios; *beinsárum*, B, C, sc. vulnera, in ossa penetrantia. [3]) *þó* (pro *þar*) tamen, B, C. [4]) *gillo* (pro *gyld*, vel forte pro *gilld*, crassa), B.

[5]) add. B, C.

[6]) Ordo: *Hit forljóta flagð a*) *rèð skjóta snörpum avrum af fingrum sèr b*); *slíkt er görpum raun. Fíkjum grimt hregg ok*

Sigvaldius dynasta, dissectis vinculis, navem suam convertit et fugere cœpit; Vagn Akii filius eum inclamans, rogavit, ne fugam capesseret; Sigvaldius verba ejus nil moratus est; Vagn, conjecta in eum hasta, virum, qui ad clavum sedebat, transfixit, nesciebat enim, Sigvaldium ad remos se corripuisse. Sigvaldius dynasta abiit cum triginta quinque navibus, remansere vero viginti quinque. Ita dicit Bjarnius episcopus:

Tum satrapæ virtute languenti
plus justo animus labefactatus est;
fando audivi eum
abduxisse suam classem.
Sigvaldius vela, vento perflata,
ad apices malorum tolli jussit;
insonuit unda navium lateribus;
sinubus velorum inspiravit procella[1].

---

loptdrífa gerðist at ríkjum gumnum; gnýrr hlífa var hárr. Abest in F, Sk, Hkr.

a) flagðit, B, C, pro *flagð hit*. *b) svá*, B, C.

[1]) Ordo: *þá var þrekförluðum a) jarli þörfum meiri hugraun; ek frá, at hann hèldi braut flota sínum. Sigvaldi bað snara (hin) byrköldu b) segl við húna; hrannn glumdi á c) húfum a); hríð fèll í bug váða.* Abest in F, S, Sk, Hkr.

a) þreklunduðum, promtæ virtutis, B, C, quod tamen metro minus congruum est. *b) byr köldum*, B, C, aut: in frigido vento, aut refer ad *húfum*, lateribus vento frigidis. *c)* sic rectius B, C.

a) húfr, latus navis, ut videre est ex hujus capitis str. 19 (p. 206): *steig fyrir húf*, id. q. *fyrir borð*; item ex appendice Hist. Olavi Trygg. ed. Skalh., p. 25: *Sigmundr þrífr upp fork einn, er í skipinu lá, ok rekr útí húfinn á skipi þeirra, svá hart, at því nærst horfði kjölrinn upp á skipinu; hann færði forkinn í þann húf skipsins, er seglit hafði ofan farit, ok þángat hallaðist áðr*, i. e. Sigmundus contum, qui in navi jacebat, raptum in latus navis eorum adegit tanta vi, ut mox carina navis sursum spectaret; impulit contum ei navis lateri, quo, defluente velo, navis sese jam ante inclinaverat.

Tum dynasta navem suam ad alterum latus navis Buii applicuit; unde factum est, ut Buiani crebris ictibus peterentur. Hi viri erant in navi Eiriki dynastæ: Thorstein Midlangus (Truncilongus), celeberrimus bellator; hic in offensionem Hakonis dynastæ incurrerat, jam vero pacem redemerat cum eo, ut dynastis auxilium socia manu ferret. Ibi etiam erat vir Islandus, nomine Thorleivus Skuma, filius Thorkelis Divitis ex Alvidra; is, antequam oriretur prœlium, magnam sibi e trunco aptaverat clavam, qua hac die pugnavit. Ibi quoque erat Vigfus, filius Glumi Homicidæ, vir perquam robustus. Vigfus cum Aslakum utrinque gladio ferientem, multosque occidentem, eundem que, quippe ferro inviolabilem, neque clypeo, neque lorica tectum, animadverteret, incudem rostratam in constrato navis jacentem, ad quam militum aliquis clavum gladii sui accuderat, correptam, utraque manu in caput Aslaki incussit, ut rostrum incudis in ima cerebri penetraret, eique necem afferret. Eodem momento Thorleivus Skuma Havardum Cæsorem clava percussit, donec caderet, membris valde collisis. Hæc omnia memorantur in encomio Jomensium:

Ibi Vigfus, adspirans gloriæ,
Aslakum misit ad orcum;
non opus est, ut eam referamus
rerum gestarum particulam.
Thorleivus, validos ictus inferens,
Havardi viribus ferocis
tibias pedum crassas clava
diffregit, strenue telo usus[1].

[1]) Ordo: *þar lèt vegrœkinn Vigfús helfarar verða veittar Aslâki; er-at þörf, at segja þann þátt. Höggramnr þorleifr of-vann brotit þykkva leggi þrekstœrðum Hávarði með kylfu, hann vá hart.* Abest hæc stropha in F, S, Sk, Hkr.

In hac oppugnatione milites Eiriki dynastæ, nave Buii conscensa, ad celsam puppim adversus Buium vadebant. Heic Thorstein Midlangus transversam Buii frontem percussit, atque tegimen nasi dirupit, gravi inflicto vulnere; Buius vero, latus Thorsteinis feriens, medium hominem diverberavit. Quo facto, Buius duas arcas, utramque auro plenam, sustulit, atque alta voce clamavit: e navi omnes Buiani! Tum Buius cum arcis in mare se præcipitavit. Sic de hac re encomium Buii:

Robore præcellentisimus
exhilarator corvorum
e navi descendit in mare;
lætatus est vulnerum serpens.
Defluxit unda vulneris;
fortis Buius singula manu
sustulit utramvis arcam; accepi
spem pacis amisisse milites[1].

Sunt, qui dicant, Sigmundum Bresteris filium Færeyensem hoc prœlio cum Hakone dynasta fuisse, atque utramque manum Buio præci-

[1]) Ordo: *Enn frekmesti gæðir a) gunnskára a) steig b) fyrir hlíf hrófs hesti β); naðr sára γ) gladdist. Bens bára c) kom niðr; frækn Búi nam kistu í hvára hönd sèr; hykk ferð mistu δ) friðar.* Abest in F, S, Sk, Hkr.

a) gjeðirr B. *b), stè*, id., B., C. *c) ben sára*, nullo sensu et contra metrum, B, C; *byrs bára*, A, unde feci *bens bára*.

a) gunnskári, mergus bellonæ v. pugnæ, corvus; ejus *gæðir*, alens, saturans corvum, prœliator, sc. Buius. *β) hróf*, navale; h. *hrófs hestr*, navis. *γ) naðr sára*, serpens vulnerum, omnes codd. habent; cum autem, secundum regulas Eddæ et exèmpla, quæ vidi, proprie sit appellatio gladii, in mentem mihi venit, legendumne sit, pro *naðr sára*, *nagr sára*, avis vulnerum, *nagr* enim, propr. corrosor, inter nomina avium occurrit in Edda, quam habeo, manuscripta, et in Edda Snorr. in Haustlanga, str. 8, ubi *sveita nagr*, aquila. *δ)* de forma *mistu*, vide quæ attuli supra, Cap. 70, str. 1.

disse, postquam hic Thorsteinem Midlangum interfecisset. Quæ qui confirmant, ferunt Buium annulis arcarum mutila brachia inseruisse, atque sic cum utraque in mare progressum esse. Postquam Buius e navi progressus erat, multi suorum in mare desiluerunt, quidam vero ibi in navi ceciderunt, pacem enim petere frustra erat; tum ea navis inter proram puppimque defensoribus nudata est, atque deinceps una post alteram. Deinde Eirikus dynasta navem Vagnis adoritur; hic ab hostibus fortiter exceptus est, atque diu fuit, dum navem concendendi nulla data facultas est. Hujus rei mentio fit in encomio Jomensium:

Audivi certo, Vagnem cum suis
militibus defendisse navem;
tunc aliæ omnes eorum
devastatæ sunt tenues naves;
eo tamen nullus satrapæ
miles ascendere potuit;
expulerunt e navi deorsum
terribiles Eiriki comites[1].

Vagn magna strenuitate se defendit, gladium ad utrumque latus intentavit, multosque mortales occidit; tandem obrutus hostium multitudine, nave defensoribus nudata, vivus captus et cum triginta hominibus in terram deportatus est. Sic habet encomium Buii:

Vagn leto stravit milites;
acer visu corvus rigentia

1) Ordo: *Ek frá víst, at Vagn verði a) skeið með sína þegna; þá voru öll önnur þunn skip b) þeirra hroðin; þengils maðr c) náði d) þar þeygi at gánga e) upp; þeir réðu at keyra ýgja f). Eiríks menn ofan.* Abest in F, S, Sk, Hkr.

a) varði, id., B, C. *b) skiput*, B, C. *c) mann*, B, C. *d) náðu*, B; *náuu*, C. *e) renna*, B, C. *f) ýggja*, B; potest vero etiam *to ýgja* pro adverbio sumi, terribiliter.

cadavera elegit sibi;
decidit in in tabulas cruor.
Tunc illius auri consumtoris
navem Eirikus misere
nudavit defensoribus,
gladiis acutum stridentibus[1].

Jam Vagn et ceteri, in terram delati, omnes colligati sunt, ea ratione, ut omnium pedes uno fune constricti sint, manus vero solutæ essent; sic omnes una in collapsæ arboris trunco consederunt. Tum accessit Thorkel Leira, atque ita fatus est: votum fecisti, Vagn! te occisurum me; jam vero veri mihi similius videtur, fore, ut a me occidaris. Thorkel magnam habuit securim: percussit eum, qui in trunco extremus sedebat, et deinceps ordine quemque. Singuli piratæ Jomenses, antequam occisi sint, dictum aliquod forte effati dicuntur; sic fatus est unus eorum: sicam manu teneo; hanc ego, siquid amputato capite sensero, humi defigam; tum caput ei abscissum est; sica vero, ut naturale erat, de manu ejus in terram decidit. Ibi interfecti sunt ex piratis Jomensibus decem et octo. Sic hoc loco:

Ibi Eirikus octodecim
viris illico vitam ademit;
tunc audivimus, admodum
copias Vagnis esse diminutas.
Fortes heroës animose dicta
locuti sunt inter viros,

[1]) Ordo: *Vagn feldi virða; enn hvassleiti hrafn valdi of stirða nái; sveiti hrundi á borð. þá a) rèð Eirík b) dála hrjóða skip þess unnglóða c) eyðis; þrymr stála var hárr.* Abest in F, S, Sk, Hkr.

a) *þó*, tamen, B, C, aptius. *b)* *Eiríks*, pr., B. *c)* *undglóða*, ensium, sc. prœliatoris, B.

(id ingentis animi fuit
indicium), quæ dicta gentes
perpete concelebrant memoria[1].

Cum vero octodecim interfecti essent, sedebat vir forma perpulcra et coma eximie venusta; hic crines antrorsum coëgit et collum porrexit, dicens: ne cruentate crines meos. Unus e satellitibus Hakonis dynastæ crines utraque manu arreptos firmiter tenuit. Thorkel securim sublimem libravit et gravem ictum molitus est. Pirata caput adeo fortiter retraxit, ut nutaret is, qui crines tenuit; hinc securis manus ejus attigit, et ambas præcidit atque humi defixa est. Tum accedens Eirikus dynasta interrogavit: quis es? vir formose! Sigurdum me appellant, inquit ille, ego vero sum Buii filius nothus, atque nondum omnes mortui sunt piratæ Jomenses. Cui dynasta: certe videris filius esse Buii; visne vita donari? Ille contra: magni interest, quis offerat. Dynasta: is offert, qui potestatem habet. Tum volo, ait Sigurdus; deinde fune solutus est. Tum Thorkel Leira: licet tu, dynasta! inquit, omnibus his viris vitam condonare velis, tamen Vagn Akii filius salvus non evadet. Cum dicto librata securi procurrit. Björn autem Britannus in casum se declinavit, et ante pedes Thorkelis cecidit pronus, Thorkel vero supra eum collapsus est. Vagn excussam manu ejus securim arripuit, atque Thorkeli letalem ictum inflixit. Hujus rei meminit Bjarnius episcopus:

---

1) Ordo: *þar lèt Eirîkr átján þegna a) þegar týna öndo; frágum þá lið þverra heldr fyrir Vagni; hraustar hetjur mæltu þróttar orð með fyrðum, (þat var fikjum haukligt), þau hafa þjóðir uppi.* Abest in C, F, S, Sk, Ikr.

a) *ógnar*, contra metrum, B.

Et cum gigantide cassidis[1]
processit Thorkel Leira,
cum largitor annuli[2] de femina
proferret verba amatoria[3].
Ille ictum intentavit
animoso Akii filio,
sed prior[4] ei attulit necem
pronus in ultionem Vagn.

Tum Eirikus Vagnem adiens interrogavit, an vita donari vellet. Volo, inquit, si votum meum solvere licebit. Ita narratur in encomio Jomensium:

Cupisne, Othini procellæ
exasperator! vita donari?
prudentia insignis Vagni
projector annulorum dixit.
Nolo, nisi meum, quod juvenis
nuncupavi, votum exsecutus fuero,
vita donari, dixit satrapæ
numen procellæ gladiorum[5].

Tum Eirikus dynasta eos omnes fune solvi jussit; tum ex piratis Jomensibus duodecim[6] supererant, qui cum Vagne vita donati sunt, quemadmodum narrat Bjarnius episcopus[7]:

Perliberalis Eirikus concessit
vitam et opes duodecim

[1]) i. e. securi. [2]) vir, sc. Vagn. [3]) vide Historiam Jomensium piratarum ed. Havn., ubi fusius de hac re agitur. [4]) *þeirri*, (pro *fiurri*) B. Abest hæc stropha in C, F, S, Sk, Hkr.

[5]) Ordo: *Hyggju-gegn hringa hreytir α) kvað at vagni: viltu, Yggjar-ölsvellandi! β) of a) þiggja yðvart líf? Eigi mun ek þiggja fjör, nema b) efna heit, þat er úngr nam strengja; svá kvað ullr egghríðar at jarli.* Abest in C, F, S, Sk, Hkr.

a) *af*, B. *b*) *ek*, add, B.

α) i. e. vir munificus; intelligitur Eirikus satrapa. *β*) prœliator, nempe Vagn.

[6]) decem, B. [7]) in encomio illo, quod de prœlio piratarum Jomensium fecit, add. B.

viris unacum Vagne;
id valde collaudant gentes[1].

Hakon dynasta in arbore quadam sedebat, haud procul ab eo loco, ubi cædebantur piratæ Jomenses. Tum in navi, quam possederat Buius, nervus stridebat; emissa sagitta Gizurem de Valdreso percussit, præfecti dignitate virum, qui dynastæ proximus adsidebat, vestibus sat splendidis indutus; ille confestim exanimis de arbore collapsus est. Post navem conscenderunt, ibique Havardum Cæsorem invenerunt, qui ad latus navis in genua, pedibus quippe truncatus, procubuit, manu arcum tenens. Navem ingressos Havardus interrogavit: quis vir de trunco arboris collapsus est? Illi dicunt Gizur ei nomen fuisse. Tum ille: adeo minori, quam cuperem, fortuna usus sum, dynastæ enim destinaveram (telum). Illi contra: sat mali factum, neque tu plura patrabis; tum eum ibi interfecerunt. Postea cæsi lustrati sunt, et præda ad divisionem collecta. Viginti quinque naves Jomensium vastatæ erant. Ita dicit Tindus:

Saturator agminis corvorum
vestigia acierum gladii impressit
cohortibus in sinu maris,
(acuta fuit clypeorum noxa);
antequam pugnatores possent
propugnatoribus nudare navium
longarum decadem sesquitertiam
militum classiariorum, cum periculo[2].

1) Ordo: *Örr Eiríkr lèt stórum a) gefit grið ok aura b) tólf c) þegnum með Vagni; þjóðir leyfa þat mjök.* Abest in C, F, S, Sk, Hkr.

a) magnopere i. e. liberaliter, vel refer ad *örr*. *b*) *aðra*, perp., B. *c*) *tíu*, decem, B.

2) Ordo: *Verðbjóðr a) hugins ferðar a) vann leggja b) sverðs*

Deinde has copias dimiserunt, quo facto Hakon dynasta boream versus in Thrandheimum profectus est, ægerrime ferens, Eirikum dynastam Vagni vitam donasse. Eirikus in Upplanda, et inde orientem versus in Vikam contendit. Vagn Akii filius orientem versus cum Eiriko dynasta profectus est, tumque ei Ingibjargam, Thorkelis Leiræ filiam, in matrimonium dedit. Sic dicit Bjarnius episcopus:

Tum numen clypeorum[1] strepitus,
ingenio promtum, uxorem duxit
præclaram Ingibjörgam,
ut multi svaserunt hominum.

Vere sequenti Eirikus dynasta Vagni eximiam navem longam, toto instructam apparatu, donavit, virosque insuper addidit. Hinc caris-

eggja spor β) at sinni á vág c), (seilar-sólgagarr γ) beit), áðr hjörmeiðar mætti hrjóða hálfan þriðja tög lángra skipa leiðar d) liðs δ); þat var hættíng. Abest in C, F, S, Sk; extat in Hkr. O. Tr. c. 47.

a) *siðbjóðr*, repugnante metro, B. *b) leggi*, crura, B, Hkr. *c) á Vinda sinni*, Vendorum exercitus, Hkr. *á Vindamönnum*, V. viris, B, pro *á vág at sinni*, hoc ordine: *Verðbjóðr hugins ferðar vann sverðs eggja spor á Vinda sinni (mönnum)*; *seilar-sól-gagarr beit leggi*; i. e. pugnator vulnera inflixit exercitui Vendorum, gladius crura dissecuit; quam lectionem et ordinem præferre non dubito, imprimis collata Knytl. C. 15, str. 2. *d) liðar*, socii, Hkr; *leiðíng* B.

α) qui victum præbet corvorum agmini (nempe, edita strage), præliator, i. e. Hakon satrapes. β) i. e. vulnera. γ) *seil*, funis, h. l. id. q. *fetill*, *skjaldarband*, telamon; hinc: *seilar sól*, sol telamonis, clypeus; ejus *gagarr*, ensis, noceus clypeis, ut *hjálmgagarr* in Njala, ubi videsis Glossarium, et *rœgagarr* in Lodbrokarkvida. Hæc aliter explicantur in ed. Havn. δ) *leiðar lið*, id. q. *leiðángrs lið*, copiæ navales; *leið* enim id. ac *leiðángr*, in prosa hujus hist. C. 52, *róa leiðina*, *gjalda leiðarvítit*, *ángr* vero mera terminatio est.

1) *landa*, (pro *randa*), B. Abest hoc hemistichium in C, F, S, Sk, Hkr.

simi amici digressi sunt. Tum Vagn unacum uxore sua Ingibjarga austrum versus in Daniam domum profectus, in Fionia consedit, et princeps clarus evasit, multique ab eo descendunt viri illustres. Björn Britannus occidentem versus in Bretlandiam profectus, in possessionibus suis consedit, ibique, donec naves inter terras commearent, mansit.

De rege Olavo et Björne.

Cap. 91. Rex Olavus Tryggvii filius trans mare occidentale commorabatur; cum vero incendi cœpisset cupiditate orientem versus in Norvegiam redeundi, ut cognatos suos atque patrimonium viseret, tum sedulo perquirere cœpit de moribus principum Norvegiæ, atque de aliis regnis orientem versus trans mare sitis. Ut autem Björn Britannus occidentem versus[1] pervenit, rex Olavus vera rescivit de omnibus rebus præcedenti hieme in Norvegia gestis, tam de prœlio piratarum Jomensium, quam quod Hakon dynasta gnatum suum victoriæ ergo immolasset; comperit quoque, dynastas, Hakonem et Eirikum, magnam sibi conciliasse populi gratiam ob reportatam de piratis Jomensibus victoriam, quam adepti totum populum ab hoc bello liberaverant. Rex Olavus, ut alii, virtutem piratarum Jomensium collaudavit, at valde doluit de magna illa feritate, quæ in natali sua terra grassabatur. His nuntiis valde aucta est cupido ejus orientem versus trans mare eundi, animo enim constituit, si deus sibi regnum Norvegiæ nancisci daret, omnem operam navare, ut hunc populum ad veram fidem converteret, idque eo magis, quod inimicus per hunc suum ministrum ac apostatam, Hakonem dynastam, totum hunc populum pluri-

1) i, e. ex Bretlandia in Hiberniam, cfr. fin. cap. præced.

bus modis deceperat. Alia vero ex parte regi Olavo haud magna spes visa est, se Norvegiam exiguis copiis occupare posse, donec dynastæ tanta potestate, tanta populi gratia valerent, cum adeo arduum fuisset piratis Jomensibus tantis opibus patrem et filium impugnare; nec ullos in Norvegia cognovit, quos aut velle aut posse aliquam sibi opem ferre speraret, nam cognati ejus, quos ibi habebat multos et nobiles, ignorabant, utrum in vivis esset, nec ne, quamvis anniculus inde abiisset; postquam enim Sveciam trimulus reliquerat, nil certi de eo resciverant, nam postquam e Gardis discesserat, pauci, ut ante narratum est, integrum ejus nomen sciverunt. His omnibus cogitationibus ductus, intellexit, se regnum Norvegiæ recuperare non posse, nisi dei clementia magis quam antea adjutum. Hinc totum suum consilium potentiæ ac providentiæ dei omnipotentis commisit.

Lodin emit Astridam.

Cap. 92. Jam narranda est res, quæ multo prius accidit. Vir erat nomine Lodin, dives et genere nobili. Ille sæpe mercaturam, interdum vero piraticam exercuit. Accidit æstate quadam, cum Lodin negotiandi gratia in tractus orientales proficisceretur, ut nave, quam solus possidebat, multis mercibus onusta vectus, Vindlandiam[1] peteret, ubi per æstatem nundinas frequentavit. Durantibus autem nundinis, variæ eo transportabantur merces; multa ibi prostitere mancipia[2]. Ibi conspexit Lodin mulierem quandam, quæ venundata fuerat. Ut autem intuebatur mulierem, cognovit esse Astridam Eiriki filiam, quam in

[1]) Estoniam, B, C, F. [2]) *margir manemenn falir*, (pro *mart man falt*), id., F; *mannfólk*, multi eo venere homines, B.

matrimonio habuerat rex Tryggvius Olavi filius; hæc vero tum dissimilis erat atque fuerat ante, cum eam conspexerat, jam enim erat pallida et macilenta facie atque male vestita. Lodin Astridam adiit et quæsivit, quis esset rerum suarum status? Illa respondet: grave dictu est, mancipii instar venundata fui, et etiam nunc huc venalis allata sum. Hinc se invicem cognoverunt, illa vero eum et genus ejus agnovit. Tum Astrida rogavit, ut se redimeret et ad cognatos suos reduceret. Lodin respondet: ea conditione faciam, ut te ex servitute liberem et domum meam reducam, si mihi nubere velis. Cum vero Astrida his difficultatibus premeretur, atque sciret, Lodinem esse genere præstanti, strenuum et divitem, hæc pro libertate sua pollicetur. Deinde Lodin Astridam redemit atque secum in Norvegiam duxit, consensuque cognatum matrimonio secum conjunxit. Eorum liberi erant: Thorkel Nefja (Naso), Ingirida et Ingigerda. Filiæ Tryggvii regis et Astridæ erant Ingibjarga[1] et Astrida. Filii Eiriki Bjodaskallii, fratres vero Astridæ, erant Sigurdus, Jostein, Karlshöfud et Thorkel Dyrdil (Cauda); hi omnes viri erant insignes, magnaque in regno orientali prædia possederunt.

Consilia Hakonis dynastæ de rege Olavo.

Cap. 93. Hakon dynasta omnes Norvegiæ provincias exteriores, mari adjacentes, tenuit, septemdecim[2] provincias sub sua potestate habens; rex vero Haraldus Pulcricomus constituerat, ut in quacunque provincia dynasta imperaret, quæ constitutio diu postea servata est. Ideo Hakon dynasta sedecim dynastas sub se habuit. Hoc testatur Vellekla:

[1]) Ingigerda, B, C. [2]) sedecim, B, C, F.

Ubinam gentes noverint, sub uno
principe tantum territorium
et sedecim subesse satrapas;
id homines animo reputarent[1].

Quamdiu Hakon Norvegiæ præfuit bona erat in regno annona, bonaque inter incolas servabatur pax interna, dynasta quoque maxima imperii sui parte populi gratia floruit. Cum vero vergeret vita Hakonis, illud in moribus ejus maxime notandum erat, quod circa mulieres valde intemperans extitit, eoque tandem res processit insolentiæ, ut dynasta potentium virorum uxores[2] prehendi et ad se domum adduci jusserit, quas, cum una aut duabus hebdomadibus tori socias habuisset, domum remisit. Hinc magnam mulierum consanguineorum offensam incurrit, colonique mussitare cœperunt, qui mos est Thrandorum circa omnia, quæ contra voluntatem eorum fiunt. Hakon dynasta rumore[3] acceperat, trans mare occidentale commorari virum, nomine Olium, quem ibi vulgo regem habeant; dynasta vero, aliorum narratione ductus, suspicatur, esse aliquem regio genere Norvegico oriundum; nempe acceperat dynasta, Olium dici genere Gardicum, fama vero audiverat, Tryggvium Olavi filium reliquisse gnatum, qui orientem versus in Gar-

1) Ordo, qui secundum lectiones Hkr. constitutus est, ita se habet: *Hvar vitti öld, hjarl ok-a) sextán jarla b) liggja svá und einum c) jarðbyggvi d); þat e) skyli f) herr g) of h) hugsa.* Abest in C, S; extat in Hkr, O. Tr. c. 50, Sk. lp. 210.

a) sic Hkr; *hjarli*, A, B, F, Sk. *b)* ita Hkr, Sk; *jarlar*, A; *jarli* B, F. *c)* sic F, Hkr, Sk; *öðrum*, alio, A, B. *d)* sic Hkr; *jarðbyggvis*, A; *jarðyggvis*, F, Sk. *e)* *þar*, F, Sk. *f)* *skuli*, id., Sk. *g)* *hverr*, quisque, Sk. *h)* *um*, F, Sk.

2) et filias, add, B, C. 3) pro *afspraka* (forte rectius *af spraka*), *F. afspurn*, fama, F.

darikiam discessisset, ibique apud regem Valdamarem educatus fuisset, huic vero nomen fuisse Olavus. De hoc viro sollicite percontatus fuerat dynasta, et suspicabatur, ipsum eundem esse, qui jam in terras occidentales pervenisset. Vere proximo post prœlium cum piratis Jomensibus, dynasta multos principes de orientali regni parte ad se convocavit; venerunt quoque, jussu dynastæ, fratres Jostein et Karlshöfud, filii Eiriki de Ofrostadis. Adfuit etiam vir, nomine Thorer, cognomento Klakka, Hakoni dynastæ amicissimus; is æstatibus piraticam facere consvevit, interdum vero mercaturam per varias regiones exercebat, hinc magnam multis in locis rerum hominumque notitiam habuit. Hakon dynasta quos convocaverat principes ad concilium domesticum admisit, atque ita fatus est: accepimus, trans mare occidentale versari virum, qui Olius Gardicus vocetur, quem equidem opinor Olavum esse Tryggvii filium; et si ita est, brevi ab eo timendum erit gravissimum bellum, si qua nancisci poterit subsidia. Jam vestro consensu eam rationem ineundam duxerim, qua possimus hoc regnum quietum tenere; namque me pertæsum est, talem sustinere tumultum, qualem a piratis Jomensibus non ita pridem experti sumus; quare potissimum ratus sum, si vobis ita placuerit, hunc arte quadam, exiguis vero opibus, huc in nostram potestatem deducere. Principes hoc optimum consilium esse dixerunt, addentes, velle se, Hakonem dynastam, quoad viveret, dominum habere, nullum vero principem extraneum. Tum dynasta Thorerem Klakkam, amicum suum, ad se vocari jussit, eumque

ita allocutus est: hac æstate occidentem versus Dublinum, uti jam solent multi, mercandi causa proficiscitor, re autem vera explorato, qui sit ille vir, qui ibi in terris occiduis vocitetur Olius Gardicus. Quod si certo cognoveris, hunc esse Olavum Tryggvii filium, sive alium quemquam e prosapia regum Norvegicorum oriundum, tu eum, si poteris, Thorer! fraude aliqua circumventum, aut huc in meam potestatem deducito, aut ipse interficito. Hoc pollicetur Thorer. Deinde Jostein et Karlshöfud ad colloquium cum dynasta vocati sunt. Tum dynasta: vos, inquit, occidentem versus transmare hunc virum Thorerem Klakkam sequiminor, firmissimo antea præstito jurejurando, vos omnia, quæ molitus fuerit Thorer, adjuturos, si Olavum Tryggvii filium offenderitis; omnia insuper, quæ asseruerit Thorer, confirmaturos, nulloque pacto Olavum certiorem facturos, quamcunque fraudem ei struxerit Thorer, priusquam huc in Norvegiam deducto Olavo continentem pedibus attigeritis: tum enim curabo, ut nil noceat, si ei nostra consilia aperiatis. Eam vero ob causam magis vobis, quam aliis, hoc negotium injungo, quod Olavus majorem fidem habebit dictis vestris, consanguineorum suorum, quam aliorum, sibi nulla necessitudine junctorum; deinde, quod viri tam expertæ fidei estis, ut jusjurandum, quod mihi atque principibus, qui huc convenere, præstiteritis, non sitis violaturi. Ambo fratres uno ore responderunt: nunquam tam nefarium facinus admittemus, ut adeo turpiter decipiamus consanguineum nostrum. Quibus dynasta: tum, inquit, alia adest conditio, si hanc recusatis, ut in ipso hoc conventu crudelibus tormentis ad necem usque cruciemini,

munera vero eximia et amicitiam nostram merebitis, si hocce nostrum mandatum exsequimini. Tandem, sive longiore sive breviore habito colloquio, hanc fraudem in se suscipere annuerunt, et Hakoni dynastæ omnibusque præsentibus principibus jurejurando se obtrinxerunt, exequi omnia, quæ mandavit Hakon, quam eam, quæ iis intenta erat, violentiam experiri. Tum Thorer ac sui quam ocissime iter parant, et occidentem versus per mare vela dant. Rex Haraldus Grænlandus de Vestfoldia, filius Gudrödi Björnis filii, in matrimonio habuit Astam, Gudbrandi Kulæ, viri illustris, filiam. Hoc vere rex Haraldus orientem versus in Sveciam profectus erat, ubi in ædibus concrematus est, quemadmodum in vita ejus[1] commemoratum est. Hanc rem Thorer, ante suum a Norvegia discessum audiverat. Tum uxor ejus Astá gravida fuit, et postea eadem æstate puerum enixa est. Hic puer pro more antiquo aqua lustratus, nomen obtinuit Olavus.

Profectio Thoreris Klakkæ occidentem versus.

Cap. 94. Thorer Klakka Dublinum Hiberniæ pervenit, et cognovit, ibi versari Olium Gardicum apud socerum suum Olavum Kvaranem; hinc statim in colloquium Olii venit, erat enim Thorer vir facundus. Cum autem sæpius collocuti essent, Olius de rebus Norvegicis, et quidem primum de regibus Upplandorum, qui in vivis essent, quodque regnum haberent, interrogare cœpit. Thorer ad ea, quæ interrogavit, respondit, et etiam hoc, occubuisse[2] in Svionia regem Haraldum Grænlandum. Deinde Olius de Hakone dynasta percontatur, qua frueretur civium gratia. Thorer respondet: Hakon dynasta adeo potens

1) regum Norvegicorum, B, C, F. 2) hoc vere, add. C.

est, ut nemo audeat neque loqui neque facere aliter ac velit, id tamen ideo, quod nusquam aliunde respici potest quidquam auxilii; ut autem tibi vera dicam, novi multorum hominum, tam optimatum, quam plebis animum, qui maxime cupiant, ut Norvegiam adeat aliquis de genere Haraldi Pulcricomi, indigenam autem videmus neminem, qui hoc in se suscipiat, eam maxime ob causam, quod expertum esse videatur, neminem cum eo pugnare valere, postquam cum piratis Jomensibus, tantis opibus adjutis, prœlium commisit. Qua! de re cum sæpius verba fecissent, Olavus Thoreri nomen suum et genus aperuit, quo facto eum interrogavit: quid opinaris, Thorer! si in Norvegiam pervenerim, an me velint coloni regem terræ sumere? Thorer eum vehementer hortatus est, ut Norvegiam adiret, illumque atque ejus virtutem magnopere laudavit; addidit præterea Thorer: jam bene fecisti, Olave! quod te non amplius mihi occultaveris, multas enim ego multique alii Norvegi de præstantia tua narrationes audivimus, et ut vera tibi profitear, ea maxime fuit causa hujus, occidentem versus trans mare, suscepti itineris, quod rogatu principum Upplandorum atque aliorum tuorum illustrium cognatorum profectus sim, ut certior fierem, quis esset vir Olius ille Gardicus, de quo tam eximia continuo ferretur fama, et si certo exploravissem, quod jam verum est, te esse Olavum Tryggvii filium, ea fuit consanguineorum tuorum atque totius populi Norvegici petitio, ut quam celerrime eo pervenires et dominus terræ fieres; ajebant enim, quod verum est, dynastam nullas habere vires ad retinendum imperium, si cum principe indigena adversus eum populus in-

surrexerit, licet dynasta terram a peregrinis hostibus fortiter defenderet auxilio populi adjutus. Hinc est, quod pridie dixi, totum populum exoptare sibi regem, prosapia Haraldi Pulcricomi ortum. Ne autem meam de hac re relationem suspectam habeas, heic quoque ex consilio aliorum tuorum consanguineorum mecum adsunt duo avunculi tui, Jostein et Karlshöfud. Ut autem Olavus cognovit, ibi adesse consanguineos suos, eos arcessi jussit et perquam comiter excepit; deinde consilium et sermonem cum eis simul et Thorere miscet, atque de mandatis eorum quærit; Thorer omnia, uti antea, edit; Jostein et frater pauca verba adjiciunt, confirmantes ea, quæ asserebat Thorer. Cum vero verbis eorum fidem haberet Olavus, atque jam antea cupiditate Norvegiam adeundi teneretur, iter paravit, quinque instructus navibus; et cum paratus esset, ex Hibernia vela dedit, et ad Sudreyas (Hebrdies) indeque ad Orkneyas (Orcades) contendit. Eum comitabantur Thorer et avunculi ejus.

Prosapia Rögnvaldi Mœriarum dynastæ.

Cap. 95. Cum rex Haraldus Pulcricomus Nordmæriam et Raumsdalum sibi subjecisset, prostratis, qui ibi imperavere, regibus, uti in historia ejus narratur, autumno sequenti in Thrandheimum profectus est, præfecto utrique huic provinciæ dynasta, cui nomen erat Rögnvaldus, filius Eysteinis Glumræ, qui Rögnvaldus Potens et Sapiens nuncupatus est, quod utrumque cognomentum ei jure tribui visum est. Rögnvaldus erat regi Haraldo carissimus, multisque præliis et expeditionibus versatus, et a rege magni æstimatus. Rögnvaldus dy-

nasta in matrimonio habuit Hildam[1], filiam Rolvi Nasonis; eorum filii erant Rolvus, vulgo appellatus Gaungu-Rolvus (Rolvus Pedes) et Thorer Tacitus. Rögnvaldus etiam habuit filios nothos, quorum unus erat Halladus, alter Einar, tertius Rollögus, hi adulti erant, cum fratres eorum legitime procreati nascerentur. Eis bellis, quibus regnum Norvegiæ sibi acquisivit rex Haraldus, multi ab eo exulati occidentem versus trans mare aufugerunt et piraticæ se dederunt; hi per hiemes in Orkneyis et Sudreyis considebant, per æstates autem Norvegiam hostiliter aggressi, magnam incolis cladem intulerunt. Hinc quavis æstate rex Haraldus expeditionem suscepit ad defendendam terram. Ubicunque vero piratæ sentiebant adesse regis Haraldi copias, aufugerunt, et quidem plerique in altum. Ut autem militiæ ac belli pertæsus est rex Haraldus, æstate quadam occidentem versus per mare profectus est; primum Hjaltlandiam adiit, ubi omnes, qui non aufugerunt, piratas interfecit; deinde austrum versus Orkneyas petiit et omnia loca a piratis purgavit; hinc ad Sudreyas delatus, piratas bello persecutus est, multosque eorum, qui antea copias duxerant, occidit. Heic multa fecit prœlia, ac victor sæpissime evasit. Tum arma intulit Scotiæ, atque prœlium ibi commisit; cum vero occidentem[2] versus Monam pervenisset, totus populus in Scotiam aufugit, ablatis omnibus, quæ potuere bonis; quare rex Haraldus cum suis in terram egressus, nulla præda potitus est. Sic dicit Thorbjörn Hornklofius (Clypei-sector).

Monilium cumulator multos tulit
clypeos in oppida maritima;

[1]) Ragnhildam, B. [2]) orientem, C.

perprudens ductor Nidensium luporum
vicit prœlia in arena:
[antequam omnis exercitus militaris,
a strenuo Skotorum victore pulsus,
coactus est in fugam versus
regionem maritimam relinquere][1]

1) Ordo: *Menfergir α) bar margar randir β) í sandmens a) bý γ): margspakr niðar b) varga δ) lundr c) vann sókn á sandi d): [áðr allr herr e) lögðis seiðs e) varð flœja af lœbrautar f) láði ζ) fur g) eljun h) -prúðum Skota þverri.]* Abest in C, F, S, Sk; posterius hemistichium uncis inclusum solus B addit; extat in Hkr, III, C. 22.

a) *landmens*, terræ circuli, i. e. maris, B. *b*) *viðar*, B, sed obstat metrum. *c*) sic Hkr, et quidem rectius; *lunds*, A. B, *d*) *landi*, B, hoc ordine: *vann sókn á landmens landi*, in terra maris, i. e. insula. *e*) *eiðs*, isthmi; Hkr. jungit *lögðis eið*, terra ensis, clypeus, ejus *þverrir*, pugnator. *f*) sic Hkr; *láðbrautar*, B, qvod metro minus bene convenit. *g*) sic dedi pro *ferr*, B. *h*) sic scripsi pro *eljum*, B; Hkr. habet *œljan*, id.

α) vir dives et liberalis, sc. Rex Haraldus. *β*) i. e. armata manu agressus est, cfr. supra, cap. 71, str. 2. *γ*) *Sandmen*, circulus arenæ, mare; h. *sandmens býr*. oppidum mari adjacens. *δ*) *Niðr*, amnis in sinum Thrandheimicum se exonerans, in fluviorum nominibus reversetur in Skalda; h. *niðar vargr*, lupus fluvialis, navis, ejus *lundr*, dux classis, vel prœliator maritimus. *ε*) ad verbum: multitudo belli, i. e. bellica, exercitus; retinui *seiðs*, quod bonum sensum funderet; nempe *seiðr* aliquoties, ut *galdr*, pro cantu vel sonitu adhibitum occurrit in appellationibus poëticis, v. c. *sverða seiðr*, sonitus ensium, pugna, Hist. Hak. Grandævi C. 219, str. 2; *vigra seiðr*, sonitus hastarum, id. Sturl. Libr. 9, C. 19, str. 1. Sic h. l. *lögðis seiðr*, sonitus ensis, pugna. Primarium enim momentum magices, qvæ sub nomine *seiðr* occurrit, erat cantus; [cfr. vitam Eiriki Rufi c. 5, Laxd. c. 40, 42, item vitam Ǫrvaroddi (ed. Holm. a Raskio in chrestomathia isl. *Sýnishorn*) Cap 3: *Valvan hafði með sèr* 30 *manna*, 15 *sveina ok* 15 *meyar; þat var raddlið mikit, þvíat þar skyldi vera kveðandi mikil, sem hún var*; i. e. Fatidica secum triginta homines habuit, juvenes quindecim, totidemque virgines, genus vocalissimum; nam, ubi fuit, insignis vocum cantus erat instituendus. Accedit quod *seiðmenn* et *galdramenn* permutantur Laxd.

Huic militiæ interfuit Rögnvaldus dynasta Mæriarum, et frater ejus, nomine Sigurdus. Etiam regem Haraldum sequebatur Ivar, filius Rögnvaldi dynastæ, qui ibi in prœlio occubuit; Haraldus autem rex ad resarciendam filii cædem Rögnvaldo dynastæ Hjaltlandiam et Orkneyas dedit, dynasta vero tradidit utramque hanc terram fratri suo Sigurdo[1]. Cum orientem versus cum suis navigaret rex Haraldus, vir quidam, nomine Raudus[2], Olavi Albi et Audæ Prædivitis filius, se socium Sigurdo dynastæ adjunxit. Hi Skotiæ arma intulerunt, atque Katanesum et Sudurlandum ad Ekkjalem usque occupaverunt. Sigurdus dynasta dynastam quendam Skoticum, nomine Melbrigdam Dentem[3], occidit, atque caput ejus loris ephippii posticis[4] alligavit, suram vero denti, qui ex capite prominebat, impegit, unde tantus pedem invasit tumor, ut mortem inde pateretur; ille ad ripam Albis[5] tumulatus est. Guttormus erat filius Sigurdi dynastæ, qui post patrem una hieme insulis imperavit, et improlis decessit. Hinc piratæ, Dani et Nordmanni, insulas insederunt.

C. 41. Si vero præferes lect. *eiðs*, ob antecedens *s*, jungere licet *lögðis lœbraut*, dolosa ensis via, clypeus, ejus *þverrir*, prœliator; tum *eiðs láð*, terra isthmi, erit insula *Mön*. ζ) *lœbraut*, via dolosa, pro mari accipi posset, vel via liquida, a *lœ*, id. q. *lá*, liquor; h. *lœbrautar láð*, regio maritima, h. l. de insula.

1) Rex autem Haraldus dynastæ titulum Sigurdo dedit, qui ibi in occidente remansit, *add.* B, C. 2) Thorstein Rufus, B, C, F. 3) Sic cet. codd; in *A* vero hæ voces non cernuntur. 4) *Slagálar*, lora ad circumvinciendum apta, equitibus in usu, v. Fóstbræðras. ed. Havn. p. 109: *þórarinn reið úr Hraunhöfn, hann hafði höfuð þorgeirs í belg við slagólar sèr til ágætis*; et Orkn. S. p. 346: *Skotar riðu ok höfðu við slagólar hosur fullar af silfri*. 5) Ekkjalis, B, C, F.

Colloquium Rögnvaldi cum filiis.

Cap. 96. Rögnvaldus dynasta, perlata orientem versus fama de cæde fratris Sigurdi, simulque cognito, regiones suas, tam Hjaltlandiam quam Orkneyas, a piratis occupatas: misit occidentem versus Halladum filium, cui rex Haraldus dynastæ nomen dedit. Halladus magnas copias habuit, et in Orkneyas delatus, regiones occupavit; vere autem et autumno piratæ insulas perlustrarunt, exscensionem ad promontoria fecerunt, et pecora ad litus abacta mactaverunt. Hinc in insulis morari pertæsus Halladus, ex dynastæ dignitate se devolvebat, et magnatum[1] jura sibi adscivit, quo facto in Norvegiam reversus est. Rögnvaldus, pater ejus, profectione ejus indignatus, filios suos majoribus dissimiles fore dixit; Einar sermoni patris respondet: parum a te fui amatus, eoque heic honore educatus, ut hoc privari parum detrectem, siquidem non alibi minore, quam hic, successu usurum me auguror; nunc itaque occidentem versus in insulas proficiscar, si qua mihi dare velis subsidia; id præterea, quod tibi magno erit gaudio, promittam, me nunquam in Norvegiam reversurum. Dynasta respondet: gratum mihi est, te nunquam reverti, nam parva mihi est spes, te cognatis tuis honori futurum, totum enim genus tuum maternum servile est. Dynasta Einari tradidit navem longam[2], satis bene instructam. Insequenti autumno Einar occidentem versus navigavit, in Orkneyas autem delatus, piratas,

[1]) In textu *Höldar*, potentes et generosi coloni, quarto loco post reges, jarlos (dynastas, subregulos) et herseres (duces, præfectos); vide Edd. Snorr., ed. Holm. Er. Ch. Rask, 1818, pag. 171. [2]) navem vigintiiranstram, F.

qui insulas insederant, bello adortus prostravit, et dein dynasta insularum factus est. Idem princeps magnus et potens evasit.

Einar dynasta cædem patris ulciscitur.

Cap. 97. Filii regis Haraldi, ut adoleverunt, valde injurii extiterunt, atque dynastas regios aliosque potentes viros e medio sustulerunt. Vere quodam Halfdan Alticrus et Gudrödus Splendor, magna stipati caterva, austrum versus in Mæriam profecti sunt, Rögnvaldum dynastam ex inopinato aggressi domo inclusum circumvenerunt, et admoto igne una cum sexaginta hominibus vivum in ædibus concremaverunt. Quo facto Gudrödus ditionem, quam tenuerat dynasta, adiit, et paulo post cum patre reconciliatus est, seque in potestatem ejus dedidit. Tum rex Haraldus Thoreri, filio Rögnvaldi dynastæ, totum suum patrimonium reddidit, addito dynastæ titulo, eique filiam suam Olavam Arbot (annonæ levamen) in matrimonium dedit. Halfdan Alticrus duas[1] sumtas naves classiariis instruxit, et statim post incendium Rögnvaldi dynastæ occidentem versus trans mare vela dedit. Halfdan ex insperato in Orkneyas pervenit, unde Einar insulas statim deseruit, at eodem autumno insperante Halfdane reversus est. Res inter eos ita gestæ sunt, ut dynasta Halfdanem occideret, prout in historia dynastarum Orkadensium narratur. Paulopost rex Haraldus occidentem versus cum copiis in Orkneyas profectus est. Einar dynasta, cognito, advenisse ex oriente regem Haraldum, in Nesum (Katanesum) trajecit; tum dynasta hos versus fudit:

Multi virorum, pulcre barbati,
raptarum ex insulis ovium rei fiunt;

[1]) tres, B, C.

ego vero crimine necati
juvenis, regis præpotentis filii.
Periculum mihi imminere
ajunt ab animoso principe;
neque dubium est, quin grave
Haraldo damnum attulerim[1].

Tum internuntiis inter regem et dynastam missis, eo pacto sunt reconciliati, ut Orkadenses regi[2] sexaginta markas auri penderent. Colonis mulcta nimia visa est, quare Einar colonis pollicitus est, se hanc pecuniam solum soluturum, si vicissim omnia in Orkneyis heredia nanciscerentur. Hoc coloni ea de causa acceptarunt, quod omnes pauperiores exiguos fundos possederunt, divites vero dicebant, se, quando vellent, heredia sua redemturos. Tum regi totam mulctam dynasta pependit, autumnoque sequenti rex in Norvegiam reversus est. Hinc per longum tempus omnia in Orkneyis heredia dynasta possedit, donec dynasta Sigurdus Lödveris[3] filius colonis heredia redderet. Einar dynasta longo tempore Orkneyis præfuit, morboque obiit; ille habuit tres filios, quorum uni nomen erat Arnkel, alteri Erlendus, tertio Thorfinnus Craniseca. Fratres, Arnkel et Erlendus, filii Einaris dynastæ, in Anglia unacum

1) Ordo: *margr seggr með fögru skeggi verðr sekr a) um sauði b) or eyjum c), en ek at falli úngs allvalds sonar. Höldar segja mèr hætt við hugfullan stilli, hefik höggvit skarð í skildi Haralds, skala d) ugga þat e).* Abest in S. extat in Hkr, III. C. 32, in Sk, I C. 179, str. 2.

a) sèmn, visus, F. *b) at sauðum*, inter oves versari (eos rapturus, vel custodiens) F, Sk, *of sauði*, Hkr. *c) í eyu*, in insula, *F*, *í eyum*, in insulis, Hkr, Sk. *d) skalat*, id. B, C, Hkr. *e) þèr*, tibi, B. quod non procedit, nisi legas cum Sk. *Haraldr* in vocandi casu.

2) tributum et, add. B, C. 3) Haraldi, B; Hakonis, C.

rege Eiriko Sangvisecuri, ut supra scriptum est, ceciderunt; at Thorfinnus, frater eorum, diu Orkneyis dynasta præfuit: ille erat princeps magnus et bellicosus, morboque obiit. Quinque erant ejus filii: Arnfinnus, Havardus, Ljotus, Skulius et Lödver. Arnfinnus in matrimonio habuit Ragnhildam, filiam Eiriki et Gunnhildæ, ut ante memoratum est. Ragnhilda necem svasit Arnfinni dynastæ, mariti sui, atque nupsit fratri ejus Havardo. Havardus erat bonus princeps et felix annonæ. Havardus et Ragnhilda non diu una fuerant, cum ea hortata est dynastæ nepotem e sorore, nomine Einarem, cognomine Kliningum, ut Havardum dynastam interficeret, Einari pollicita, si hoc facinus patraret, eum insularum fore dynastam, seque ei nupturam. Cum autem Einar dynastam occiderat, ei nubere noluit Ragnhilda, asserens maximum mendacium esse, se consilia in necem dynastæ struxisse. Hinc arcessivit Ragnhilda alterum Havardi dynastæ e sorore nepotem, cui nomen Einar Hardkjöptus (τραχύστομος), atque ab eo petiit, ut cædem Havardi dynastæ ulcisceretur, oblata eadem ac antea mercede. Ut autem Einar Trachystomus cognatum suum interfecerat, Ragnhilda ei nubere noluit. Tum nupsit Ljoto, fratri Havardi et Arnfinni. Ljotus factus est dynasta insularum, magnusque princeps evasit; is, consilio Ragnhildæ, Einarem Trachystomum interficiendum curavit. Skulius, frater Ljoti dynastæ, in Skotiam trajecit, ubi a Skotorum rege dynastæ titulo ornatus est. Tum in Katanesum descendit Skulius dynasta, ibique auxilia comparavit. Inde Skulius dynasta in Orkneyas rediit, et cum fratre suo, Ljoto dynasta, de regno decertavit, re vero male gesta in Nesum

trajecit. Alterum prælium in Dalis Katanesi commiserunt, in quo cecidit Skulius, Ljotus vero totum Katanesum sibi subjecit. Ljotus dynasta erat maximus bellator. Ultimum prælium commisit cum dynasta quodam Skotico, cui nomen Margbjodus, duplo minoribus copiis instructus. Tum adeo acriter institit Ljotus, ut Skotorum acies inclinaret, breveque factum est prælium, antequam terga darent Skoti, qui vitam servarunt, multi vero occubuere. Ljotus dynasta victor extitit, acceptis tamen, quæ ei mortifera extitere, vulneribus[1]. Tum frater ejus Lödver dynastæ dignitatem in Orkneyis adiit, magnusque evasit princeps; in matrimonio habuit Ednam[2], Kjarvalis Irorum regis filiam. Eorum filius erat Sigurdus Crassus. Lödver dynasta morbo obiit, Sigurdus vero, filius ejus, post eum dignitatem dynastæ capessivit. Sigurdus factus est dynasta potens et ampli imperii; ille Katanesum invitis Skotis retinuit, quavis æstate classem eduxit, et Sudreyas, Skotiam et Irlandiam bello infestavit. Accidit æstate quadam, ut dynasta quidam, nomine Finnleikus, cum immensis copiis de Skotia deveniret. Finnleikus Sigurdo locum pugnæ determinavit in Skidamyra Katanesi, diemque pugnæ dixit. Sigurdus dynasta copias contraxit; Orkadenses adversus tantam multitudinem pugnare inviti erant, dictum enim est, non minus fuisse copiarum discrimen, quam ut singulis Sigurdi militibus contra septem Skotos pugnandum esset. Hinc nullas copias in Orkneyis nactus est dynasta, donec colonis omnia heredia in insulis auxilii ergo remitteret. Quo facto Sigurdus dynasta

[1]) accepto, qui ei mortifer extitit, morbo, B, C. [2]) Audnam, F.

in prælium adversus Finnleikum processit atque victoria potitus est, coloni vero heredia sua in Orkneyis receperunt.

Congressus regis Olavi et Sigurdi dynastæ.

Cap. 98. Rex Olavus Tryggvii filius, ab occidente cum copiis classe profectus, Orkneyas petebat, ut supra commemoratum est. Cum vero sinus Petlandicus innavigabilis esset, naves suas ad Rögnvaldseyam in portum constituit in Asmundarvogo[1]. Hoc in sinu dynasta Sigurdus Hlödveris filius, una[2] nave longa vectus, ad ancoras stetit, in Katanesum trajecturus. Ut primum vero rescivit rex Olavus, adesse ibi dynastam Sigurdum, hunc in colloquium excivit. Qui ut in navem regiam venit, rex Olavus sic dicere orsus est: notum tibi esse credo, dynasta Sigurde, quod rex Haraldus Pulcricomus, cum ante totam Norvegiam ditioni suæ subjecerat, exercitum occidentem versus per mare transduxit; hic sibi tum Orkneyas et Hjaltlandiam multasque his in terris ditiones, ab occidentali parte maris, subjecit; idem insulas (Orkneyas) et Hjaltlandiam dynastæ suo, Rögnvaldo Potenti, in expiationem necis filii, dedit, Rögnvaldus vero dedit Sigurdo, fratri suo, qui tum dynasta factus est regis Haraldi. Iterum rex Haraldus huc occidentem versus adversus Einarem dynastam copias bene magnas duxit; tum viris benevolis inter regem Haraldum et Einarem intercedentibus, pacem ea lege fecerunt, ut rex universas Orkneyas et Hjaltlandiam suæ ditioni vindicaret; rei inter eos is fuit exitus, ut dynasta regi, pro cæde Halfdanis Altieruris, filii ejus, sexaginta auri selibras penderet, idemque has terras, nomine regis Haraldi, fiduciarias teneret. Aliquanto

[1]) nomen sinus abest in B. [2]) tribus, F.

post rex Eirikus Haraldi filius ab Norvegia huc advenit, cui tum vectigales fuerunt dynastæ, filii Torfeinaris; cui rei signo est, quod regi in expeditiones piraticas magnum exercitum tradiderunt. Cum vero rex Eirikus iterum in insulas pervenit, abductis secum dynastis, Arnkele et Erlendo, fratrem eorum, Thorfinnum dynastam, regnis præfecit; horum autem uterque in Anglia cum rege Eiriko cecidit. Posthæc filii Eiriki ab Anglia advenientes, insulas in potestatem suam redegerunt, digredientes vero hinc, Arnfinnum[1] dynastam, affinem suum, regnis præfecerunt. Post hunc regnum susceperunt fratres ejus, primum Havardus, deinde Ljotus, postremo Lödver, pater tuus. Nunc tu, Sigurde, dynastæ potestate tenes hoc regnum, quod meam possessionem esse contendo, ut cætera regna, quotquot regi Haraldo fuerunt, quæque singuli ejus posterorum, unus post alterum, jure hæreditario tenuerunt. Quandoquidem vero res ita cecidit, ut in potestatem meam veneris, duæ tibi præsto sunt conditiones: una, ut veram religionem accipias, baptismoque te et universum populum tibi subjectum lustrari sinas, quo facto in spem venies, meo beneficio, quantum antea habuisti ditionis, tenendi, quo accedit hoc, quod majoris est, quod cum Deo omnipotente in coelestis regni gloria æternum regnaturus es, si præcepta ejus servaveris; altera conditio est, quæ perquam misera est et illi absimilis, ut nunc tibi confestim moriendum sit, ego vero insulas peragrans, totum hoc regnum incendiis et conculcationibus[2] vastem, nisi populus in verum

[1]) Thorfinnum, F pravè. [2]) *usli*, de depastione herbarum segetumque, et soli denudatione ferè dicitur, unde *usli*, qs. depastor, inter ignis vocabula in Edda mscr. recensetur. Pute qs. *ursli*, ab *yrja* (*urði*, *urinn*), superficiem rei lædere.

deum credere velit; quam conditionem si prætuleris, tu, ut cæteri omnes, qui in simulacra credunt, post subitam necem terribili cruciatu apud diabolum in infernali flamma sine fine afficieris. Dynasta vero, quo loco res ipsius tum erant, conditionem elegit[1], maxime profuturam, veram religionem admittere. Quo facto dynasta cum omnibus suis baptizatus est; deinde juratus dominio regis Olavi se subjecit, terrasque ab rege fiduciarias accepit, dato obside filio, cui nomen erat Hvelpus (Catulus) seu Hundius (Canis), quem puerum Lödveris nomine baptizatum rex Olavus in Norvegiam secum abduxit. His gestis Olavus ab Orkneyis navigavit, relictis ibidem doctoribus, qui populum bonis moribus sacrisque disciplinis imbuerent. Sic tum rex Olavus et dynasta amicissime digressi sunt.

[*Rex Olavus in Norvegiam pervenit*].

Cap. 99. Rex Olavus orientem versus in altum vela dedit, vento secundo et satis facili; rex se hilarissimum præbuit, quod nihil fraudis aut periculi, neque ab cognatis suis, neque aliis, qui una proficiscebantur, sibi metuebat; semper tamen mirabatur, quod cognati sui, Jostein et Karlshöfud, ex quo eum in Hibernia convenerant, tacitos sese, nunquam vero hilares præbuerant. Rex Olavus, ex alto delatus, Mostriam tenuit; hic in terram egressus, missam sibi in tabernaculo cani fecit, deinde fundamentum templo eodem in loco designavit, quo loco missam sibi cani fecerat; cui rei fabros aliasque res necessarias prospexit. Hoc templum rex Olavus primum exstrui fecit, pecunias adsignavit, eique sacerdotem præfecit Thangbrandum. Thorer Klakka regem Ola-

[1]) *Kjori* sic B; *keyri*, A, id., quæ forma et alibi occurrit.

vum, ut Mostriam attigerant, monuit, hoc unum ipsi factu optimum esse, ut, quis esset, ne aperiret, et quam citissime septemtrionem versus in Thrandheimum ad Hakonem dynastam se conferret, ne qua de adventu ejus fama præcurreret. Hoc consilium regi et utile et prudens visum est, quare sic fecit, ut noctu interdiuque non intermisso itinere, boream versus secundum terram per exteriora maris, qua ventus ferebat, cursum contenderet, ad continentem terram nusquam appelleret, sed, ventis adversis, ad insulas exteriores excubaret. Ideo vero Thorer Klakka hoc consilii dederat, quod novit ingenium populi novarum rerum plerumque cupidi, et altera ex parte, quantam in Norvegia famam multorum hominum relatione Olavus Tryggvii filius adeptus esset; quem si tot ampli cognati et affines, quot Olavus inprimis in regni parte orientali habuit, principem creavissent, quod certe futurum erat, si eum patriæ redditum cognovissent, intellexit fore, ut universus ad eum populus statim confluueret, eum solum pro rege habiturus, ejusque solius auctoritatem opibus sublevaturus. Cum vero summa esset Hakonis dynastæ per commune Thrandorum auctoritas et potentia, vires ejus, qui tantum prudentia et copiarum opibus valeret, minime superare Thorer existimavit, Olavum e medio tollere, in boreales regni partes delatum, neque majoribus, quam tum habebat, copiis stipatum, si ipsi ante facultas non foret Olavum interficiendi, quod consilium ipse ac dynasta inierant, antequam Thorer e Norvegia proxime profectus esset. Jam sic perseverarunt, ut incolas laterent, usque eo donec diei cujusdam vespere Agdanesum subirent, ubi naves in portum constituerunt et tentoriis con-

texerunt. Homines colloquio nacti, cognoscunt, Hakonem dynastam in interiore Thrandheimo agere, et hoc insuper, ortas inter eundem et cives simultates. Quo cognito, Thorer Klakka animo vehementer commotus est; res enim secus quam cogitavit, ceciderat: nam post prælium cum piratis Jomensibus, omnes homines in Norvegia Hakoni dynastæ amicissimi fuerunt, propter victoriam, qua potitus totum regnum ab hostibus liberaverat; nunc vero res in pejus exierat, ut ipsi quidem visum est, eximio principe in regnum restituto, civibus cum dynasta dissidentibus, tam in ea regione, quam domi in ipsius avitis hæreditis. Tum Thorer, advocatis Josteine et Karlshöfude, diu cum eis secreto colloquitur. Tenebris vero obortis, cum omnes homines in navibus obdormivissent, surgunt fratres, tacite vestes induunt, capiunt arma, et scapham conscendunt; remigant ad navem Regis Olavi, eo clam ascendunt, lectum regis accedunt, dicentes, postulare necessitatem, ut in terram cum iis egrediatur. Sic facit. Ut vero consederat rex, ambo ad pedes ejus prostrati, magna cum sollicitudine et cura loquuntur: lacrimabile facinus admisimus, quo mortem meruimus, ut mali proditores; quare nos in tuam potestatem dedimus, ut in nos pro lubitu agas, sive nos conservare, sive interficere velis. Regi, quid rei esset, interroganti, omnia aperiunt, ut ipsos Hakon dynasta coëgisset ad insidias ei cum Thorere Klakka faciendas: et jam tibi, inquiunt, certa mors decreta est; quam ob causam, ex quo Norvegiam reliquimus, semper solliciti, nunquam hilares fuimus. Rex loçutus est: surgite illico! non vos hac de re incusabo, spero enim, hæc et omnia alia pro divina providentia de rebus meis exitura; pulcre quidem hæc

pro re administravistis, nunc vero consilium date, quid agam. Respondet Jostein: vespere Thorer, cum nova ex terra rescivisset, me et fratrem ad secretum colloquium seduxit, actisque gratiis, quod tam sancte datam Hakoni dynastæ fidem et jusjurandum præstitissemus, indicavit nobis, se crastino mane te solum in terram, quasi in consilium, evocaturum, duobus, quibus maxime fidem haberet, in sylvam, haud procul hinc sitam, præmissis; hi, dato signo, procurrentes, te interficient; hoc fuit consilium, ab eo et Hakone dynasta, antequam digressi sunt, structum; ideoque nobis ambobus liberum permissum est, simulac continentem terram pedibus attigerimus, insidias tibi aperire, quod putabant futurum, ut interfectus esses, antequam terram attigissemus: nunc autem forte evenit, ut vivas, nos vero jurejurando et pactis cum eo ac Hakone dynasta initis soluti simus. Jam primum nostrum consilium est, ut viros, quibus maxime fidem habeas, in sylva colloces, ut antecapto tempore, hunc nefarium Thorerem eodem laqueo capias, quem tibi tetendit. Rex: hoc consilio, a vobis excogitato, utar; verum utrum vos hoc facinus perficere vultis, an alios ad hanc rem designabo? respondent simul utrique, se omnia, quæcunque ei maxime placerent, ab eo tempore exsecuturos. Jubet itaque rex, ut in sylvam se conferant, et, cum manicam suam extulerit, procurrant. Deinde rex, nemine animadvertente, in naves regreditur.

Thorer Klakka e medio sublatus.

Cap. 100. Primo mane sequenti Thorer, in navem regis Olavi veniens, petit, ut duo soli ad consilia capienda in terram egrediantur. Annuit rex. Cum vero in terram pervenissent,

et considere vellent, Thorer loco editiore sedere voluit, quod cum rex nollet, manicam dextrâ extulit. Procurrunt ex sylva Jostein ac frater, item duo alii, quos cursu prævertentes, fratres, ambo simul malum proditorem Thorerem gladiis feriunt, ut confestim mortem oppeteret. Quo conspecto, Thoreriani, ad cædem regis designati, gradum stiterunt; ad quos Jostein ac frater conversi, utrosque interfecerunt. Ceteris Thoreris comitibus, qui in navi erant, petentibus pacem rex concessit; qui omnes, jurejurando interposito, regi se subjecerunt.

Prælium Hakonis dynastæ cum colonis.

Cap. 101. Hakon dynasta tantam ostendere cœpit in re uxoria proterviam, ut omnes feminas æquo jure sibi vindicaret, sive matres ac filiæ, sive sorores, sive virgines amplis parentibus natæ, sive aliorum conjuges essent; idem in multis aliis rebus crudelem sese sibi subjectis præbére, quam ob causam Hakon Malus appellatus est, quod nomen exinde tenuit. Brynjolvus nomen erat viro potenti et gratioso, in Gaulardalo habitanti; hic uxorem habuit venustam, multarum rerum apprime peritam. Nocte quadam Hakon dynasta ad Brynjolvum misit, qui uxorem Brynjolvi abducerent, sibique traderent. Pervenerat in lectum cum uxore Brynjolvus, quando missi ab dynasta venerunt ad villam; hi, causa adventus exposita, dixerunt, jubere dynastam, ut ad se uxorem mittat. Respondit Brynjolvus: pauca sunt mala, quæ hic dynasta loqui aut facere omittat, adeoque jam malitiæ immodicus est, ut exspectandum sit, dominatum ejus brevi casurum, ipsumque turpi morte interiturum; hic enim populus, qui sub ejus imperio esse cogitur, magnis premitur angustiis et difficultatibus; jam vos statim alterutrum facite, aut

vos hinc auferte, aut nunquam delebili contumeliæ macula vos mox adspergi patiamini. Missi, re sic gesta redire tutissimum arbitrati, ut ad dynastam revenerunt, rei exitum exposuerunt. Quibus dynasta: prorsus eodem loco res Brynjolvi erit, amittet mulierem, aut interfectus jacebit. Deinde magnam manum misit; qui cum in villam Brynjolvi venissent, mandata dynastæ exponunt. Brynjolvus respondet: credibile est, me hac vice vobis esse viribus imparem, fieri tamen potest, ut dynasta tandem pro sua impotentia et factis nefariis dignam referat ignominiam et infamiam. His dictis exsilit, arma sua et tela capit, iraque plenus abit; missi autem uxorem ad dynastam abduxerunt. Brynjolvus, pagum circumiens, colonos convocavit, iisque causam suam exposuit, quaque se contumelia dynasta affecisset. Nunc rogo oroque, inquit, ut copias cogamus, dynastam aggrediamur, cum eo confligamus aut eum in ædibus concrememus; maximo enim dedecori nobis est, si tantam malitiam ab nobis depellere non audemus. Etsi vero me mea contumelia proxime tangit, tamen prope aderit, nisi huic malo occursum fuerit, cum plures de eadem fortuna querendum habebunt, tumque forte invenientur aliqui tam strenui, ut quamvis dynastæ contumeliam pati nolint, etsi jam subvenire meæ necessitati detrectetis. Omnes coloni, qui eo convenerant, orationem Brynjolvi secunda acclamatione exceperunt, dicentes, forti viro utique dandam esse veniam, si talia in magno poneret discrimine. Tum prope factum est, ut tumultuarentur.

Cap. 102. Post paulo Hakon dynasta convivio interfuit in Gaulardalo, prædio Medalhusis dicto, naves autem ejus ad Viggjam stabant. Ormus Lyrgja nomen erat viro potenti, prædio

Byneso dicto habitanti; hic uxorem habuit, quæ Gudruna nominata est, filiam Bergthoris ab Lundis. Gudruna cognominata est Sol Lundorum, quod ceteras feminas pulcritudine superabat. Hakon dynasta servos suos ad Ormum Lyrgjam misit, ut uxorem Ormi abducerent. Servi Bynesum venientes, mandata edunt. Ormus, se haud invitum ostendens, rogat, ut primum coenatum eant; ante vero quam servi cibum sumsissent, multi ex pago homines, ab Ormo evocati, advenerunt; quo facto Ormus nullam servis potestatem abducendæ Gudrunæ fecit. Gudruna servis: hæc mea verba dynastæ perferte, inquit, me ad eum non venturam, nisi Thoram de Rimule ad me arcessendam mittat; erat autem Thora matrona potens et una ex dynastæ amicabus. Servi valde irati abierunt, patri et matri familiæ gravia minati, dicentes, pœnitentiam facti brevi successuram, seque ita alio tempore adfuturos, ut utrique tutissimum forent arbitraturi, voluntati dynastæ obsequi. Ita digressi sunt. Ormus sectam sagittam, belli nuntiam, Skerdingstedjam ad Haldorem misit, quam deinceps Haldor perferendam curavit: sic ipse ac Ormus sagittæ nuntium in quatuor partes per pagum dimiserunt, nuntio adjicientes, ut omnes viri, qui arma ferre possent, Hakonem dynastam cum armis aggrederentur eumque interficerent. Ad sagittæ nuntium multitudo populi insurrexit, quæ manus omnis Medalhusa usque contendit. Hakon dynasta, tumultu per speculatores cognito, cum omnibus suis a villa in vallem quandam profundam, exinde Jarlsdalum (vallem dynastæ) dictam, secessit, ibique delituit. Post eadem die dynasta omnia de exercitu rustico speculatus est: rusticos omnia itinera occu-

passe, maximeque putare, dynastam ad naves suas se contulisse, quibus tum præerat Erlendus, filius dynastæ, optimæ spei juvenis. Appetente nocte, suos ab se dynasta dimisit, jubens, ut per sylvestria ad Orkadalum contendant: nemo enim, inquit, mali quidquam vobis faciet, si nullus adero; filio meo Erlendo dicite, ut classem nostram ex sinu deducat, deindeque austrum versus ad Mæriam mei conveniendi causa contendat; eo enim me conferam, dilapsis nonnihil rusticis copiis; facile vero in propinquis latebris delitescere potero, dum me acerrime conquirunt copiasque continent. Tum milites dynastæ discesserunt, alii ad naves ad Erlendum, alii, quibus villicatio erat, rus ibant. Remansit dynasta et servus ejus, cui nomen Thormodus Karkus, qui servus Hakoni, in primæ dentitionis monimentum, jam infans datus fuerat; erant enim ætate pares. Hi deinde latebras quæsitum ibant, equite dynasta, Karko pedite. Qui cum ad amnem, Gaulam (Göjlam) dictum, glacie aperturas passim habente concretum, pervenissent, dynasta equo descendit, equum in aperturam quandam glaciei detrudit, ibidem amiculum suum relinquit, ne omnino deferri posset, ad crepidinem glaciei affixum. Deinde ad antrum, postea Jarlshellim (antrum dynastæ) dictum, pertenderunt; hic aliquamdiu recubuerunt et dormiverunt. Cum experrecti somno essent, servus infit: nunc somniavi, domine! Dynastæ, quid somniasset, interroganti: visi mihi sumus, inquit, heic in antro constituti; vidi hominem magna statura, nigro torvoque vultu, ad antrum succedentem; metuentibus, ne antro subiret, visus mihi est ante ostium antri consistere, atque loqui: nunc Ullius mortuus est; deinde abiit et ad mon-

tes contendit, ego vero somno evigilavi. Dynasta ait: hoc somnio significari puto, interfectum esse Erlendum, filium meum. Karkus altera vice obdormivit, et ut ante insomniis agitatus est. Experrectum dynasta interrogavit: quid jam somniasti? Servus respondit: visus mihi idem ille vir est deorsum secundum latus montis rheda vehi, et ad antrum delatus alloqui me: dic dynastæ, jam freta omnia interclusa esse. Satrapa respondet: adeo vitæ nostræ non multum superesse significas.

Erlendi, filii Dynastæ, cædes.

Cap. 103. Post cædem Thoreris Klakkæ rex Olavus cum quinque longis navibus sinum ingressus est; cui obviam tetendit ex sinu interiore Erlendus, filius Hakonis dynastæ, tres[1] ducens naves; aër erat tranquillus, quare naves brevi inter se appropinquabant, utrisque invicem ex adverso remigantibus. Qui cum inter se brevi spatio abessent, Erlendus, hostes adventare ratus, naves ad littus direxit. Rex Olavus, naves longas ex interiore sinu ferri adversum se conspicatus, Hakonem dynastam adventare cogitavit. Deflectentes itaque cursu rex suos jussit incitatissimo remigio insequi; cum vero Erlendus ac sui pæne terram attigerant, naves in vada impulerunt, in mare desiliverunt, et nando in terram evadere conati sunt. Conantibus adlapsa supervenit navis Olavi regis, qui videns hominem eximiæ pulcritudinis natantem, arreptum gubernaculi clavum in hunc hominem misit, qui ictus caput Erlendi, filii Hakonis dynastæ, adeo tetigit, ut cranio ad cerebrum infracto, mortem oppeteret. Olavus ac sui multos ibi homines interfecerunt, parte copiarum fuga evadente, quos-

[1]) quatuor, B.

dam ceperunt et vita donarunt, et nova ex iis exquisiverunt. Comperit rex, hunc hominem, quem clavo gubernaculi interfecerat, Erlendum esse, Hakonis dynastæ filium: colonos Hakonem dynastam infesto agmine aggressos: eum ab his fugatum, copiasque ejus omnes dispersas. Hakon dynasta et Karkus haud diu in antro commorati, surrexerunt et ad villam Rimul iverunt. Dynasta Karkum ad Thoram misit, ut se clam conveniret; sic ea fecit, et dynastam, ut congressi sunt, amice salutavit. Dynasta eam alloquitur: an heic in villa tua latibulum aliquod nosti, ubi me paucarum noctium spatio, donec rustici copias dimittant, celare possis? Thora respondet: haud facile factu erit, te hic clam servare, nam inimici tui huc venient, et hanc villam quam diligentissime perscrutabuntur, omniaque vicina latibula; ideo vero hanc villam diligentius, quam quævis alia loca, perscrutabuntur, quod multi persuasum habebunt, me tibi, quantum potero, auxilii laturam; est tamen hac in villa unus locus, quo in loco principem, qualis tu es, haud facile quærerem, nempe suile; huc Thora eos deduxit. Tum dynasta: est hæc latebra commode et prudenter comparata, hic locum nobis parabimus; nunc vita primum servanda, potius quam curandum, ut deversorium splendidum sit. Tum servus ingentem specum fodere, terramque egerere coepit Considebant interea dynasta et Thora, et colloquebantur: ea dynastæ nova retulit, quæ nuper audiverat; Olavum Tryggvii filium in sinum advenisse, et Erlendum filium dynastæ interfecisse. Deinde Hakon dynasta cum Karko, servo, in specum descendit; quibus Thora cibi potusque quantum

satis esset, item lumen aliasque res necessarias, dedit; quo facto, specum lignis constravit, terramque et fimum superingessit, deinde porcos super compulit, qui fimum ita conculcarunt, ut nulla apparerent recentis operis vestigia. Post hæc Thora in villam regressa est, nemine, præter eam, sciente, dynastam ibi delitescere. Hoc suile saxo ingenti suberat.

Hakon dynasta ab Karko interfectus.

Cap. 104. Rustici, qui Hakonem dynastam insecuti fuerant, quum primum audiverunt, Olavum Tryggvii filium in regnum rediisse, eum convenientes summa comitate et benevolentia exceperunt, dicentes: exoptata nobis contigit fortuna, quod te convenire nobis licuit, quod idem tibi futurum speramus. Putavimus, commisso cum piratis Jomensibus prœlio, nullum dari principem, Hakoni dynastæ parem, tam ob eximiam in reportanda victoria fortunam, quam alias ob res virtutesque, principe viro dignas; quare omnis populus id unice agebat, ut imperium dynastæ confirmaret. Postquam vero malitia et flagitia ejus omnem exempli modum adeo excesserunt, ut ferri nullo modo possent, ita protervitatis ejus omnes cives nunc distæsum est, ut non modo eum regno exuere, sed et vita spoliare constituerimus, si eum consequemur; quod tua opera et fortuna successurum speramus, qui tanta usus sis fortuna in interficiendo Erlendo, filio ejus. Quare oramus, ut hujus factionis princeps esse velis, et ita te majori dignitati reserves; novimus enim, totum hujus regni populum maxime cupere, progeniei Haraldi Pulcricomi parere, quamvis non sit, qui te præstantia æquiparet. Horum oratione Olavus delectatus est. Deinde, juncta inter se societate, rustici Ola-

vum regem crearunt, et omnes ad quærendum Hakonem dynastam conspirarunt. Itaque in Gaulardalum contenderunt, quod vero simillimum putabant, dynastam Rimule esse, si modo in habitatos tractus se contulisset; hac enim in valle nemo dynastæ æque amicus erat, atque Thora. Venientes ad amnem Gaulam, pallium in glaciei apertura invenerunt, pauloque infra equum, in linguam quandam ejectum. Cum vero amiculum excutiebant, dixere quidam, dynastam in amne periisse, quare opus non esse, ut eum diutius quærerent. Tum vir quidam magno natu: non dolos dynastæ nostis, si eum in hoc amne interiisse creditis, neque intelligitis, eum hoc dolo fecisse, ut vos falleret. Rege, ita esse, confirmante, ceterisque omnibus comprobantibus, ire perseverarunt, donec ad villam Rimul pervenerunt; hic omnes ædes effregerunt, et dynastam intus forisque, uti conjecerat Thora, quæsiverunt, neque eum invenerunt. Tum rex Olavus, concione militum intra septum villæ advocata, in ingenti illo saxo, quod suili aderat, consistens, orationem habuit, et clara sonoraque voce pronuntiavit: notum omnibus est, nos Hakonem dynastam quæsivisse; quoniam vero eum nondum invenimus, sciant omnes, me digno præmio amplaque mercede eum remuneraturum, qui dynastam interfecerit. Deinde rex Olavus cum omnibus suis Rimule Hladas se contulit, ibique consedit. Hakon dynasta et servus in specu fuerunt, eaque, quæ loquebatur rex Olavus, probe perceperunt. Cum rex ac sui discesserant, servus dynastæ: magna vis et terror hujus hominis voci inest; in multis periculis et vitæ discriminibus constitutus fui, neque in

timidissimis habitus; nunc vero pavor, qualis ante nunquam, adeo cor meum corripuit, ut animus meus sollicitudine et timore terribilibus ejus verbis impleatur. Dynasta ad servum respiciens, cum videret, vultum et faciem ejus valde nigrescere, coloremque mutari, servo loquitur: quid nunc est? cur adeo pallidus es, subinde vero terræ instar niger? estne, ut me prodere velis? Karkus respondet: non est; illud vero tibi mirum videri non debet, me verba hujus hominis non minus metuere, quam tu. Dynasta ait: esse quidem potest, eo quod una die nati sumus, et parvum quoque inter meam tuamque mortem temporis intervallum erit. Nocte oborta, ambo una cœnarunt, et ex uno vase biberunt. Hac nocte dynasta somno abstinuit, quod servo male credidit, Karkus vero, alto diutinoque somno oppressus, tandem evigilavit, dynastamque vigilem sensit. Karkus loquitur: iterum somniavi, domine! visi mihi nos ambo sumus una vehi nave, quam ego gubernarem. Dynasta: ergo vitæ nostrum utriusque arbiter eris; at tu mihi fidus sis, ut esse debes, cujus, cum alia venient tempora, fructum a me feres. Karkus iterum obdormivit et insomniis inquietatus est; experrectum vero dynasta, quid somniasset, interrogavit. Ille respondet: Hladis nunc fui, ubi Olavus Tryggvii filius collum meum torque aurea circumdedit, et præterea me magno equo donavit. Dynasta respondit: scilicet Olavus sanguineo circulo collum tuum circumdabit, si ad eum venies; ita tibi cave, quasi te decollaturus sit, neque vero absimile est, eum te deinde contumeliæ ergo suspensurum, et ita tibi equum[1]

[1]) Patibulum enim poëtice dicitur *hestr Hagbarðs* et *hestr Sigars*, cfr. Sn. Edd. p. 192.

donaturum; si vero tuam in me fidem non prodis, bene, ut ante, de me merebis. Deinde ambo vigilabant, ut si neuter alteri crederet. Dynasta autem, sub lucem obdormiscens, mox insomniis agitatus, horrendum clamavit, et calcibus et occipite niti cœpit, ut si consurgere vellet. Qua re servus, horrore et timore[1] correptus, cultrum ingentem et acutum ex cingulo suo depromsit, eoque trajectum dynastæ guttur dissecat; hoc modo Hakon dynasta mortem obiit. Deinde Karkus caput dynastæ præcisum abstulit secum, cursuque Hladas contendit, quo postridie perveniens, regi Olavo caput dynastæ tradit, omniaque de itinere eorum, uti ante commemoratum est, exponit. Tum rex Olavus infit: quam ob causam fidem erga dynastam fefellisti? Karkus respondet: interfeci dynastam maxime propter splendida promissa, quæ pollicitus es, si quis eum interficeret, tum etiam, quod fere nesciebam, quid in terribilibus illis turbis, quas dynasta inter dormiendum excitabat, agerem. Rex contra: præstabo, quæ ea de re pollicitus sum, ut dignum referas laboris præmium, superstitesque deterrebo, ne dominos dolo opprimant; etsi tuus herus malus esset, nihilominus dominus tuus fuit, atque bene de te meritus, neque tu, si bono usus fuisses, hunc minus fefellisses. Deinde rex eum educi, caputque præcidi jussit. Tum, sumtis Hakonis dynastæ et Karki capitibus, rex Olavus magnaque cum eo rusticorum multitudo ad Nidarholmum[2] trajecit, in qua insula fures et malefici interfici solebant, ibique arbor stetit; huc rex capita adferri et in

[1]) *Felmsfullr af hræðslu*, sic F, *ok* pro *af*, A, quod præferendum puto. [2]) *Niðaróss ok Hólms*, B; sc. Nidarosum se contulit indeque in insulam trajecit.

arbore suspendi jussit; quo facto, omnis multitudo accedens, conclamavit et in caput dynastæ lapides ingessit, sceleratum cum aliis sceleratis ire jubentes. Post ea in Gaulardalum missi corpus dynastæ ex specu extraxerunt, abstractumque concremarunt; atque tam unanimi consensu Thrandi odium, quo Hakonem dynastam persequebantur, testificati sunt, ut nemini liceret, alio eum nomine appellare, quam mali dynastæ; quæ appellatio per totum Thrandheimum, multisque aliis in locis, tam intra quam extra Norvegiam, invaluit. Id vero de Hakone dynasta merito prædicari potest, quod principis dignitatem multis nominibus meruit; fuit enim per omnia majorum stemmata amplo genere ortus, prudentia insigni, modo recte usus fuisset, regendæ rei publicæ apprime gnarus, in prœliis acer et strenuus, fortunaque sæpe usus est in reportanda ex inimicis victoria; sic dicit Thorleifus Raudfeldi filius:

Nullum te, Hakon! novimus
præstantiorem satrapam sub lunæ
curriculo; pugna maritima
evectus prœliator est ad gloriam[1].

Fuit Hakon dynasta in suos liberalis, et per longum tempus apud cives gratiosus. Talis vero tantusque vir fato usus est infelicissimo, quod quidem alia ex parte minime mirum fuit;

[1]) Ordo: *Hâkon a)! vitum b) hvergi þèr c) fremra d) jarl und mâna e) ferli; fólk-runnr f) hefir hafizt af ránar g) gunni,* Abest in S; extat in Ilkr. O. Tr. S. C. 56; in Sk, I, p 246.

a) Hâkoni, quam Hakonem, B, F, Sk; tum legendum *þar*, pro *þèr*. *b) vèr*, add. F, Sk. *c) þar*, B, C. *d) fyrir meira*, Sk. *e) manna*, Sk, perp. *f)* sic F, Ilkr, Sk; *runn*, A, B, C, quod hoc ordine procedit: *Hâkon! vitum hvergi þèr fremra fólk-runn und m. f.*; *jarl hefir hafizt*, etc. *g) runnar*, Sk, perp.

erat enim Hakon dynasta omni tempore subdolus, infidus et fallax, tam amicis, quam inimicis, acerrimus veræ religionis hostis, et sacrificiorum cultor; quippe aderat tempus, ab omnipotente deo præstitutum, quo cultus sacrificalis, religio ethnica, et malus iste inimici minister, Hakon dynasta, condemnaretur, eorum vero in locum sancta religio succederet, rectique mores per terras boreales pulcre florerent, benevolo studio adjuvante hoc benedicto dei domini nuntio, Olavo Tryggvii filio. Hakon dynasta, quando interfectus est, annis triginta tribus dynasta fuerat, ex quo Sigurdus dynasta, pater ejus, decessit; idem, cum pater suus moreretur, viginti quinque annorum erat; nunc vero, cum interfectus est, quinquaginta octo annos compleverat.

Olavus Tryggvii filius rex Norvegiæ creatus.

Cap. 105. Proxime post necem Hakonis dynastæ rex Olavus Hladis se continebat. Ubi vero vulgo compertum est, Hakonem dynastam interfectum esse, et Olavum Tryggvii filium in ejus locum successisse, omnes viri auctoritate et potentia conspicui, ex communi Thrandorum, item multi alii homines, eum convenerunt, unanimi consensu rogantes, ut rex sibi præesse vellet, eique operam suam et voluntarium obsequium obtulerunt, docentes, se hoc rerum statu, qui nuper inciderit, esse sine principe non posse; addentes, quod verum erat, durissima quævis sibi ab dynastis, Eiriko et Sveine, expectanda, propter tumultum, quem adversus Hakonem dynastam, patrem eorum, excitavissent. Oratio eorum Olavo bene placuit. Itaque communi eorum consilio comitia octo provinciarum in Thrandheimo indicta sunt, quo magna hominum multitudo ex toto

Thrandorum communi convenit. Constitutis autem comitiis, Olavus surrexit, silentioque postulato ita verba fecit: omnibus, qui huc convenerunt, notum est, credo, Haraldum Pulcricomum longo tempore totam Norvegiam singulari potesta e tenuisse, partim sine labore[1] sibi subjectam, partim armis occupatam; lege sanxit, ut quisquis nepotum suorum, qui per mares genus ad se referret, rex esset, et in regnum patris mortui succederet. Cum vero regi Haraldo multi essent filii, regnum inter eos, prout i convenientissimum visum est, divisit, simulque constituit, ut unus tantum esset supremus rex, etsi ea dignitas ad plures nomine generis pertineret. Quoniam autem hic populus principe caret, diuque injusta potestate et dominatu oppressus fuit, precibus inductus multorum optimatum, me vobis regem offero, si mihi subjecti esse vultis. Neque desunt res, quæ societatem nostram haud inconvenientem faciant, ut alteri alteros ad rectam ineundam rationem fulciamus et confirmemus: nempe in magnas difficultates incidistis, qui, ob necem Hakonis dynastæ, filiorum ejus, aliorumque cognatorum et amicorum, furori obnoxii sitis; ab his enim vobis iniquissimæ conditiones metuendæ sunt, si nullius principis auxilio nitimini, ut modo coram me commemorastis; mihi vero, altera ex parte, cum magnis conflictandum est difficultatibus, qui tamdiu jure meo fuerim defraudatus; longo enim tempore hoc in regno de summa imperii vi certatum est, diutina injuriæ et invidiæ consuetudine: primo cum Eirikus Sangui-

[1]) e. gr. provinciam Naumdalensem, quam sine prœlio accepit, et ditiones a patre traditas; sed pro *með náðum*, C legit *at erfðum*, jure hæreditatis.

securis Olavum, avum meum paternum, compluresque alios fratres suos interficeret, quod avaritia unus eorum regna possidere voluit; deinde regnum accepit Hakon Adalsteinis alumnus, qui cognatis suis, qui adversus eum vi non insurgerent, jure suo uti permisit; hic Tryggvium, patrem meum, regno, quod pater ejus tenuerat, præfecit, et regio nomine donavit; quod regnum tenuit, dum rex Hakon, patruelis ejus, vixit, intima inter eos manente amicitia. Postquam vero Eiriki filii regnum acceperant, consilio matris Gunnhildæ, regem Tryggvium, patrem meum, per fidem circumventum interfecerunt, me nondum in lucem edito. Eadem Gunnhilda astutiis suis edito mihi in lucem multos laqueos tetendit, ut me caperet et vita privaret. Prima hieme cum matre Astrida Ofrostadis clam apud Eirikum, patrem ejus, fui; qui cum nos diutius hac in terra, propter insidias et dolos Gunnhildæ, tueri desperaret, mater mea humiliore apparatu mecum clam in Svioniam aufugit, ubi duos annos apud Hakonem Grandævum in exilio fuimus, atque tum Gunnhilda me per legatos suos dolo comprehendisset, nisi vir bonus, Hakon Grandævus, ob amicitiam cum Eiriko, avo meo materno, me potentia et auctoritate ab inquisitoribus defendisset. Deinde ego, tres annos natus, ac mater, ex Svionia nave vecti, orientem versus in Gardarikiam ad Sigurdum, fratrem ejus, trajicere constituimus; in hoc itinere in piratas incidentes, capti et in servitutem venundati sumus, parte comitatus nostri interfecta; hic a matre sejunctus sum, quam deinde nunquam vidi; tum, ut alia mancipia[1], pretio venditus sum. Hac in servitute sex annos in Esthonia fui, donec

[1]) *mansals menn*, sic B; *manns menn* (rect. *mans-menn*), A.

me Sigurdus, avunculus meus, inde redimeret, et secum orientem versus in Gardarikiam duceret, novem annos natum. Alios novem annos Gardis fui, etiam in exilio, etsi bonorum principum humanitate bene habitus essem. Deinde tres annos in Vindlandia versatus sum; quatuor vero annis in terris occidentalibus piraticam exercui. Hoc omni tempore, ut facile intelligi potest, marinas adspergines et labores pertuli, ea sola usus libertate, qua inter exteras ignotasque nationes uti licuit, nihil fere habens, quo copias sustentarem, nisi quod meæ meorumque vitæ periculo comparavi, de majori etiam re periclitatus, de quo commemorare, hujus loci non est; multos enim innocentes homines bonis, quosdam vero vita, qui piratarum mos est, spoliavimus. Possessiones autem meas, et regnum a majoribus relictum, occupata tenuerunt homines haud sane digni, qui vitæ meæ cognatorumque meorum multiplicibus astutiis insidiati sunt, sicut Gunnhilda Regum-genetrix et filii ejus, qui, si non plura concupivissent, quam quæ jure ad eos pertinebant, generis quidem habita ratione, jus regiæ dignitatis habuerunt. Generis ratione habita æquum fuit, uti hic princeps, qui proxime huic regno præfuit, Hakon dynasta, paternam hæreditatem retinuisset, titulumque et commoda dynastæ, justi Norvegici regis nomine, tenuisset; illud autem contra æquum jusque fuit, quod toti fere Norvegiæ unus imperavit, regibus, quibus parere debuerat, partim armis, partim dolo interfectis; quam ego fortunam expertus fuissem, si malevola ejus consilia ad effectum pervenissent; misit enim occidentem versus Thorerem Klakkam, qui me, dolo ab occidente tractum, in potestatem dynastæ traderet, alioquin vero me interficeret, quod

nonnulli ex his, qui his in comitiis sunt, noverunt. Jam spero, neminem hac in terra esse, ad quem, natalium habita ratione, jus regiæ dignitatis, secundum justum legis tenorem, tam prope pertineat, quam ad me, si accedat voluntas principum populique consensus. Sic Olavus finem dicendi fecit, ut omnes dolerent, quod tamdiu miserias et exilium perpessus esset. Tum exsilire vulgus populique multitudo, et nihil aliud velle, quam, ut Olavus Tryggvii filius rex esset. Quare Olavus Tryggvii filius in his comitiis universalibus rex creatus est totius regni, quantum Haraldus Pulcricomus tenuerat; eidem ex priscis legibus regnum adjudicatum est, spondentibus rusticis, se ei copias tradituros, quibus regnum recuperaret, recuperatumque obtineret, rege vicissim leges et jura spondente, seque eos defensurum ab injuriis et vexatione filiorum Hakonis, omniumque aliorum, qui necem dynastæ vindicare vellent. Cujus rei meminit Thordus Kolbeinis filius in Eirikiade (encomio Eiriki):

Nocentium fugator maleficorum!
paulo post fatum humanum
Hakonem vita spoliavit;
sors hominum impellit ad multa.
Verum, cum fortis exercitus iret
ab occidente, advenisse credo
filium Tryggvii ad regionem, quam
columen scuti prœlio subtegerat [1].

1) Ordo: *Rennir a) mein b) – varga α)! litlu síðar brá ljóða læ β) æfi Hákonar; manna sköp fýsa margs c). En, þá er hraustr herr d) fór vestan, hygg ek son Tryggva komu e) til þess lands, er lindar láðstafr γ) hafði vegit f).* Abest in S; extat in Hkr. O. Tr. S., C. 57, et in Sk. II, p. 4.

a) sic F, Hkr; *remmir*, A, metro adversante, salvo tamen sensu; nam *meinremmir varga*, est is, qui malum auget, infert

De morte Albani et Sunnevæ[1].

Cap. 106. Ætate Hakonis dynastæ rex quidam Irlandiæ (Hiberniæ) mortuus est; is filiam reliquit, nomine Sunnevam, prima jam ætate prudentem, et religione christjana, quæ jamdudum in Irlandia introducta fuerat, bene institutam. Fuit Sunneva eximiæ pulcritudinis, annisque matura, cum hæ res acciderunt, atque, patre mortuo, regnum sub procuratione amplorum propinquorum et amicorum administravit; quæ cum amplo regno præesset, ipsaque formæ venustate excelleret, paganus quidam pirata ejus nuptias petere instituit. Sunneva viro pagano eo minus nubere voluit, quod apud animum statuerat, unum deum castimonia colere, neque mortalium ulli nubere. Cum vero pirata, Sunnevam ad matrimonium secum ineundum coacturus, regnum ejus armis infestare, resque multis modis affligere, inciperet, Sunneva, suis in concilium convocatis, ubi propinqui et amici eo convenerant, ita fata est: convocavi vos, carissimi amici! ut vobiscum de regno communicarem, quod aliquamdiu cum vobis una administravi. Cum enim injuria et vexatione improborum hominum cœpta sim premi, uti solent, qui hujus brevis vitæ instabiles sec-

scelestis; *lèttir*, Sk, etiam contra metrum, sc. exhilarator noxiorum luporum, prœliator. *b*) *men*, Sk. *c*) *margfýsa*, Sk; *margfüsa*, B, C, F. *d*) *herra*, dominus, Sk. *e*) *kvœmi*, Hkr, Sk; *komi* (i. e. *kœmi*), B; de forma *komu*, vide supra C. 70, str. 1. *f*) *vegar*, B.

α) alloquitur poëta Eirikum satrapam. β) *lœ*, fatum, a *leggja*, decernere, forma tantum diversum a *lag*; sic in pronuntiatione vulgari commutantur *frag* et *frœ*, semen, *sag* et *sœ*, ramentum serræ; *lœ*, neutrius generis esse, ostendit Edda; *laung eru lýða lœ*. γ) i. e. Hakon, pater Eiriki; *lind*, tilia, it. hasta; *lindar lúð*, solum hastæ, clypeus; ejus *staſr*, pugnator.

[1]) Vide Script. rer. Dan. Tom. 4, pag. 1–22.

tantur delicias, ideo hujus miselli regni, quod præ æterna beatitudine nihili est, ancillares curas et negotia deponere statui, meque ipsam, uti nobili loco natam decet, in libertatem vindicare, et potestati fideique domini mei, Jesu Christi, committere; quod idem facient, quicunque me sequi volent; omnibus tamen liberum integrumque sit, in patria remanere, etsi ipsa discedam. Tantum autem Sunneva apud omnes gratia valebat, ut magnus hominum numerus, et viri et feminæ, eam, patria relicta, sequi cuperent. Post ea naves Sunneva comparat, magnaque multitudo cum ea se itineri accingit. Parati naves solvunt, ita instructas, ut velo et remis, gubernaculo et armamentis carerent, ipsi quoque telis et armis destituti; qua re Sunneva testificata est, se magis omnipotentia dei omnitenentis, quam ductu auxiliove humano fretam, hoc iter susçepisse; sese et omnes comites vivo deo commendavit, rogans, ut viam monstraret, et, quo placuisset, cursum dirigeret. Deinde per maria ultro citroque jactati, tandem, deo juvante, ad insulas Norvegiæ, meridiem versus ab Stado sitas, quarum altera Selja, altera Kinna appellatur, appulerunt. Hæ insulæ ab incolis erant vacuæ, ibi vero, ut in insulis remotioribus fere usu venit, pecora incolarum continentis pascebantur, nam pars continentis, exadversum insulas versus interiora, frequentes pagos habebat. Sunneva in Seljam egressa est, et suorum quotquot eo loci appulerant. Erat mons in occidentali insula altissimus, antris rupibusque maximis; heic, loco ad manendum parato, antra incoluerunt, in quibus longo tempore commorati deum insigni pietate et multiplici continentia coluerunt, piscibus ex lacubus captis vitam sustentantes.

Ut vero incolæ continentis animadverterunt, insulas ab hominibus occupatas, arbitrati, prædones esse, pecora sua abacturos, Hakonem dynastam adierunt, querentes, magnam multitudinem maleficorum et exulum in insulis Selja et Kinna esse, qui continentis incolarum pecoribus magnum detrimentum afferant; quare se ab eo petere, ut magna cum manu profectus, prædones, qui in insulis sint, opprimat. Horum precibus inductus dynasta, magnis cum copiis, quasi ad prœlium instructis, in insulas contendit. Homines vero deo cari, qui in insulis erant, hostes advenientes conspicati, cum se peti arbitrarentur, antra sua introgressi ab omnipotente deo petiverunt, ut animabus suis æternam Paradisi felicitatis quietem, quacunque tandem morte periissent, concederet, sibique pro sua clementia et benignitate sepulturam prospiceret, ne mali pagani funeribus suis potirentur. Optatis eorum ita satisfecit deus omnipotens, ut hi deo sacri homines tali modo vitam finirent, ut ingentes delapsæ rupes ostia antrorum, in quibus erant, præcluderent, sic præmium æternæ beatitatis pro temporalibus bonis operibus consecuti. Pagani autem, in insulas delati, cum homines quærerent, mirati sunt, quod non invenerunt, quos, paulo ante suum in insulas adventum vidissent; qua re sic gesta reverterunt.

Thordi ad insulam seljam pervenerunt.

Cap. 107. Post aliquanto, mortuo Hakone dynasta, cum Olavus Tryggvii filius regnum adiisset, accidit, ut duo potentes coloni[1] cum aliquot viris, nave vecti, ab meridie ex Fjördis in Thrandheimum ad Hakonem dynastam pro-

[1]) Alter Thordus Egilevæ filius, alter vero Thordus Jorunnæ filius, add. F.

ficisci cogitarent; nondum enim mutatio principum ad aures eorum pervenerat. Prope Seljam prætervecti[1], (publico enim cursui adjacet), cum animadverterent, splendidum et pulcrum lumen ex cœlo in mare prope insulam ferri, cujus fulgor ad terram pertinebat, spectaculi miraculo capti, navem ad terram appulerunt, soli naturam scrutaturi, quo loco hic radius splendebat. Egressi in insulam, prope a mari, eo ipso loco, ubi lumen conspexerant, caput humanum invenerunt, nitore et gratia conspicuum; cum vero præterea suavem sentirent odorem, qualem nunquam antea animadverterant, etsi, pagani cum essent, non intelligerent, quid sibi vellet odor ille eximius, rei insolentia permoti, caput reverenter sustulerunt, puro panno involverunt et secum abstulerunt, ut ad Hakonem dynastam deferrent, quem sapientia sua, quid hoc portenderet, intellecturum putabant. Deinde iter persequentes, cum boream versus Stadum prætervecti essent, acceperunt, Hakonem dynastam interfectum esse, ejus vero loco imperium suscepisse egregium regem, Olavum Tryggvii filium; illi nihilo secius perseverarunt, hunc novum regem conventuri, cujus bonitatem et magnificentiam magnopere prædicari cognoverunt. Itaque itinere non prius destiterunt, quam boream versus Hladas ad regem Olavum pervenissent, qui eos magna comitate excepit, simulac novit, quinam essent. Mox illis sanctam fidem annunciare cœpit, et petere, ut baptismo initiari sinerent: quod si jussu meo facitis, ait rex, me amicissimo invicem utemini; illi, rem haud detrectantes, significant, se officium suum ei lubenter delaturos. Cum ali-

[1]) et in Ulfssunda (freta Ulfi) pervenientes, add. F.

quamdiu essent collocuti, rex de rebus novis ex australibus regni partibus quæsivit; ad quæ singula cum respondissent, regi omnia de itineribus suis exposuerunt, eique caput, in insula Selja repertum, ostenderunt. Episcopus aulicus regis Olavi, quem ab Anglia secum advexerat, dictus est Sigurdus, cognomine Potens, vir sapiens, benevolus, et insignis clericus. Cum vero rex et episcopus caput vidissent, hoc vere sancti hominis caput esse testati sunt. Tum rex hos homines, qui id invenerant, iterum ad religionem veram amplectendam hortari cœpit, his verbis: boni et vera religione imbuti homines magna perfundi debent voluptate et gaudio, benignitatem dei omnipotentis animo perpendentes, etsi neque oculus videre, neque auris audire, neque animus ullius hominis cogitare queat, quam eximiis præmiis dominus noster cultores suos pro temporalibus laboribus remuneret; verum eo fine magna ejus clementia vobis hoc miraculum ostendit, ut ab idolorum vanitate ad veram fidem et sacrum baptismum sponte eo celerius converteremini, quo evidentius omnibus cogitantibus sit, excelsum cœlorum regem permagna gloria animas suorum amicissimorum in cœlestis regni gaudio beaturum, qui eorum exanimos siccatos artus tam egregium odorem exspirare faciat, qualem omnes fragrantes herbæ exspirare non possint. Hi boni homines oratione regis adeo permoti sunt, ut statim affirmarent, se in verum deum credituros; tum unacum comitibus baptizati sunt. Deinde rex invitatos ad se, splendidissimo convivio excepit, dum in albis essent, et sacris disciplinis imbuendos curavit. Deinde amplis muneribus et amicitia regis donati, austrum versus domum ad prædia sua reversi sunt. Rex autem et episcopus sanc-

tum illud caput servaverunt, usque eo donec rex Olavus conventum in Stado in Dragsheida haberet, qumadmodum infra dicetur. Post hunc conventum rex ex viris, qui proxime Seljam habitabant, sciscitatus, ecquid novi animadvertissent, audit, eo loco splendidum lumen sæpe conspici. Deinde rex et episcopus frequentes in Seljam trajecerunt; ubi vero ad rupes in insula occidentali processerant, intellexerunt, vasta eo loco antra fuisse, et haud multis ante annis corruisse; hoc loco et ubique saxis interspersa repererunt ossa humana suavissimi odoris; tandem eo pervenerunt, quo loco rupes nuper ab ostio antri dissiliverat; heic corpus sanctæ virginis Sunnevæ integrum et incolume repererunt, carne comaque illæsa, ut si nuperrime mortua esset; sanctas reliquias sustulerunt, et honorifice composuerunt magno cum gaudio, deumque solenniter concelebrantes. Deinde insula incolis frequentata, ibidemque templa exstructa sunt, et in hac insula sanctæ reliquiæ beatæ Sunnevæ cultæ fuerunt, donec ejus benedictum funus meridiem versus Björgynam (Bergas) transportatum est, ubi nunc magno et eximio scrinio inclusum super celso altari in æde Christi quiescit.

De Albano, fratre Sunnevæ.

Cap. 108. Rex Olavus deo omnipotenti indesinenter gratias egit, in primis quod excelsa sua benignitate dignatus esset ipsius ætate, gloriam suæ ministræ Sunnevæ, ejusque excelsi comitatus, illustrare; nam omnium sapientium virorum animi amore in deum omnipotentem et obedientia erga regem accendebantur, ex quo talibus miraculis evidenter confirmari intellexerunt, veram esse religionem ab rege Olavo an-

nuntiatam, eumque solum regnare, qui vivo deo serviat. Scriptum reperitur, fratrem Sunnevæ, Albanum dictum, in hoc sanctorum numero fuisse, et unacum Sunneva mare occidentale trajecisse; quod cum dubium esse videatur, heic loci de eo non commemoratur; dicunt enim, qui in Selja fuerunt, eorumque locorum periti sunt, magnam ibi esse ædem, Albano, dei martyri, sacram, qui primus pro dei nomine cruciatus est; iidem dicunt, ibi solenni religione coli caput sancti Albani, qui in Anglia necatus sit. Ad ædem, huic Albano dicatam, monasterium est nigrorum monachorum; in hac æde multa sunt scrinia, magna et parva, quæ ad servandas sanctas reliquias bonorum illorum hominum, qui in comitatu Sunnevæ fuerunt, fabricata sunt; ædes autem Sunnevæ sita est in monte prope monasterium. In antro, ubi corpus beatæ Sunnevæ repertum est, aqua e rupe salire, indeque exiguus rivus emanare, dicitur, multique ægroti, qui ex eo bibunt, sanitatem recuperant. Festum dei virginis, Sunnevæ, ejusque beatæ cohortis, celebratur ab Nordmannis die octavo Idus Julias, quod vocamus festum Seljumannorum (Seljanorum). In Selja, domino nostro, Jesu Christo, operante, multa fiunt miracula ob merita horum ejus sanctorum hominum, qui ibi in æternum coluntur[1].

Fratres Eirikus et Svein e regno profugiunt.

Cap. 109. Rex Olavus, eadem hieme, postquam rex in Thrandheimo creatus est, per regnum profectus est, idque sibi subjecit; hic in quovis legitimo conventu rex creatus est, omnesque Norvegi ejus imperio se submisere; etiam principes

[1]) *dyrðkaðir*, sic B; *eignaðir*, A, quod sine dubio debet esse *tignaðir*.

qui Danorum regis nomine provincias in Upplandis, aut ad orientem in Vika, tenuerant, regi Olavo se subjecerunt, et provincias ejus nomine administrarunt, sic rex prima hieme sequentique æstate regnum peragravit. Dynasta Eirikus, Hakonis filius, et Svein, frater ejus, ceterique eorum propinqui et amici, e regno profugi, orientem versus in Svioniam ad Olavum, Svionum regem, pertenderunt, ibique liberaliter excepti sunt; sic dicit Thordus Kolbeinis filius:

Eirikus plura in animo
agitavit, quam aperiret
divitiarum largitori,
quod ab illo erat exspectandum.
Thrandicus Satrapes, incensus ira,
Svecicum regem adiit consulturus;
ideo nullus virorum aufugit;
Thrandos incessit pervicacia[1].

Islandia ab Nordmannis inventa.

Cap. 110. Sic memorat sanctus Beda sacerdos in annalibus, quos de descriptione mundi regionum conscripsit, insulam, Thulen in libris (historicis) appellatam, tantum ad plagam mundi borealem vergere, ut ibi hieme, cum longissima nox est, dies non oriatur, neque æstate nox, cum dies longissimus est. Ideo periti viri putant, Islandiam Thulen appellari, quod ea in terra multa sunt loca, in quibus sol noctu

[1]) Ordo: *Eiríkr hafði meira í hug sèr, enn upp of kvæði við auðs særi a): slíks var vân at hânum. þrænskr jarl b) sótti reiðr Sænskan c) gram d) at ráðum; því e) rann engi manna; þrændum gafst f) þrályndi g).* Abest in S; extat in Hkr. O. Tr. S. C. 57, et in Sk. II, p. 10.

a) særis, Sk. *b) þrænskir j.*, Sk, perp. *c) Svænskan*, id., B. *d) konúng*, id., C, F, Hkr.; *kóng*, Sk. *e) þar*, ibi, Sk. *f) fèkkst*, id., Hkr. *g) þriflyndr*, Sk.

non occidat, cum dies longissimus est; ibidem multa sunt loca, ubi sol interdiu non appareat, cum nox longissima est. Sanctus vero Beda sacerdos mortuus est anno ab incarnatione domini nostri, Jesu Christi, septingentesimo trigesimo quinto, centum amplius annis ante Islandiam ab Nordmannis occupatam. Antequam vero Islandia ex Norvegia inhabitari cœpit, ibi homines fuisse dicuntur, ab Nordmannis Papii dicti, homines christjani; nam relicti ab iis reperti sunt libri Irici (Hibernici), sistra et litui, compluresque res aliæ; unde intelligi potuit, christjanos fuisse, et ab occidente per mare advectos; libri quoque Anglici indicant, eo tempore navigationes inter has terras increbuisse.

Cap. 111. Quo tempore Islandia inveniebatur et inhabitabatur, Adrianus pontifex in urbe Roma fuit, et post eum Johannes, ejus nominis quintus, sedem apostolicam tenuit; sed Lödver Lödveris filius imperator a boreali parte montis (Alpium); Leo vero, et Alexander, filius[1] ejus, Miklagardi (Megalopoli, i. e. Constantinopoli) imperabant. Tum Haraldus Pulcricomus rex erat Norvegiæ, Eiricus vero Eymundi filius, et filius ejus Björn, in Svionia; Gormus Grandævus in Dania; Elfradus Potens, et Eatvardus filius ejus, in Anglia; Kjarval Dublini in Irlandia, dynasta vero Sigurdus Potens, frater Rögnvaldi Mæriarum dynastæ, in Orkneyis.

Cap. 112. Periti viri dicunt, ab Stado Norvegiæ septem dierum navigationem esse versus occidentem usque ad Hornum orientalis Islandiæ; sed ab Snæfellsneso, qua brevissimus cursus est, quatuor dierum navigationem occidentem versus in Grænlandiam. Si vero Björgyna ad Hvarfum Grænlandiæ navigatur, duodecim

[1]) *synir*, quod in textu est, legendum videtur *sonr*.

milliaria versus meridiem ab Islandia cursus distare dicitur. Ab Reykjaneso australis Islandiæ est quinque dierum cursus versus meridiem ad Jölduhlaupum in Irlandia; sed ab Langaneso Islandiæ borealis quatuor dierum cursus versus septemtrionem ad Svalbardum in Hafsbotnis.

De occupatoribus Islandiæ.

Cap. 113. Relatum est, quibusdam e Norvegia cursus in Færeyas fuisse, quem nonnulli piratam, Naddoddum dictum, nominant. Hi longe versus occidentem per oceanum jactati, magnam terram invenerunt, ad cujus partem orientalem appulsa nave, altum quendam montem conscenderunt, et late circumspexerunt, si quos fumos, aut inhabitatæ terræ signa viderent, nihil tale animadvertentes. Proxime sequenti autumno in Færeyas reverterunt; ante vero, quam a terra navigarent, magna vis nivis in montes decidit, qua de causa terram Snjolandum (terram nivosam) appellaverunt, eamque magnopere laudaverunt. Locus, ubi appulerant, nunc Reidarfjördus[1] in Austfjördis dicitur; sic refert sacerdos Sæmundus Polyhistor.

Cap. 114. Vir fuit nomine Gardar, Svafaris filius, gente Svecus; is, matre præsaga et Oddo viam monstrantibus, Snjolandum quæsitum profectus est, et ab oriente Horni orientalis, ubi tum commodus fuit portus, ad terram appulit. Gardar terram circumnavigavit, et inde insulam esse intellexit. Veniens in sinum, qui postea Skjalfandus[2] dictus est, ab orientali sinus latere navem in portum constituit, ibi hiemavit et ædes exstruxit; quare ei loco nomen Husavika (sinus ædium) adhæsit. Vere proximo,

1) sic B; hæ vero voces in A non conspiciuntur. 2) Sic B, C; *Aspandi*, A.

cum oceano paratus esset, scapha, in qua vir, nomine Nattfarius, et cum eo servus et ancilla erant, abrupto fune a nave ejus depulsa, ad terram ab occidentali sinus parte delata est; hi loco, exinde Nattfaravika dicto, habitarunt[1]. Tum Gardar in Norvegiam reversus est, et terram, quam invenerat, magnopere laudavit, quæ tum Gardarsholmus (insula Gardaris) appellata est. Eo tempore, quod terræ inter montes et littora interjacuit, sylva fuit. Gardar fuit pater Unii, patris Hroaris, antistitis Tungensis.

Cap. 115. Flokius, Vigerdæ filius, nomen fuit piratæ celebri; is ad quærendum Gardarsholmum proficiscens, e loco, ubi Flokavardius (meta Flokii) appellatur, in confiniis Rogalandi et Hördalandi, solvit; primum Hjaltlandiam adiit, ibique in Flokavago ad ancoras stetit; hic Geirhilda, filia ejus, in Geirhildarvatne (lacu Geirhildæ) submersa periit. Eadem qua Flokius nave vehebatur colonus Norvegus, nomine Herjolvus, item alter, nomine Thorolvus; ibi quoque fuit vir ex Sudreyis oriundus, nomine Faxius, qui tres corvos in alium secum vexit; horum primus dimissus, retro ad puppim revolavit; secundus, cum sursum evolasset, navem repetiit; tertius de prora provolavit eo versum, ubi terram invenerunt. Ex oriente Hornis advecti, australe terræ latus præternavigarunt; cum vero occidentem versus Reykjanesum prætervectis, patefacto sinu, Snæfellsnesum in conspectum caderet, Faxius: magna certe terra, inquit, est, quam invenimus, hic (enim) magna sunt flumina. Tum flumen viderunt magno capite in oceanum influens, qui deinde Faxaosus (ostium Faxii) appellatur. Flokius ac sui, occidentem versus, trajecto Breidafjördo, ad terram appule-

[1]) De Nattfario pauca adfert Reikdæla Cap. 1.

runt in sinu ad Bardastrandam, qui Vatnsfjördus nominatur; qui sinus, cum piscibus abundaret, piscandi studio fenum comparare neglexeruut, quo factum est, ut omnes eorum pecudes hieme perirent. Ver frigidius fuit. Tum Flokius, alto monte conscenso, a septemtrione montanorum sinum vidit glacie oceani repletum; quam ob rem terram vocarunt Islandiam (terram glaciei), quo nomine exinde appellata est. Flokius cum suis hac æstate remeare cogitavit; ante hiemem vero haud multo parati cum vela dedissent, obnitente vento, Reykjanesum superare non potuerunt; tum scapha, in qua Herjolvus erat, fune abrupto a nave depulsa, quo loco nunc Herjolvshavnia (portus Herjolvi)[1] dicitur, ad terram appulsa est. Flokius hiemem in Borgarfjördo transegit, et Herjolvum convenit; sequenti æstate in Norvegiam navigarunt. Qui, cum de conditione terræ quærerentur, Flokius male de ea questus est, Herjolvus tam commoda terræ, quam incommoda, attulit; Thorolvus vero terram tanta laude extulit, ut butyrum quovis gramine stillare assereret, quare Thorolvus Smjör (butyrum) cognominatus est.

Cap. 116. Björnolvus nominatus est vir, item alter Hroaldus, Hromundo Grípi filio nati, qui ab Thelamarkia ob cædes profugi, sedes in Dalsfjördo Fjalis ad sinum Sognicum fixerunt. Filio Björnolvi nomen erat Örn; Örn duo habuit liberos, filium nomine Ingolvum, filiam Helgam, forma eximia. Hroaldo filius erat, nomine Hrodmar. Filius Hrodmaris dictus est Leivus. Ingolvus et Leivus una educati, mutuæ amicitiæ se devoverant. Eodem tempore Atlius Tener, dynasta, Gaulis erat; hujus filii fuerunt Hastein, Herstein, Holmstein.

[1]) Herjolvshöfdius (promontorium Herjolvi), C.

Fratres jurati, Ingolvus et Leivus, societatem cum filiis Atlii inierunt, et sic omnes conjunctim in piraticam excucurrerunt, et proximo autumno præda onusti domum redierunt; præda familiariter divisa, amicissime digredientes, societatem expeditionis in sequentem æstatem condixerunt. Proxima vero hieme fratres jurati filios dynastæ convivio exceperunt, in quo convivio Holmstein votum vovit, se Helgam Örnis filiam, neque aliam ullam, uxorem ducturum. Hoc votum alios quidem parum movit, Leivus vero facie rubuit, jam inter eum et Holmsteinem frigescente amicitia. Sequenti vere fratres jurati piraticæ se accinxerunt, et filios Atlii dynastæ convenire statuerunt, ut proximo autumno pacti fuerant; ut vero[1] convenerunt, Holmstein cum suis Leivum ac socios prœlio aggressus est. Cum vero aliquamdiu pugnaverant, pugnantibus supervenit Ölmodus Grandævus, Hördakarii filius, cognatus Leivi, et huic auxilium tulit; cecidit in hac pugna Holmstein, Hersteine fuga evadente. Leivus ac socii hac æstate piraticam exercuerunt, et autumno domum revenerunt. Insequenti vero hieme Herstein Ingolvum ac Leivum subito opprimere eosque interficere voluit; Ingolvus et Leivus, profectione ejus per exploratores cognita, manum adversus eum miserunt; prœlioque iterum facto, cecidit Herstein. Post hæc, amicis ex provincia Fjördensi ad fratres juratos convenientibus, missi sunt ad dynastam Atlium et Hasteinem[2], qui pacem offerrent; quæ eis conditionibus facta inter eos est, ut Leivus et Ingol-

[1]) juxta caput Hisæ, add. B, C, it. Landn.; exscr. Floamannasagæ, Cap. 3, b. l. habet *Hýsnar*. [2]) sic. B, C, it. Landn.; etiam Floamannas. Hallsteinem h. l. habet; Hrodmarem, A., quod alienum est.

vus Atlio et filio ejus prædia sua penderent. Fratres vero jurati, magna instructa nave, terram, quam Hrafna-Flokius (Flokius Corvinus) invenerat, quæsitum profecti sunt[1]; terram invenerunt, et hiemem in Alptafjördo australi in Austfjördis transegerunt; ubi vero terram perlustraverant; visa illis est melior terræ conditio in parte australi, quam boreali. Proxima æstate in Norvegiam revecti sunt; tum Ingolvus bona sua demigrationis Islandicæ ergo permutavit, Leivus vero ad piraticam in mari occidentali exercendam profectus, in Irlandia prædas agebat; hic magnam domum subterraneam reperit, quo descendens, omnia tenebris obducta deprehendit, donec splendorem redderet ensis, quem vir quidam manu tenebat, qui ab Leivo fugatus huc se receperat; hoc viro interfecto, Leivus ensem, multasque res alias abstulit; hic ensis valde erat pretiosus; hoc factum Leivo cognomen Hjörleivi peperit. Hjörleivus hac æstate multis locis in terris occidentalibus prædas egit, magnaque præda potitus est; ibi quoque decem servos cepit, quorum maxime insigni nomen erat Dufthakus. Deinde Hjörleivus in Norvegiam revectus, Ingolvum fratrem suum juratum convenit; ille antea Helgam Örnis filiam, sororem Ingolvi, uxorem duxerat. Hac hieme Ingolvus ingens sacrificium apparavit, et, consulto de fatis suis oraculo, monitus est, ut in Islandiam demigraret. Hjörleivus a diis colendis abhorruit. Vere proxime sequenti suam quisque navem in Islandiam trajecturi paraverunt socer et gener, Hjörleivus captivam, Ingolvus vero sociam pecuniam in nave habens; parati vela in altum dedere. Sexto anno imperii regis Haraldi Pulcricomi

1) Confer Floamannas. Cap. 2 et 3.

Islandia quæri cœpta est; septem verò post hiemibus Hjörleivus et Ingolvus ad terram inhabitandam profecti sunt, ut modo dictum est; hoc incidit in annum decimum tertium imperii Haraldi Pulcricomi, qui tum duas hiemes post prœlium Hafursfjördense rex singulari potestate Norvegiæ præfuerat; quod quatuor annis accidit post necatum Angliæ regem Eatmundum Sanctum. Tum ab initio hujus mundi elapsi erant anni sexies mille septuaginta tres[1], sed ab incarnatione domini nostri Jesu, Christi, octingenti septuaginta quatuor. Ingolvus et Hjörleivus socia classe ferebantur, donec in conspectum Islandiæ venirent, tum disjuncti sunt. Ingolvus, terram conspiciens, ejectis de navi columnis sedis primariæ, dixit se ibi habitaturum, quo loco columnæ in terram appellerentur. Ingolvus ibi ad terram appulit, quo nunc loco Ingolvshöfdius dicitur. Hjörleivus occidentem versus jactatus, cum inopia aquæ laborare cœpit, servi Hiberni id ceperunt consilii, ut farinam et butyrum concoquerent[2], hac re sitim depelli dicentes, atque hoc mindakum appellabant; quo confecto, magna extitit pluvia; tum aquam tentoriis navalibus collectam sumserunt. Ubi vero mindakum mucere cœpit, id e nave ejecerunt, quod in lingulam, postea Mindakseyram appellatam, egestum est. Hjörleivus ad Hjörleifshöfdium (promontorium Hjörleivi) appulit, ubi tum sinus fuit, cujus intimus recessus ad promontorium spectabat; hic duas diætas exstruendas curavit, quarum unius parietina octodecim orgyas longa est, alterius decem et novem; ibi Hjörleivus hiemem consedit. Proximo vere Hjörleivus sementem facere instituit; etsi vero unum bovem haberet,

[1]) quatuor, C. [2]) condepserent, B. C.

tamen servos aratrum trahere jussit. Cum vero Hjörleivus ac sui in diæta fabricanda essent occupati, servi autem arare deberent, Dufthakus id consilii dedit, ut bovem interficerent, atque ab urso sylvestri interfectum dicerent; deinde Hjörleivum ac suos adorirentur, si ursum quærerent. Hoc Hjörleivo ejusque sociis indicant, bovem ab urso esse interfectum; cum vero illi alii alio per sylvam irent, ursum quæsituri, servi singulos adorti, universos, quot ipsi erant, interfecerunt; deinde interfectorum uxores, res mobiles et scapham navis, abstulerunt, et in insulas, quas in oceano ad libanotum sitas conspexerunt, trajecerunt, ibique sedes paraverunt. Vivil et Karlius nomen erat servis Ingolvi, quos occidentem versus secundum littora misit, ut sedis primariæ columnas quærerent; qui, ad Hjörleivshöfdium pervenientes, cum Hjörleivum necatum invenirent, reversi hanc rem Ingolvo nuntiarunt. Ille cædem Hjörleivi ægre ferens, occidentem versus ad Herjolvshöfdium profectus est; cum vero Hjörleivum exstinctum videret, infit: indigna forti viro sors, quem servi neci darent, sicque plerisque evenire video, qui deos colere nolunt. Ingolvus Hjörleivum ac socios sepiliri fecit, navique eorum et opibus prospexit. Deinde promontorium ascendens, cum insulas libanotum versus in oceano animadverteret, animum subit, eo servos se recepisse, scapham enim abesse sensit. Ingolvus cum sociis in insulas trajecit, servosque loco, qui Eidum (isthmus)[1], dicitur, deprehendit. Servi sedebant cibum sumentes, quando Ingolvus iis superveniebat, statimque pavore correpti, diversi diffugiebant; quos Ingolvus omnes interfecit; pars armis necata, pars ex

[1]) Thræliæidum (isthmus servorum), C.

rupibus se præcipitavit, quæ loca ex illis nomina traxerunt. Insulæ vero Vestmannaeyæ (Vestmannorum insulæ) dictæ sunt, quod servi ex terris, in oceano occidentali sitis, oriundi erant. Ingolvus ac socii, abductis secum interfectorum uxoribus, ad Hjörleivshöfdium reverterunt, ibique alteram hiemem transegerunt; sequenti autem vere occidentem secundum littora profectus, tertiam hiemem juxta Ingolvsfellum ab occidentali parte Ölfusaæ egit. Eo anno Vivil et Karlius Ingolvi sedis primariæ columnas juxta Arnarhvolum infra montana repererunt. Proximo vere Ingolvus per montana iter fecit, et, quo loco sedis primariæ columnæ in terram ejectæ erant, sedem delegit, et Reykjarvikæ habitavit.

Cap. 117. Ingolvus omnium aboriginum celeberrimus fuit, quoniam Islandiam primus incoluit; quod deinde omnes insulæ occupatores ejus exemplo fecerunt. Ingolvus in matrimonio habuit Hallveigam Frodii filiam, Lopti Grandævi sororem; horum filius fuit Thorstein, qui locum judicii in Kjalarneso constituit, antequam comitia universalia constituta essent. Filius Thorsteinis fuit Thorkel Manius, prætor, qui ex paganis hominibus pæne probior fuit, quam exemplis innotuerit. Morti vicinus, in solem se portari jussit, seque deo, qui solem creavisset, commendavit; idem tam juste vivebat, quam christjani, qui optime morati fuerunt. Filius Thorkelis Manii fuit Thormodus, qui generalis antistes fuit, quo tempore religio christjana in Islandiam introducta fuit; hujus filius fuit Hamal, pater Maris et Thormodi et Torvii.

Cap. 118. Björn Buna (Pedo) nomen erat celebri in Norvegia duci, Vedur-Grimi filio; ma-

ter Grimi fuit Hervara, filia Thorgerdæ, Eylaugi, Sogniæ ducis, filiæ. A Björne Buna omnes ferme illustres in Islandia viri originem ducunt. Uxor Björnis erat Velauga, cum qua tres filios habuit: unus nominatus est Ketil Silo, alter Hrappus, tertius Helgius, celebres viri, multæque de iis et progenie eorum narrationes extant. Thordus Skeggius (Barbo) nomen erat filio Hrappi, Björnis Bunæ filii; ille in matrimonio habuit Vilborgam Osvaldi filiam; horum filia erat Helga, quam Ketilbjörn Grandævus in matrimonio habuit. Thordus Barbo in Islandiam demigravit, et, permissu Ingolvi, Skeggjastadis, in territorio ab eo occupato, habitavit. Ab Thordo Barbone multi clari in Islandia viri ortum trahunt.

Cap. 119. Örlygus, alter filius Hrappi Björnis filii, educatus est apud Patrechum, episcopum in Sudreyis (Hebudibus). Örlygum cupiditas subiit, in Islandiam transmigrandi; itaque Patrechum episcopum rogavit, ut rebus suis prospiceret. Cui episcopus: ego vero rebus tuis providebo, si mea consilia sequi vis: eo loco terram occupa, ubi ex alto duos montes conspicis, utrumque valle intersectum; sub monte ad meridiem spectante sedem fige; hic ædem exstruito deo et sancto Columbo sacram. Tradidit ei episcopus templi fabricandi materiem, campanam ferream, plenarium, et terram consecratam, quam columnis templi angularibus supponeret, eumque hortatus est, ut, quam eum docuisset religionem, bene observaret. Deinde Örlygus ac comites vela in altum dedere; cumque periculosa navigatione uterentur, neque scirent, quorsum tenerent, votum deo pro appulsu fecit, item episcopo Patrecho,

si quam illis opem præstare posset, se locum, ad quem primum appulissent, ex ejus nomine denominaturum. Paulo post terram conspexerunt, cum terram ab occidente prætervecti essent, et eo loco ad terram appulerunt, quo loco nunc Örlygshavnia (portus Örlygi) dicitur, sinum vero ab interiore parte Patrechsfjördum appellarunt; eo loco hiemem transegerunt. Vere sequenti Örlygus navem suam apparavit, et meridiem versus Snæfellsjökulem præternavigavit; cum vero in sinum penetraret, vidit duo montes, utrumque valle intersectum, quos sibi ab episcopo Patrecho monstratos intelligens, ad australem montem direxit cursum; hoc loco Kjalarnesum fuit, ubi terram antea occupaverat Helgius Bjola, patruelis Örlygi. Helgius Bjola fuit filius Ketilis Silonis, Björnis Bunæ filii. Proximam hiemem Örlygus apud Helgium, cognatum suum, transegit; sequenti autem vere, auctoritate Helgii, villicationem instituit, et Esjubergi habitavit, ubi ædem sacram exstrui fecit, uti episcopo Patrecho pollicitus fuerat; idem traditam ab episcopo veram religionem servavit, et filius ejus idola nunquam coluisse dicitur. Multi præterea fuere viri, qui baptizati huc in Islandiam venerunt, et heic territoria occuparunt. Cum vero ex occupatoribus insulæ multo major esset numerus paganorum, qui, deorum cultus observantissimi, omnibus viribus veræ religioni adversati sunt, et, ut infra dicetur, christianos homines lacessiverunt et condemnarunt, ipsi vero christiani in religione novitii essent; factum est, ut eorum nonnulli, qui ante verbo erant christiani, ad paganismum relaberentur. Etsi vero nonnulli ex terræ occupatoribus reli-

gioni christjanæ non omnino renuntiabant, tamen fere omnes eorum liberi et progenies pagani erant, cum nulli in terra essent doctores, aliive, qui populum bonis moribus imbuerent.

Cap. 120. Eam vero ob causam heic loci de quibusdam terræ occupatoribus memoriæ proditum est, quod alienum non videatur, in hac narratione nonnullorum hominum facere mentionem, qui hac in terra ante religionem lege receptam in verum deum crediderunt, et docere, ex qua stirpe tales homines orti sint; cum omen et præparatio esse videatur subsequentis lætæ mutationis, qua totus populus ab errore diaboli ad veri domini officium conversus est, ut ex eo inde tempore christjana religio semper conservata et confirmata fuerit, nunquam vero evanuerit. Örlygus Priscus Esjubergensis multos habuit liberos, multosque nepotes.

De Ketile Silone ejusque nepotibus.

Cap. 121. Rex Haraldus Pulcricomus per mare occidentem versus arma circumtulit, ut supra scriptum est; omnes sibi Sudreyas, tam longe occidentem versus, subjecit, ut exinde nullus rex longius processerit. Rege vero orientem versus in Norvegiam reverso, piratæ Iri et Skoti incursionem in Sudreyas fecerunt, ibique ferro et rapinis late grassati sunt. Quo cognito, rex Haraldus Ketilem, Silonem, Björnis Bunæ filium, occidentem versus misit, ut Sudreyas in potestatem regis Haraldi redigeret. Ketil Silo in matrimonio habuit Yngvildam, filiam Ketilis Veduris (Arietis), Hringarikiæ ducis; horum filii fuere Björn Orientalis et Helgius Bjola; filiæ: Auda Prædives[1] et Thorunna Hyrna (Cornuta). Ketil, relicto Björne filio

[1]) ad verbum: *βαθυκλονιος*; alias cognomen ejus est: *djúpúðga*: *βαθυφρῶν*.

possessionum suarum in Norvegia custode, cum uxore reliquisque liberis occidentem versus profectus, omnes Sudreyas sibi subjecit, seque ut imperantem gessit, neque ex condicto tributa regi Haraldo pependit; quare Haraldus omnes possessiones, quæ Ketili in Norvegia erant, sibi vindicavit, Björne, filio ejus, expulso. Björn vero primum occidentem versus profectus, cum ibi sedem figere nollet, Orientalis appellatus est; itaque in Islandiam trajecit, territorium in Breidafjördo occupavit, et Bjarnarhavniæ habitavit; ille ad Borgarlækum tumulatus est, quod solus liberorum Ketilis Silonis non baptizatus erat. Ketil vero, cum tota sua familia, quæ cum eo fuit, in regionibus occidentalibus baptizatus fuit.

Auda Prædives in Islandiam demigrat.

Cap. 122. Olavus[1] nominatus est regulus, dictus Olavus Albus; is filius fuit regis Ingjaldi, filii Helgii, filii Gudrödi, filii Halfdanis Albicruris, regis Upplandorum. Olavus Albus piraticam in regionibus occidentalibus exercuit; Dublinum in Irlandia expugnavit, et tractum Dublinensem sibi subjecit, regisque potestate imperavit. Idem uxorem duxit Audam Prædivitem, filiam Ketilis Silonis; eorum filius fuit Thorstein Rufus. [Olavus in Irlandia prœlio cecidit; tum vero Auda et Thorstein, filius ejus, in Sudreyas trajecerunt; ibi Thorstein uxorem duxit Thuridam, Eyvindi, Austmanni dicti, filiam, sororem Helgii Macri, qui Thorunnam Hyrnam Ketilis, filiam, in matrimonio habuit. Thorstein et Thurida multos liberos habuerunt; Olavus Feilan (Viola) dictus est filius eorum[2]; filiæ vero: Groa, Olava, Oska, Thorhilda, Thorgerda, Vigdisa. Thorstein

1) Oleivus, id. B, C. 2) quæ ab signo [sunt, ex Codd. B, C, S, desumta sunt, nam in A, incuria librarii, exciderunt.

rex pirata factus est, et societatem iniit cum dynasta Sigurdo Potente, Eysteinis Glumræ (Strepentis) filio; hi subegerunt Katanesum et Sudurlandum, Rossiam et Moraviam, et plus quam dimidiam Skotiæ partem; quibus regionibus Thorstein regio nomine præfuit, donec dolo ab Skotis circumventus prœlio occubuit. Tum Auda in Kataneso fuit, quando cædem Thorsteinis, filii sui, cognovit; ea navem mercatoriam in sylva clam fabricandam curavit, et cum se paravisset, in Orkneyas trajecit, ubi Groam, Thorsteinis Rufi filiam, in matrimonium collocavit. Deinde Auda demigrationi in Islandiam animum adjecit. In nave secum habuit viginti[1] viros liberos, quorum summus erat Kollus, qui ab Auda maximi æstumatus et plerumque consiliorum particeps erat. Kollus fuit filius Vedrargrimi, Asii Ducis filii, et Thorgerdam, Thorsteinis Rufi filiam, in matrimonio habuit. Auda primum in Færeyas trajecit, ibique Olavam, Thorsteinis Rufi filiam, in matrimonium collocavit, unde Götuskeggi (incolæ prædii Gatæ) in Færeyis oriundi sunt. Deinde Auda Islandiam petiit, et ad insulæ partem australem appulit, naufragium in Vikarsskeido (spatio Vikaris) passa. Tum in Kjalarnesum ad fratrem Helgium Bjolam se contulit; ille sorori hospitium hiemale cum dimidia sociorum parte obtulit; quam conditionem ea humiliorem existimans, nescire se dixit, unde ei tanta venisset illiberalitas; atque inde occidentem versus in Breidafjördum ad Björnem fratrem se contulit; hic notam sibi esse sororis magnificentiam et honoris studium testatus, ei cum domesticis obviam ivit, et hospitium cum omnibus suis ob-

[1]) septuaginta, F, S.

tulit; quod Auda grato animo accipiens, ibi hiemem cum toto suo comitatu peregit, summa liberalitate tractata. Sequenti vere interiora Breidafjördi territorii deligendi causa perlustravit, omnesque valles Breidafjördenses occupavit, et Hvammi habitavit; Kollo, affini suo, totum Laxardalum dedit, qui vir splendidissimus extitit, et Dalakollus cognominatus est. Auda ad extremam ætatem Hvammi habitavit, quo loco nunc Audartoptæ ad ostium Örridaaæ appellantur; eadem christjana et christjanæ religioni addicta, cruces erigi fecit, quo loco exinde Krossholi (tumuli crucium) dicuntur, ubi preces suas fundere consueverat. Olavus Feilan natu minimus erat Thorsteinis Rufi liberorum; is magna erat statura et viribus, aspectu pulcher et summa artium peritia; hunc Auda præ omnibus aliis æstimavit, quare coram omnibus testata est, se ei omnes facultates relicturam. Olavus, auctoritate Audæ, uxorem duxit Aldisam Barreyensem[1], filiam Konalis, filii Steinmodi, filii Ölveris Barnakarlis (Infantarii); tum ea omnes filias Thorsteinis Rufi collocaverat. Auda splendoris erat magnopere studiosa: jam senio defecta, cognatis et amicis ad se invitatis, exquisitum apparavit convivium; quod convivium cum tres noctes duraverat, omnibus convivis audientibus, Olavo cognato suo fundum Hvammensem, omnesque alias possessiones et prædia, quas non antea convectoribus et libertis suis dederat, nec non omnes facultates, quas ibi moriens relictura foret, testamento donavit; deinde omnibus amicis munera, multaque salutaria consilia, dedit; postea convivis omnibus pro adventu suo gratias egit, hoc idem

[1]) *breyska*, sic A; *bareyska*, B, C; sed in Cod. A r supra b videtur excidisse, ut vera lectio sit *barreyska*.

convivium adhuc tres noctes celebrari, sibique sic parentari jubens. Proxime sequenti nocte animam exspiravit Auda. Auda in arena, crescente maris æstu inundata, ut ipsa præceperat, sepulta est, noluit enim, baptizata cum esset, in humo non consecrata jacere. Post vero hujus mortem cognati ejus a vera religione aberrarunt, atque deinde, cum sacrificia inciperent, fanum in Krossholis exstructum est.

De Laxdalensibus.

Cap. 123. Dalakollus, ut supra scriptum est, Thorgerdam, filiam Thorsteinis Rufi, in matrimonio habuit; horum liberi erant Höskuldus et Groa, quam Veleifus Grandævus in matrimonio habuit, et Thorkatla, quam Thorgeir[1] antistes uxorem duxit. Höskuldus Kolli filius, patre mortuo, in Laxardalo habitavit, prædio, qui Höskuldsstadi dicuntur; is in matrimonio habuit Hallfridam, filiam Thorbjörnis ab Vatno in Haukadalo; horum filius erat Thorleikus[2], qui Thuridam, filiam Arnbjörnis Sleitubjörnis (Björnis jurgiosi) filii, in matrimonio habuit: horum filio nomen erat Bollius, cui Gudruna Osvifi filia nupsit. Höskuldus Melkorkam[3] emit, filiam Myrkjartanis, Irorum regis; ex his natus Olavus Pavo. Olavus Pavo Höskuldi filius in matrimonio habuit Thorgerdam, filiam Egilis Skallagrimi filii; quorum filii fuerunt: Kjartan, Egil, Haldor, Steinthor[4] et Thorbergus[5]. Kjartan uxorem duxit Hrefnam, Asgeiris Ædikolli (verticem plumei) filiam, quorum filii erant Asgeir et Skumus. Filia Olavi Pavonis fuit Thurida, quam Gudmundus Sölmundi filius in Asbjarnarneso conjugem habuit; horum filii:

1) Thorgrimus, B, C. 2) Thorleifus, F. 3) Melkellam, C. 4) Steindor, B, C, S. 5) Thorgerda filia, F.

Hallus et Vigabardius (Bardius Homicida). Filia Höskuldi, Kolli filii, fuit Hallgerda Snuinbrok, quam Gunnar de Hlidarendo in matrimonio habuit. [Thorgerdam, filiam Thorsteinis Rufi, secundis nuptiis duxit Herjolvus, Eyvindi Ignis filius; ejus filius fuit Rutus in Kambsneso[1].

Adventus Helgii Macri in Islandiam.

Cap. 124. Björn[2] nomen fuit viro celebri in Gotlandia, ille filius erat Rolfi ab Ais; uxor Björnis nominabatur Hlifa, filia Rolvi, filii Ingjaldi, filii regis Frodii; horum filio nomen erat Eyvindus. Björn lites cum Sigfasto, affine Sölvaris, Gotorum[3] regis, habuit, quare Björn Sigfastum cum triginta hominibus in ædibus concremavit; quo facto, in Norvegiam cum undecim comitibus profugiens, ab Grimo duce, filio Kolbjörnis Sneyperis (Pudefactoris), receptus est, apud quem unam hiemem commorabatur. Cum vero Grimus Björnem pecuniarum ergo conaretur interficere, Björn ad Öndottum Krakium (Graculum), qui Agdis in Hvivisfjördo[4] habitavit, confugit, et ab eo receptus est. Björn per æstates piraticam in mari occidentali faciebat, per hiemes autem apud Öndottum versabatur; mortua vero in Gotlandia Hlifa, uxore ejus, Eyvindus filius ejus, ab oriente adveniens, naves bellicas patris gubernandas suscepit, piraticam in mari occidentali exercere cœpit, et littora Irlandiæ classe tuitus est; uxorem duxit Raförtam, filiam regis Kjarvalis, ibique sedem fixit; ille Eyvindus Orientalis appellatus est. Eyvindus et Ra-

[1]) quæ ab signo [sunt, add. B, C. [2]) initium hujus Cap. cfr. cum Grettlæ Cap. 3. [3]) Skotorum, F. [4]) Hrimsfjördo, F, S. rectius Hvinisfjördo, vide Undalini Geograph. Norveg., Havn. 1632, pag. 57.

förta filium habuerunt, nomine Helgium, quem in Sudureyis educandum curaverunt. Duobus vero post annis, cum eo venerunt, eum inedia adeo consumtum deprehenderunt, ut eum non cognoscerent, quare eum secum abduxerunt, et Helgium Macrum nominarunt; is in Irlandia educatus est; qui, cum [ad maturam ætatem pervenisset[1], vir magnæ auctoritatis extitit, et uxorem duxit Thorunnam Hyrnam, Ketilis Silonis filiam, ex qua multos liberos procreavit, quos inter filii erant Rolfus et Ingjaldus. Helgius Macer in Islandiam cum uxore et liberis demigravit. Nomine quidem Helgius christjanus erat, sed mixtam religionem servabat; nam licet baptizatus erat, et se Christo fidem habere profitebatur, tamen Thorem in itineribus maritimis et rebus arduis invocabat. Helgius Macer totum Eyafjördum occupavit inter Siglunesum et Reyninesum, et Kristnesi habitavit; idem filio Ingjaldo territorium dedit ab orientali parte (amnis) Eyafjardaraæ, ab Arnarholo usque ad Thveraam exteriorem. Ingjaldus prædio Thveraa orientali habitavit, ubi ingens fanum exstruxit; in matrimonio habuit Salgerdam Steinolvi filiam; horum filius erat Eyolvus Hruga (Cumulus), qui uxorem duxit Astridam, Vigfusis, Vorsiæ in Norvegia ducis, filiam; eorum filius erat Vigaglumus (Glumus Homicida). Hi fratres fuerunt, filii[2] Vikingakarii: Eirikus Bjodaskallius, pater Astridæ, matris Olavi regis Tryggvii filii, et Vigfus de Vorsia, pater Astridæ, matris Vigaglumi.

Cap. 125. Vir dictus est Ketil, filius Jorunnæ Mannvitsbrekkæ (Prudentis viraginis), Ketilis

[1]) add. B, C, S. [2]) *bræðr-synir* legendum puto *bræðr, synir*; ceterum de diversis hujus genealogiæ rationibus nonnulla ad Tab. Geneal. suo loco afferentur.

Silonis filiæ. Ketil ab Sudureyis in Islandiam trajecit; ille bene christjanus erat, quare ethnici eum appellabant Ketilem Stultum. Ketil Stultus territorium occupavit in Vero orientali, et Kirkjubæi habitavit, ubi ethnicis hominibus habitare non licuit. Ketil erat pater Asbjörnis, patris Thorsteinis, patris Surti, patris Sighvati prætoris.

Cap. 126. Eystein Crassus nomen erat viro, qui in Islandiam ab Norvegia trajecit, et territorium occupavit ab oriente (amnis) Geirlandsaæ, Ketilis Stulti finibus conterminum, et Geirlandi habitavit. Eystein, filius Hranii Hilderis filii, ab Norvegia in Islandiam demigravit; hic ab Eysteine Crasso fundos, quos occupaverat, emit, et Skardi habitavit; hujus filius Hilder[1], cum, Ketile Stulto mortuo, rem familiarem Kirkjubæum transferre constituisset, quod verum non esse putavit, ethnicis hominibus ibi, ut aliis in locis, habitare non licere, prope ad septum villæ Kirkjubæi advectus, subita morte extinctus est, ibique in Hildishaugo (tumulo Hilderis) tumulatus jacet. Atque idem pluribus paganis, qui eo rem familiarem transferre conati sint, accidisse dicitur, hunc enim locum deus cultui suo destinaverat; ibidem nunc monasterium moniale est[2].

De Asolvo Christjano.

Cap. 127. Duo fratres, quorum alteri nomen fuit Thormodus, alteri Ketil, totum Akranesum in Borgarfjördo occupaverunt. Ketil possidebat totum Akranesum ab occidente et borea (montis) Akrafelli; ejus filius fuit Jörundus Christjanus, qui Gardis habitavit. Asolvus dictus est vir, cognatus Jörundi Gardensis, qui ad orientalem insulæ partem in Osis (ostiis) appulit;

1) Sic B, C; Hildar, A. 2) Hoc fundatum est anno 1186, vide Hist. Eccl. Isl. Tom. IV, pag. 77, 78.

hic, qui et bene christianus esset, neque cum ethnicis hominibus quicquam commercii habere, aut victum ab iis accipere vellet; diætam sibi sub Eyafjallis exstruxit, quo loco nunc Asolvsskalus (Asolvi diæta) orientalis dicitur; neque prius homines convenit, quam ethnici advenirent, cogniturí, quo se cibo sustentaret. Hi, multis in diæta piscibus conspectis, cum ad rivum, propter diætam profluentem, accederent, animadverterunt, eum tanta piscium copia abundare, ut tale prodigium se non vidisse existimarent. Hac re animadversa, pagi incolæ Asolvum expulerunt, eique tantis bonis frui invíderunt. Tum Asolvus res suas ad Midskafum (mediam diætam) transtulit, ibique aliquamdiu moratus est. Cum vero ethnici ad rivum devenirent, pisces capturi, omnes aufugerant. Ubi autem ad Asolvum ventum est, flumen, quod Midskalum præterfluebat, plenum erat piscium; qua de re hinc quoque expulsus, tertiam diætam sibi fecit, eodem atque antea rei exitu, copia piscium similiter hinc aufugiente. Inde quoque expulsus, in Akranesum se contulit ad Jörundum, cognatum suum, qui eum liberaliter accipiens, hospitium secum obtulit. Cum vero Asolvus cum aliis hominibus versari nollet, Jörundus ei Holmo interiore domum exstrui fecit, cibumque afferri; hic Asolvus, quoad vixit, se continebat, ibique sepultus est.

Cap. 128. Ulvus nominatus est vir, filius Grimi Halogi, filii Thoreris, filii Gunnlögi, filii Rolvi, filii Ketilis Kjölfarii (Trahæ vectoris s. Carinæ trajectoris); mater Ulvi erat Svanlöga, filia Thormodi de Akranesо. Ulvus habitabat Geirlandi in Hvitarsida; hujus filius erat Rolvus dives, pater Haldoræ, quam Gissur Albus in matrimonio habuit, quorum filia erat Vil-

borga, uxor Hjaltii Skeggii filii. Alter filius Ulvi erat Hroaldus, pater Rolvi Junioris. Rolvus Junior in matrimonio habuit Thuridam, filiam Valthjovi, filii Örlygi Prisci; horum filius erat Illugius Rufus, qui primum Hraunsasi, deinde Hofstadis in Reykjardalo, postremo Holmo interiore in Akraneso, habitavit; filius ejus, nomine Haldor, hic, patre mortuo, habitavit. Haldor erat bene christjanus; vere quodam per quietem vidit hominem lucida et augusta specie ad se accedentem, qui ita eum allocutus est: id notum tibi, Haldor! facere volo, displicere mihi, quod ancilla tua, quotiescunque ab stabulo pecorum redit, pedes suos tumulo meo abstergat; ideo vero te de hac re moneo, quod templum, quod in villa tua exstructurus es, tumulo meo imponi velim. Haldori per qvietem interroganti, qui hic homo esset, respondet: Asolvus vocor, tempore occupationis hujus terræ huc delatus, et bene christjanus fui, ut profecto audivisti; deus omnipotens permisit, ut tibi locum sepulturæ meæ indicarem. Deinde Haldor, somno expergefactus, cum hoc somnium animo perpenderet, verum esse sibi persuasit, quod pater retulisset; memoria enim tenebat, patrem Illugium hujus viri Asolvi, eo loco tumulati, mentionem fecisse; notato deinde tubere, quo ancilla pedes abstergere solebat, vetuit, hoc posthac facere. Eadem æstate ineunte, Haldor in Norvegiam navigavit, et proximo autumno materiem templo ædificando revexit, templumque tumulo Asolvi, qui sanctus dictus est, inædificandum curavit.

Cap. 129. Kalman nomen erat viro Sudureyensi, qui territorium ab occidente Hvitaæ (amnis) occupaverat; is pater erat Sturlæ antistitis, cujus filius, Bjarnius, patre mortuo, in hæredio

suo, Kalmanstungæ, habitavit. Bjarnius cum Rolvo Juniore, [Illugii Rufi patre[1], de Tunga parva contendens, vovit, si, quod postularet, impetrasset, se religionem christjanam amplexurum. Postea Hvitaa alveum, qua nunc profluit, vi aquarum aperuit; quo facto, Tunga parva deorsum usque ad Grindas et Sölmundarhöfdium in possessionem Bjarnii venit, qui votum fideliter reddidit, veram religionem amplexus, eique ad mortem usque constanter adhærens.

De Thorvaldo Kodranis filio.

Cap. 130. Vir fuit nomine Eilivus Örn, a quo mons, in Reykjastranda in Skagafjördo unus in altissimis, denominatus est. Eilivus Örn filius erat Atlii, filii Skidii Prisci, filii Bardi dynastæ[2]; idem in matrimonio habuit Thorlögam, filiam Sæmundi Sudureyensis, qui Sæmundarhlidam occupavit; his tres erant filii: unus Sölmundus, pater Gudmundi, patris Viga-Bardii et fratrum ejus; alter Atlius Robustus, qui Herdisam, Thordi de Höfdio filiam, in matrimonio habuit, ex qua filiam suscepit Thorlögam, Gudmundi Potentis de Mödruvallis conjugem. Tertius Eilivi Örnis filius nomine fuit Kodran, qui Giljaæ in Vatzdalo habitavit, vir opum dives; hujus uxori nomen erat Jarngerda, filiorum uni Ormus, alteri Thorvaldus. Kodran Ormum, gnatum suum, magnopere diligebat, Thorvaldum vero parum aut nihil; hic enim, cum primum vires sinebant, opere faciundo exercebatur, male vestiebatur, et omnibus in rebus fratri postponebatur; interim ille jussa opera æquissimo animo faciebat. Eo tempore Thordisa Fatidica in Skagastranda habitavit, prædio, quod exinde Spakonufellum (mons Fatidicæ) appellatur; hæc æstate quadam ab Kodrane, quippe amico suo,

1) Illugii filio, C. 2) De hac genealogia vide Njal. Cap. 114, Vers. Lat. p. 384, not. v.

Giljaam ad convivium invitata, cum convivio interesset, atque animadverteret, quam dissimilis esset horum fratrum conditio, Kodrani loquitur: id tibi consulo, ab hoc tempore Thorvaldum gnatum tuum ut liberalius habeas, quam hucusque fecisti, hoc enim certissime prævideo, eum multas ob res omnibus aliis cognatis tuis illustriorem fore; quod si eum in præsenti parum diligis, at illi merces promercales trade, et eum dimitte, si quis res ejus curare velit, dum parvo natu est. Kodran, eam hæc bona mente loqui intelligens, se aliquid argenti ei daturum ostendit, crumenam protulit, et vati monstravit. Thordisa, argentum inspiciens: ne hanc ei pecuniam tradas, utpote mulctæ nomine aliis vi et injuria extortam. Tum ille aliam crumenam in medium protulit, rogans, ut inspiceret; quo facto, ea fatur: neque hanc pecuniam nomine pueri accipio. Cui Kodran: quid, quæso, in hoc argento reprehendis? Thordisa respondet: has pecunias per avaritiam justo majoribus fundorum et pecudum mercedibus contraxisti, quare talis pecunia ei homini ad usum non convenit, qui et justus et liberalis existet. Deinde Kodran ei turgentem[1] crumenam, argento refertam, ostendit, unde Thordisa tres selibras Thorvaldo pensavit; quod autem supererat, Kodrani reddidit. Tum Kodran: cur de his pecuniis gnati mei nomine sumere maluisti, quam de illis, quas ante attuli? Ea contra: quia ad has pecunias, quas paterna accepisti hæreditate, jure pervenisti. Post hæc Thordisa e convivio discessit cum honorificis muneribus et amicitia Kodranis, Thorvaldum secum domum Spakonufellum ducens, qui aliquamdiu apud

[1]) *hinn digri*, quod in textu est, sine dubio mendum est, pro *henni digran*.

eam versabatur, vestitu aliisque rebus necessariis bene habitus, et cito maturuit. Cum vero ad justam ætatem pervenerat, auctoritate Thordisæ peregre profectus, itinere non prius destitit, quam in Daniam perveniret, ubi Sveinem, dictum Furcobarbum, convenit. Svein, ignobili matre genitus, natum sese prædicavit Haraldi Gormi filii, Danorum regis; quem cum ex se natum Haraldus agnoscere nollet, Svein eo tempore nullam Danici imperii partem consecutus, tempus in expeditionibus piraticis consumsit, et, ut mos piratarum ferebat, rex a militibus appellatus est; Thorvaldum ad se venientem liberaliter accepit; hic in aulicorum numerum adsumtus, aliquot æstates cum eo piraticas expeditiones in regionibus occidentalibus exercebat. Neque diu cum Sveine rege versatus erat Thorvaldus, antequam eum rex omnibus aliis, etiam amicis, anteponeret. Erat enim Thorvaldus vir magni consilii, spectatæ virtutis et prudentiæ, viribus et animo eximiis, rei militaris peritus, et in prœliis strenuus; idem largus et pecunia liberalis, sincera fide et obsequioso officio expertus, omnibus militibus gratiosus et acceptus, neque immerito; etenim, jam tum ethnicus, justum se præter morem aliorum ethnicorum præbuit, ut omnem, quam in piratica consecutus est, prædam indigentibus præberet, et ad redimendos captivos et sublevandos miseros conferret; si captivi homines ei sorte obvenissent, hos ad parentes aut cognatos remisit, ut eos, quos pecunia redemerat. Qui cum ceteris militibus fortitudine belli præstaret, lege sanciverunt, ut ille de quavis præda rem aliquam eximiam sumeret; qua prærogativa sic usus est, ut potentium virorum filios, aliasve res, amittentibus desideratissimas, quas vero

concedere sociis suis minime molestum esset, eligeret, et dominis remitteret. Propterea eum amarunt etiam illi, qui Sveinianorum populationibus infestabantur, ejus bonitatem laudibus celebrantes; eademque de causa suos, quamvis ab hostibus captos, facile liberavit, nec minus (tempore quodam)[1] ipsum Sveinem regem. Accidit aliquando, cum Svein infesto exercitu Bretlandiam aggressus, primo victor, ingenti præda potitus esset, ut longius a navibus in terram progressus, tanto equitum numero opprimeretur, ut nulla daretur resistendi facultas; itaque Svein rex captus, vinctus, et in carcerem conjectus est, et unacum eo Thorvaldus Kodranis filius, multique alii ampli et magnæ auctoritatis viri. Postridie dux quidam potens magno cum comitatu ad carcerem venit, Thorvaldum vinculis exemturus, quod paulo ante ejusdem ducis filios vivos ceperat, eos vero redemerat, et liberos domum ad patrem miserat. Dux cum Thorvaldum egredi liberumque abire jussisset, hic, jurejurando interposito, negavit, se ullo pacto inde vivum exiturum, nisi rex Svein cum omnibus suis solutus liberatusque esset; quod dux ejus causa statim fecit, quemadmodum rex Svein postea testatus est, quando cum duobus aliis regibus in splendido convivio considebat. Hic enim, intro latis ferculis, cum aulicorum præfectus aliquis diceret, eandem mensam nunquam postea tam magnifico consessu ornatam fore, quam tum, tribus adeo potentibus regibus ex una patina comedentibus, rex Svein subridens: inveniam, inquit, extranei rustici filium, qui, si recte res æstimabitur, non minorem habeat

[1] *enn um*, quod textus h. l. exhibet, hoc contextu orationis vix locum tuetur; ductus literarum credibile faciunt, has voces ex *eift einn* depravatas esse.

amplitudinem et dignitatem, quam nos tres reges. Hinc magna lætitia in aula exorta est, cunctis per risum interrogantibus, quis aut qualis hic vir esset, de quo tantas res prædicaret? Qvibus ille: hic vir, de quo hæc prædico, ita prudens est, ut sapientem regem esse deceret, robustus et animosus, ut fortissimus athleta, ea morum vitæqne præstantia, qua sapiens optime moratus. Deinde factum Thorvaldi, modo commemoratum, exposuit, quomodo regem gratia, qua valebat, et multis illustribus factis et præclare gestis, liberavisset.

Cap 131. Post hæc, cum Thorvaldus multa loca obiisset, veram religionem amplexus, et ab episcopo Saxone, nomine Fridreko, baptizatus est; quo facto, episcopum Fridrekum summo studio rogavit, ut secum in Islandiam ad divinam religionem annuntiandam proficisceretur, et patrem matremque, aliosque propinquos cognatos, ad deum convertere conaretur. Annuit lubenter episcopus, et in Islandiam trajecit, facili navigatione usus. Kodran gnatum suum prolixe excepit. Thorvaldus et episcopus primam hiemem apud Kodranem Giljaæ, tredecim omnino, peregerunt. Incepit statim Thorvaldus cognatis suis, omnibusque se convenientibus, divinam religionem annuntiare, (sermo enim incolarum episcopo ignotus erat), nonnullis hac hieme ad veram religionem adhortatione Thorvaldi perductis. Jam vero primum dicetur, qua ratione patrem suum et domesticos ejus ad veram religionem perduxerit. Festo quodam die, cum episcopus Fredrikus cum clericis suis sacra et rem divinam administraret, aderat Kodran, magis curiositate ductus, quam quod in præsenti ritibus eorum consentire decrevisset; cum vero audiret sonitum campana-

rum, et dulcem clericorum cantum, suavem thuris odorem sentiret, episcopum videret augusto habitu ornatum, omnesque ejus ministros albis indutos, vultuque lucido conspicuos, nec non magnam tota æde lucem, claro splendente cereorum lumine, item res alias, quæ ad hujus festi celebritatem pertinebant, hæ res omnes homini majorem in modum placuerunt. Quare eodem die, gnatum suum Thorvaldum conveniens, sic locutus est: jam vidi, et nonnihil animo perpendi, quam sedulum cultum deo vestro præstetis; sed, quantum intelligere licet, mea tuaque religio multum inter se discrepant, deus enim vester lumine, quod nostri dii formidant, delectari videtur. Quodsi res ita est, ut opinor, hic vir, quem episcopum vestrum vocas, vates tuus est; intelligo enim, te ab eo omnia discere, quæ nobis dei tui nomine annuntias. At ego alium habeo vatem, mihi quidem multo utilissimum; hic multa mihi futura prædicit, pecus meum conservat, et me monet, quid faciendum, quidve fugiendum sit; quare omnem in eo fiduciam collocatam habeo, et eum longo tempore colui; tu vero ei magnopere displices, et vates tuus, vestrique mores; idem me dehortatur, ne quid vobis præstem officii, et maxime, ne vestræ religioni assentiar. Thorvaldus: ubi vates tuus habitat? Kodran: hic prope habitat a villa mea in magno saxo et venerabili. Quærenti Thorvaldo, quamdiu hic habitasset, eum longo ibi tempore sedem habuisse, Kodran respondit, Itaque pactum hac de re, inquit Thorvaldus, mi pater! inter nos constituam: tu vatem tuum valde potentem prædicas, teque magnam in eo fiduciam reponere dicis; episcopus autem, quem vatem meum appellas, vesco corpore et exiguis viribus est; si vero dei cœlestis, in quem credimus, ope adjutus, vatem

tuum tam firmo domicilio expellere valeat, verum est, ut, eo relicto, ad potentissimum deum, creatorem tuum, convertaris, qui vere deus est, quem nullæ vires superare possunt, qui in æterna luce habitat, quo omnes in se credentes sibique fideliter servientes perducit, ut ibi cum ipso in inenarrabili felicitate æternum vivant. Et si ad excelsum cœlorum regem te convertis, facile intelliges, hunc, qui te dehortatur, ne in eum credas, revera tibi insidiari, qui cupiat, te ab æterna luce ad immensas tenebras abstrahere; qui, si tibi videtur aliquid boni præstare, omnia ideo facit, ut hoc facilius te decipiat, si eum tibi benignum et necessarium credideris. Kodran respondit: intellectu facile mihi est, tuum et episcopi sensum ab illius esse diversum, neque minus perspicio, utrosque causam suam magno studio persequi, quæ enim de eo dicitis, hæc eadem omnia de vobis refert; quid vero multis verbis opus est? hoc pactum, quod inter nos constituisti, rei veritatem explorabit. Lætus oratione patris Thorvaldus, episcopo omnem rei rationem, suique et patris colloquium, aperuit. Die proxime sequenti episcopus aquam consecravit, deinde precibus sacris et hymnorum cantu procedens, saxum aqua circumcirca conspersit et superfudit, ut totum madefieret. Proxima post nocte vates Kodrani per quietem visus, tristi vultu et tremebundus quasi præ metu, Kodranem allocutus est: male fecisti, quod homines ad te invitasti, qui tibi struunt insidias, et me ex domicilio meo ejicere conantur; ferventem enim aquam ædi meæ superinfuderunt, ut liberi mei non leves patiantur dolores ob ferventes guttas intra per tectum decidentes; quæ res, etsi mihi ipsi non magnopere noceat, tamen grave est, ululatum

audire puerulorum æstu clamantium. Sequenti mane Kodran filio interroganti has res aperuit; qua re lætus Thorvaldus, episcopum hortatus est, ut in re incepta perseveraret. Episcopus cum suis ad saxum accedens, omnia, quæ priori die, peregit, deumque omnipotentem impense oravit, ut, dæmone pulso, hominem ad salutem perduceret. Proxima post nocte vates ille, fallaciarum plenus, Kodrani perquam diversus apparuit ab eo, qui esse consueverat; cum enim ei solitus esset apparere vultu sereno et placido, eximieque vestitus, nunc contra nigra et fœda pelle indutus, facie nigra et truculenta patremfamilias voce mœsta et tremula allocutus est: hi homines vehementer student nos bonis nostris et commodis spoliare, qui me ex propria hæreditate expellere, te vero amica nostra cura et providis vaticiniis privare, velint. Jam virum te præsta, et hos expelle, ne propter eorum fraudes omnibus bonis rebus careamus; nunquam enim fugiam, quanquam molestum est, eorum injurias et incommoda diutius ferre. Hæc omnia multaque alia, quæ hic dæmon Kodrani dixerat, pater filio mane sequenti exposuit. Tertio die episcopus saxum, quemadmodum prius, visitavit. Proxima vero post nocte malignus spiritus patrifamilias tertium apparuit vultu mœsto, talemque querelam voce singultiente extulit, dicens: hic malus impostor, christjanorum hominum episcopus, me omnibus possessionibus meis exuit, ædem meam corrupit, ferventi aqua me superfudit, vestes meas madefecit, dirupit, prorsus inutiles reddidit; mihi vero et familiæ meæ insanabilem attulit ustionem, et adhæc invitum me procul in deserta et exilium ejecit. Nunc itaque convictum et amicitiam dissolvere cogi-

mur, quæ omnia ab sola tua infidelitate proficiscuntur. Jam reputa, quis res tuas ab hoc tempore eadem fide, atque ego, conservaturus sit; mihi bonum malo rependisti. Tum Kodran: te ut utilem et potentem deum colui, dum veri ignarus eram; nunc vero, cum te fallaciis plenum et valde imbecillum expertus sim, justum et citra omne crimen est, te deserere et ad præsidium numinis, quod te multo melius et potentius est, confugere. His dictis, mutua offensione, nulla autem gratia, separabantur. Deinde Kodran paterfamilias et uxor ejus, Jarngerda, cum cetera familia, baptizati sunt, præter Ormum filium ejus, qui ea vice baptizmo lustrari noluit.

Cap. 132. Sequenti vere episcopus et Thorvaldus occidentem versus in Vididalum cum suis profecti, villicationem Lækjamoti instituerunt, ibique quatuor hiemes habitarunt, atque his annis multa Islandiæ loca ad prædicandum verbum dei obierunt. Primo anno, quo Lækjamoti habitarunt, Thorvaldus uxorem petivit sibi, nomine Vigdisam, filiam Olavi, qui Haukagili in Vatzdalo habitavit. Cum vero episcopus et Thorvaldus ad convivium nuptiale venirent, magna ibi aderat ethnicorum convivarum multitudo; erat ibi, uti tum temporis multis in locis mos fuit, magna diæta, quam transversam rivulus interfluebat, arte constructus. Cum vero christjani et ethnici a mutua consuetudine abhorrerent, ea ratio inita est, ut aulæis per transversam diætam, qua rivus erat, inter utrosque suspensis, episcopus in exteriore diæta cum christjanis, ethnici vero intra aulæum versarentur. Iisdem nuptiis cum aliis ethnicis duo fratres intererant, ferocissimi athletæ

utrique, et perquam multiscii, quorum uterque Haukus nominabatur; qui cum uni omnium totis viribus veræ religioni adversarentur, et christianam probitatem abolere studerent, provocarunt episcopum, si quid auderet, aut deo suo confideret, ut artibus, quas exercere solebant, secum certaret, nempe ignem flagrantem nudis pedibus transire, aut gladiis sine ulla noxa incumbere. Episcopus vero, divina misericordia fretus, rem non detrectavit. Tum ingentes ignes per diætam, quantum in longitudinem patebat, accensi, more tum temporis cerevisiam ad ignes bibendi solito. Episcopus, toto episcopali ornatu indutus, consecrata aqua, ad ignem accessit, mitram capite gerens, lituum manu tenens; ignemque consecravit et aqua aspersit. Deinde intrabant duo athletæ, horrendum frementes, oras clypeorum mordentes, ignemque pedibus transire parabant. Cum vero opinione citius igni adpropinquarent, ad titiones offendentes, proni ceciderunt ambo; mox igne tacti, horæ momento tanta vehementia flammæ consumti sunt, ut inde extracti sint exanimes; deinde elati, et juxta fauces, quæ eminde Haukagilum appellantur, sepulti sunt. Fridrekus episcopus, cum se nota crucis præsignaverat, medium ingressus ignem, per longitudinem diætæ procedebat, flamma ab utraque parte recedente, ut si ventus flaret, atque ipse noxium ignis ardorem adeo non sensit, ut ne mollissimæ quidem ornatus ejus fimbriæ ullo modo adustæ fuerint. Multi, viso hoc eximio miraculo, ad deum conversi sunt. Testatur Gunnlögus monachus, se hanc rem audivisse a viro veraci, Glumo Thorgilsis filio, narratam, Glumus vero eandem ex homine didicerat, qui Arnor Arndisæ filius nominatus est. Deinde

Olavus Haukagilensis templum in villa sua exstruxit, Thorvaldo materiem suppeditante.

Cap. 133. Episcopus et Thorvaldus omni studio in id incubuerunt, ut quam plurimos ad partes dei traducerent, non solum proximos pagos obeuntes, sed etiam in remotiora Islandiæ loca ad verbum dei annuntiandum profecti. Tempore comitiorum Hvammum in Breidafjardardalis, in occidentali insulæ parte, pervenerunt. Paterfamilias Thorarin domi non erat, Fridgerda vero, materfamilias, Thordi[1] Höfdensis filia, primo eos benigne excepit. Hic Thorvaldo homines ad fidem amplectendam adhortante, Fridgerda interea intus sacrificabat, ita, ut alter alterius verba audiret. Fridgerda ad dicta Thorvaldi pauca et mala responsa dedit; Skeggius vero, ipsius ex Thorarine filius, dicta Thorvaldi ludibrio habuit. Qua de re Thorvaldus hos versus composuit:

Rem pretiosam ferens circumii,
nullus virorum aures mihi
præbuit; ab annuli dispersore
vix bonam retulimus laudem.
Verum nulla cum modestia
annosa femina, ethnicæ
aræ adsidens, poetæ obganniit;
eam sacrificulam perdat deus[2]!

---

[1]) Gelleris, add. B.

[2]) Ordo: *Ek fór með hinn dýra dóm; engi drengr hlýddi mér gátum varliga góðan hróðr frá hrings hreyti a). En öldin b) vígr c) gall við d) skáldi af e) heiðnum stalli með enga f) svinnu g); guð h) greypi i) þá gyðju!* Abest in C; extat in Sk. II. p. 43.

a) prioris hemistichii versus ita exhibent F, S, Sk: *gátum háð af hreyti hlautteins* (*hrœteins*, F, Sk) *góða sveini*, excepti sumus cavillatione a sacri aspergilli (cadaverum tigilli, gladii, F, Sk) vibratore, deorum puero. *b*) *aldin*, id., Sk. *c*) *riðr* (*rigr*), Sk. *d*) *at*, id. Sk. *e*) *or*, ex, S, Sk. *f*) *ógnar*, immani, F, Sk. *g*) *sennu*, loquacitate, F, S, Sk; *spennu*, contentione, B. *h*) *gérðir*, Sk. *i*) forte

Non memoriæ proditum est, ullos quadrantis occidentalis incolas adhortationibus eorum ad christianam religionem perductos fuisse; verum cum pagos boreales obirent, aliquot melioris notæ viri veram religionem amplexi sunt: Önundus in Reykjadalo, filius Thorgilsis Grenjadi[1] filii, et Hlennius de Saurbæo in Eyafjördo, et Thorvardus in Ase juxta Hjaltadalum; hic filius erat Spak-Bödvaris (Bödvaris Sapientis), Öndotti filii, unius e primis insulæ occupatoribus, qui Vidvikæ habitavit; idem fratrem habuit nomine Arngeirem, alterumque nomine Thordum. Hi et adhuc plures ex incolis quadrantis borealis ex toto christiani facti sunt; multi quoque fuerunt, qui, quamvis in præsens baptismo initiari nollent, Christo tamen nomen dederunt, cultu idolorum et omni gentili ritu derelicto, neque fanis tributa pendere voluerunt. Propterea ethnici, Fridreko episcopo irati, odio persecuti sunt omnes, qui ei consenserunt. Thorvardus Spak-Bödvaris filius templum prædio suo Ase exstruendum curavit, cui traditum ab episcopo sacerdotem præfecit, qui sacra sibi caneret et rem divinam administraret. Qua re ira incensus Klöjvius, filius Thorvaldi Refi filii de Bardo in Fljotis, vir magnæ dignitatis, fratres Thorvardi, Arngeirem et Thordum, convenit, eo consilio, ut conditionem utramlibet illis proponeret, aut interficiendi sacerdotis, aut templi cremandi. Respondet Arngeir: dehortor te, et quemcunque mihi amicum, ne sacerdotem interimas, nam Thorvaldus, frater meus, leviores injurias, quam hanc existimaturum opinor, atrociter ultus est; illud vero sua-

rectius *greipt*, duriter tractet, a *greipr* sævus; *kreppi*, torqueat, F, Sk; *greppi*, B; *hreppi*, S.

1) Greinadi, B. S.

deo, templum ut cremes. Noluit Thordus cum iis hac in re consentire. Paulo post Klöjvius, novem viris comitatus, noctu templum incendere aggressus est; cum vero appropinquarent, cœmeterium ingressi, vehementem æstum animadverterunt, crebrasque scintillas ex templi fenestris emicare observabant; quare discesserunt, templum igne plenum esse arbitrati. Alio tempore Arngeir, magna cum manu profectus, idem templum concremare statuit; effractis vero foribus, cum ignem in pavimento, arido frutice admoto, accendere vellet, quod cremia ignem tardius concipiebant, introrsum per limen procumbens, prunas, quarum magna erat copia, flatu excitare voluit; sed frutex flammam non concepit. Tum accidens sagitta proxime caput ejus pavimento infixa est, et mox altera advolans vestes ejus pavimento adfixit, inter latus hominis atque, quo indutus erat, indusium interlapsa. Ille subito exsilire et dicere: tam prope latus meum hæc accidit sagitta, ut, tertiam hoc loco non exspectare, certum mihi sit. Ita deus ædem suam servavit. Arngeir cum suis discessit, neque sæpius ethnici conati sunt hoc templum concremare. Ædificatum est hoc templum sedecim annis ante religionem christianam legibus in Islandia receptam, atque ita permansit, ut refectum non esset.

Cap. 134. Æstate quadam Thorvaldus, rogatu episcopi, publice in comitiis totum populum ad fidem accipiendam adhortatus est. Cum vero multa et vera dei omnipotentis miracula magna eloquentia exposuerat, primus reposuit vir amplo genere et dignitate conspicuus, quamvis paganus et crudelis, Hedin de Svalbardo ex Eyafjardarstranda, filius Thorbjörnis, filii Skagii[1],

[1] Skeggii, B.

filii Skoptii. Hedin in matrimonio habuit Ragneidam, Eyolvi Valgerdæ filii privignam et ex fratre neptim. Hedin multa in Thorvaldum convicia, et impia desancta religione verba jactavit, malitiaque sua apud populum persuadendo effecit, ut nemo dictis Thorvaldi fidem adhiberet; quin ab eo tempore malitiosa insectatio et odium ethnicorum in episcopum et Thorvaldum tantum invaluit, ut poëtas pecunia conducerent, qui eos probroso carmine diffamarent, in quo hi versus sunt:

Quos sustulit novem pueros episcopus,
Thorvaldus omnium est pater.

Ob eam causam Thorvaldus hos duos interfecit, qui carmen composuerant; episcopus vero omnes injurias summa mansuetudine tulit. Cum vero Thorvaldus cum suis poëtas interfecerat, ad episcopum se contulit, quid fecisset, ei narraturus. Sedebat in domo episcopus, et librum quendam legebat; ante vero quam ingrederetur Thorvaldus, duæ guttæ sanguinis in librum, quem legebat episcopus, deciderunt; quas futuri prænuntias esse intelligens episcopus, ingredienti Thorvaldo dixit: aut cædem commisisti, aut homicidium animo agitas. Thorvaldo, quid fecisset, confitente, episcopus quæsivit: cur ita rem instituisti? Thorvaldus: ferre non potui, cum nos molles compellarunt. Episcopus: parvum fuit patientiæ documentum, æquo animo ferre, esti mentirentur, te pueros procreasse; tu vero dicta eorum in pejorem partem accepisti, facile enim liberos tuos ferre potuissem, si quos habuisses; non decet hominem christianum, etsi per odium contumelia afficiatur, se ipsum ulcisci studere, sed potius exprobrationes et injurias dei causa patienter perferre.

Cap. 135. Etsi vero multa incommoda, ab malis illata hominibus, perferenda illis essent, tamen non eo magis destiterunt, pagos circumire et verbum dei annuntiare. In Laxardalum devenientes, aliquamdiu sub Eylifsfello apud Atlium Robustum, Thorvaldi patruum, commorati sunt. Tum Atlius cum domesticis suis baptizatus est, multique alii, eo advenientes, præsente per verba eorum spiritus sancti gratia. Tum quoque, divino auspicio, fama de episcopo advolavit ad aures pueruli cujusdam quinquennis, Ingimundi, filii Hafuris Goddalensis, qui in Reykjastranda educabatur. Die quodam Ingimundus opilionem nutricii sui conveniens, rogavit, ut se clam Eilifsfjallum deduceret, episcopi visendi gratia; hoc ei opilio concessit; superata Kjartansgjaa (chasmate Kjartanis), occidentem versus per montem in Laxardalum transcenderunt. Cum vero domum Atlii, Eylifsfellum, pervenerunt, orare cœpit puer, ut baptizaretur. Atlius puerum manu prehensum ad episcopum duxit, dicens: hic puer ampli viri, et tamen ethnici, filius est, qui, tam patre quam nutricio inconsultis et insciis, baptizari desiderat; tu vero, quid hic faciendum sit, vide; neque enim dubium est, si baptizatus fuerit, quin horum utrique magnopere sit displicitúrum. Episcopus ridens respondit: sanequam, inquit, parvo natu puerulo tam sanctum officium haud denegandum est, inprimis cum præ adultis cognatis in rem suam salutariter[1] sapiat. Deinde episcopus Ingimundum baptizavit, eumque antequam abiret, docuit, quæ christiano maxime servanda fuerunt.

Cap. 136. Dicitur Fridrekus episcopus virum baptizavisse, nomine Manium, qui cum

[1]) *heilsamligri*, B, *heilsamliga*, A.

sanctam fidem multis virtutibus et pia vita coleret, Manius Christjanus appellatus est; hic Holti in Kolgumyris[1] habitavit; hic ædem sacram exstruxit, in qua æde deum dies noctesque colebat sacris precibus et eleemosynis, quas multifarias pauperibus hominibus præbuit. Illi locus piscaturæ fuit in amne, haud procul inde fluente, quo loco hodieque Manafors (cataracta Manii) ex ejus nomine appellatur; nam tempore quodam, annonæ caritate et fame ingravescente, cum nihil haberet, quo esurientes nutriret, amnem petiit, et satis salmonum in gurgite sub cataracta cepit; hanc salmonum capturam templo Holtensi attribuit, et testatur Gunnlaugus monachus, hoc capturæ jus semper exinde ad idem templum pertinuisse. Juxta idem templum etiamnum vestigia apparent, eum ibi ut solitarium (anachoretam) habitasse; nempe quemadmodum a plerisque sui temporis hominibus animo remotus erat, ita quoque corporali consuetudine se a vulgi strepitu semovere voluit; conspicitur enim juxta cœmeterium locus, prati aggere septus, ubi æstivo tempore opus fœnarium exercuisse dicitur, unde unam vaccam, cujus lacte vivebat, hieme pasceret; maluit enim manuum suarum labore victum quærere, quam convictu uti gentilium, qui eum oderunt. Hic locus exinde Managerdum (septum Manii) appellatus est.

Aggressio hostilis adversus Fridrekum episcopum.

Cap. 137. Ut vero paucis exponamus de multis illis injuriis et insectationibus, quas ob veræ religionis prædicationem Fridreko episcopo et

[1]) idem nomen pagi, in tractu Hunavatnensi siti, occurrit in Heidarvigas. init., sed in Landn. p. 199 *Kolkumýrar*; in Vatnsdæla mscr Cap. 70, *Holkumýrar* et *Holkumýri*.

Thorvaldo gentiles intulerunt: accidit, ut in Hegranesum ad verna comitia equitare vellent; cum vero comitio adpropinquarent, tota ethnicorum multitudo exiliit, et adversum eos decucurrit; alii saxa in eos ingerebant, alii armis et scutis conquassatis eos territabant cum strepitu et vociferatione, petentes, ut dii inimicos suos profligarent; quare factum est, ut iis nullo modo comitia adire licuerit. Tum episcopus: nunc somnium matri olim oblatum evenit, quo sibi visa est pilum lupi in capite meo invenire, nam nunc, luporum nocentium instar, terribili clamore et hostili impetu rejicimur et expellimur. Post hæc episcopus et Thorvaldus Lækjamotum redierunt, ibique per æstatem commorabantur. Eadem æstate post comitia universalia, aliquot pagani principes copias contraxerunt, ita, ut duas centurias hominum duodenarias[1] haberent; hi Lækjamotum tendebant, episcopum cum omni comitatu in ædibus concrematuri. Cum vero haud procul a prædio Lækjamoto abessent, equis descenderunt, ut respirationem iis darent; quo facto, cum equos rursus conscenderant, subito multis alitibus advolantibus, equi consternati tanto furore correpti sunt, ut, qui conscenderant, partim deturbati colliderentur, partim in saxa dejecti pedes aut brachia confringerent aliasve contusiones acciperent, partim in arma delapsi gravibus plagis mulcarentur; in alios equi ruebant eosque lædebant; his minimum incommodi accidit, qui, equis aufugientibus, relicti, per longum spatium domum pedites repetere cogebantur. His de causis reversi sunt. Ita omnipotentis dei clementia suos protexit, ut episco-

[1]) centuria duodenaria est centuria duodecim decuriis constans; multa enim antiqui, ut Varro ait, duodenario numero finiebant.

pus ac sui non modo nihil incommodi ex malitia et insidiis ethnicorum paterentur, sed ne omnino quidem hanc aggressionem et consilium comperirent. Hic quartus erat annus, quo Thorvaldus et episcopus Lækjamoti habitarunt; æstate vero proxime sequenti peregre profecti, primum Norvegiam petierunt, ibique aliquamdiu in portu quodam ad ancoras steterunt. Tum idem vir, cujus ante mentio facta est, Hedin de Svalbardo, ex Islandia advectus, navem in eundem portum constituit. Hedin, e navi egressus, in sylvam materiei cædendæ causa exiit. Quo cognito, Thorvaldus, advocato servo, in sylvam, ubi Hedin erat, se contulit, et servum jussit interficere Hedinem; cum vero ad navem regressus rem episcopo exposuisset, respondit episcopus: propter hanc cædem diversi discedemus, sero enim ab homicidiis patrandis abstineri potes. Post hæc episcopus Fridrekus in Saxoniam rediit, ibique in eximia sanctitate vita functus est, æternum præmium ab deo omnitenente pro sua benevolentia et temporali labore consecutus.

De Thorvaldo peregrinatore.

Cap. 138. Thorvaldus multos postea annos vixit; cum vero vehementioris esset ingenii, robustus et perquam animosus, deique præcepta diligentissimo studio servaret, desperavit, si in patriam reversus esset, posse se omni ex parte, ut dei amore ductum oporteret, vexationes et injurias conterraneorum perferre; quare id consilii cepit, ut sæpius Islandiam non viseret; itaque peregrinationem ad terras exteras suscepit, idque Jorsalos (Hierosolymam) usque ad sancta loca cognoscenda. Peragrato toto Græcorum regno, Miklagardum pervenit, ubi ab imperatore magno honore exceptus, mul-

tisque eximiis muneribus, amicitiæ pignoribus, donatus est; dei enim misericordia ei tam præsens adfuit, et, quocunque veniret, fama ejus ad aures populi ita præcurrebat, ut æstimaretur et laudaretur a minimis et maximis, veluti columen et sustentaculum veræ religionis, et honoraretur, tanquam gloriosus confessor domini nostri, Jesu Christi, ab ipso Miklagardi imperatore et omnibus ejus comitibus, neque minus ab omnibus episcopis et abbatibus per totum Græcorum imperium totamque Syriam; maxime vero honoratus est in terris orientalibus, eo ab imperatore missus, ut dux aut magistratus, omnibus regibus Russiæ et totius Gardarikiæ præfectus. Hic Thorvaldus Kodranis filius juxta templum primarium, Johanni Baptistæ dicatum, celebre monasterium a fundamentis exstruxit, eique satis possessionum attribuit, quod deinde semper ex ejus nomine monasterium Thorvaldianum appellatum est; in eo monasterio vita functus, ibique sepultus est. Hoc monasterium sub alta rupe stat, quæ Drafna dicitur. Cum Fridrekus episcopus et Thorvaldus in Islandiam venerunt, elapsi erant ab incarnatione domini nostri, Jesu Christi, anni nongenti octoginta et unus, sed ab initio inhabitatæ Islandiæ una annorum centuria denaria[1] et sex anni. Tribus post annis Thorvaldus Spak-Böðvaris filius templum Ase ædificavit.

De Stefnere Thorgilsis filio.

Cap. 139. Vir erat nomine Stefner, filius Thorgilsis, filii Eilivi, filii Helgii Bjolæ, filii Ketilis Sflonis, filii Björnis Bunæ. Stefner in Kjalarneso educatus erat, et ibi, dum puer esset, adolevit; adolescens peregre profectus,

[1]) per centuriam denariam intellige centuriam decem decuriis constantem.

religionem christjanam in Dania amplexus est, et vir illustris evasit. Stefner cum Thorvaldo Kodranis filio congressus, cum eo una multa terræ loca obiit ad sancta loca lustranda potentiumque virorum mores cognoscendos; tandem ad terras septemtrionales reversus, Olavum Tryggvii filium in regionibus occidentalibus convenit, in ejusque satellitium receptus, ab occidente in Norvegiam regem comitatus est.

Christjana religio ab rege Olavo annuntiata.

Cap. 140. Rex Olavus Tryggvii filius, procedente jam eadem hieme, qua rex in Thrandheimo creatus erat, in regni partes orientales per mediterranea ad limites usque regni profectus, omnes regiones, ut ante dictum est, sibi subjecit. Primo vere rex, magno comitatu stipatus, in Vikiam descendit, ibique multum veris consumsit; eo multi ad eum viri potentes convenerunt, qui partim ipsius erant cognati, partim amici fuerant regis Tryggvii, patris ejus, a quibus summa voluntate exceptus est. Habitabant in Vikia duo fratres, opibus valentes et amplo genere, quorum uni nomen erat Thorgeir, alteri Hyrningus; hi regem Olavum conveniebant. Iidem coram Lodine, vitrico regis, mentionem intulerant de petendis filiabus Lodinis et Astridæ, matris Olavi regis; quibus Lodin liberaliter respondens, rem ad regem Olavum, cujus sorores essent, rejecit. Die quodam rex, convocatis ad colloquium avunculis suis, Josteine, Karlshöfude et Thorkele Dydrile (Cauda), horumque vitrico Lodine, nec non Thorgeire et Hyrningo, viris per totam Vikiam auctoritate valentissimis, orationem summa cum cura et gravitate exorsus est: notum vobis facere volo, inquit, constituisse me, hanc in terram religionem christjanam introdu-

cere, atque effectum dabo, ut totam christianam reddam Norvegiam, aut aliter moriar; quare volo, ut hac in re mecum consentiatis, et deinde hoc grave negotium totis viribus peragatis, ut hoc salutare institutum ad effectum perduci queat; ideo vero vobis hoc consilium prius aperui, quam aliis hujus regni civibus, quod persuasum habueram, si vos fratres, Thorgeir ac Hyrningus, calculum addere voluissetis, futurum, ut hæc novitas, vestra potentia et auctoritate fulta, publice reciperetur, cognatorum meorum, item Lodinis, vitrici mei, ob affinitatis conjunctionem, benevolis in me studiis maxime confisus. Tum respondet Thorgeir: promtam ad hanc rem dabo responsionem: si tu, rex, nobis fratribus sorores tuas, Ingiridam et Ingigerdam, collocare vis, accedente consensu Lodinis, patris earum, aliorumque cognatorum, tum nos te omnibus nostris opibus et auxiliis juvabimus, quicquid peragendum susceperis, omnesque amicos et propinquos nostros, apud quos adhortationibus et consiliis locus erit, ad officium erga te perducemus; tibi quoque jam innotuit, relatione fide dignorum hominum, generis nostri et possessionum amplitudo, etsi in hac terra haud diu versatus sis. Rex respondet: ego vero novi vestram opulentiam generisque claritatem, novi spectatam fidem et virtutem; quare, si non contra voluntatem virginum aut earum cognatorum erit, hujus, quam petitis, conditionis potestatem lubens vobis faciam; vos omnes, affines meos et cognatos, potentia et honoribus augebo, si in religione christiana propaganda me adjuvare vultis, quod a vobis fieri, nunc maximi interesse judico. Omnes, qui in hoc concilio aderant, polliciti sunt, sese ac

[1]) patris, B.

omnes, qui suis dictis morem gerere vellent, imperata regis adjuturos. Deinde de petitione fratrum agi cœptum, eo rei exitu, ut illi filias Lodinis et Astridæ ducerent, et convivium nuptiale prima æstate in Vikia celebraretur. Hoc habito concilio, rex Olavus universo populo palam fecit, velle se omnibus sui regni civibus religionem christianam imperare; cui imperato primi paruerunt, qui id, ut modo dictum est, ante acceptarant, qui quidem eorum, qui ei concilio interfuerant, maximæ fuerunt auctoritatis; quorum exempla alii secuti sunt; deinde omnes homines in Vikia ab orientali sinus parte baptizati. His peractis, rex nuptiis fratrum præsens adfuit, quod convivium liberaliter et splendide apparatum est. Post convivium rex Olavus, in borealem Vikiæ partem profectus, omnibus veram religionem imperavit, his vero, qui adversabantur, graves pœnas irrogavit, quosdam interfici, alios manibus aut pedibus mutilari jussit, alios regno expulit. Quibus rebus factum est, ut per totam ditionem, quam rex Tryggvius, pater suus, tenuerat, item eam, cui rex Haraldus Grœnlandus, cognatus suus, præfuerat, universus populus annuntiatam ab rege Olavo christianam religionem acceptaret. Ita tum tota Vikia ad religionem christianam perducta est.

Oratio regis Olavi ad rusticos.

Cap. 141. Rex Olavus, instructis in Vikia navibus, boream versus in Agdas [1] contendit, numeroso et specioso comitatu stipatus; ubicunque vero conventus rusticorum ageret, lustrationem baptismi omnibus imperavit, cumque rusticis copiæ ad resistendum essent nullæ, quocunque veniret, omnes religionem christianam

[1] Grœnlandum, F.

amplexi, baptismo initiati sunt. Rex Olavus comitia in Mostria Sunnhördiæ indixit. Ubi vero missa ab rege comitiorum tessera ad rusticos perlata esset, frequentes congregati, colloquia instituunt, et consilia conferunt de harum rerum difficultatibus, quod cognovissent, regem Olavum in quovis conventu novam et ignotam edicere religionem, omnibusque necessitatem imponere hujus tenendæ et observandæ, illius vero rejiciendæ, exstinguendæ et abolendæ, quam ante populus observavisset. Convenit inter eos, ut huic imperato totis viribus resistant, tres viros suæ factionis prudentissimos et disertissimos deligant, qui regi contradicant, si hanc rem proponere velit; libereque testentur, ipsos nihil legibus contrarium, etsi ab rege imperatum, pati velle. Proxima nocte, antequam comitia haberentur, sanctus Martinus episcopus regi Olavo in somnis apparuit, et sic locutus est: ea fuit in hac terra consuetudo, uti multis aliis in locis, ubi ethnici habitant, ut cerevisia Thori et Odini data, plenaque pocula Asis dedicata fuerint, sicubi compotationes aut convivia habita sunt; nunc autem volo, ut aliam rationem in conviviis et compotationibus, ubi poculis præfari solent, institutas, nempe, ut prava illa consuetudo, quæ adhuc invaluit, abolescat, tu vero mihi et deo ejusque sanctis jube poculis præfari, ego autem negotium tuum, cras peragendum, fulciam et confirmabo, ut ad effectum perveniat, multi enim adversari cogitant, teque semper ad prosperos bonarum rerum successus auxilio juvabo; rex sibi hæc polliceri visus est; deinde expérrectus somno, revocatis in memoriam, quæ sibi oblata essent, spem lætiorem animo præcepit. Eo die comitia adiit rex, quo magnus colonorum numerus

convenerat, et omnes in armis. Positis comitiis, rex in rupe quadam stetit, suique circumcirca, ipsi quoque armati, turba colonorum ulterius considente. Sic dicunt viri rerum periti, etiamnum in rupe quasi exiguas lacunas conspici, quo loco regii stantes et hastis innixi, stilos hastilium (σαυρωτῆρας) solo infixerant, et similiter regis Olavi vestigia, rupi ita impressa, ut si in molli nive constiterit. Rex colonos comiter allocutus, sic infit: jam huc convenerunt multi et magni nominis viri principes, magnaque populi multitudo; omnibus hominibus, qui nostro jussu hæc comitia frequentarunt, ago habeoque gratias, sperans, hunc vestrum adventum honori nobis omnibus fore, tam in præsenti, quam in futuro. Notum vobis est, universum hujus terræ populum mihi imperium concessisse totius Norvegiæ, pollicitumque, se obedientiam et voluntarium officium ex mea voluntate præstiturum. Cum vero sperem, omnes fidem probe præstituros, non oportet me, vobis servitutem imponere, ut coëmtis mancipiis, sed honestis ministeriis adhibere, qualia generosi equites ab rege suo accipere debent; quare vos expertes esse nolo salutarium monitionum, quid vos facere oporteat, cuique apparere conveniat. Quod si mihi obedire velitis, equites vos faciam regis supremi, qui omnes se fideliter colentes amat, et non solum temporali regno beat, sed servos suos fratres reddit dulcis sui filii et æternæ beatitudinis coheredes; regnum enim terrestre ad nullam rem utile est, nisi quo regnum æternum, cujus nullus erit finis, redimatur. Propterea credatis in omnipotentem deum patrem, creatorem omnium, et in ejus benedictum filium, qui in hunc mundum nasci dignatus est ex benedicta sua matre

et virgine Maria, ad liberandum totum genus humanum, et in spiritum sanctum, unum deum in trinitate et trinum in unitate; et hac recepta fide vos baptizari sinatis in nomine patris et filii et spiritus sancti, atque ita fiatis dei omnipotentis filii et æterni regni heredes; diabolo vero et omni idolorum cultui renuntietis, cui illaqueatos vos, ut majores vestros, ad æternos cruciatus trahere secum studet, si in ejus officio permanebitis. Ut paucis rem expediam, omnes, tam pauperes, quam divites, qui facile et sponte hanc prædicationem accipiunt, in certam spem venient amicitiæ meæ æternique præmii, a deo omnitenente expectandi; qui vero adversantur, neque læto huic nuntio, quem tenere et observare maximi ipsorum interest, obsequuntur, iram meam pœnasque, quas adhibere potero, sentient. Rex longam et disertam habuit orationem; cum vero finem dicendi fecerat, surrexit ex colonis, qui inter eos unus in disertissimis erat, atque ab iis subornatus, ut primus regi responderet et religioni christianæ ab eo annuntiatæ contradiceret; hic vero, simulac fari incipere voluit, tanta tussi et spiritus difficultate laborare cœpit, ut nullam vocem expromere posset; quare resedit. Tum alius colonus surgebat, qui responsis cadere noluit, etsi priori res minus bene successisset; ut vero fari incepit, adeo balbus evasit, ut nullum verbum eloqui posset ita, ut intelligeretur; tum præsentes omnes ridere cœperunt; quo facto, ille resedit. Deinde tertius surrexit magna cum ira et fastu, et verba adversus regem facere voluit, linguæ volubilitate et exquisita oratione socios suos ulcisci cogitans; hic vero tam ravus et raucus extitit, ut nemo, quid loquere-

tur, audiret; quare, qui cum insolentia et fastu surrexerat, is cum ignominia et dedecore consedit. Deinde his in comitiis nemo erat, qui regi obloqueretur; quare factum est, ut omnes, quæ imperaverat rex, annuerent, rege non prius discedente, quam omnis comitialis multitudo baptizata esset. Tum rex sacerdoti Thangbrando id negotii dedit, ut mulieres, pueros, omnesque vicinos, qui ad comitia non venerant, baptizaret. Quacunque vero rex circumiens populum ad veram religionem convertebat, ibi delubra et aras destrui et comburi, eorumque loco templa ædificari jussit, et ubi usus maxime postulare videbatur, doctores constituit; idem omnia idola delenda, comburenda aut confringenda, curavit. Sic dicit Hallarstein:

Munificus princeps jussit
valde multa deorum templa,
et delubra comburi,
ethnicaque simulacra confringi.
Dux, observator morum diligens,
gentes virorum prudentes
religionem bonam docuit;
is regum potentissimus est [1].

Adventus Stefneris Thorgilsis filii in Islandiam.

Cap. 142. Stefner Islandus cum rege Olavo fuit, ut supra commemoratum est; rex cum eo sæpe sermones habuit, erat enim Stefner vir sapiens, et multa loca adierat; quare rex plurimum ab eo de institutis et moribus potentium

---

1) Ordo: *Fimildr fylkir vildi láta brenna firna mörg blóthús ok hörga; hann bað meiða heiðin goð. Siðvandr herlundr kendi síðan sannfróðum a) hölda b) kindum góða trú; hann er ríkztr konúngmanna c).* Abest in C; extat in Sk. II, p. 61.

a) sannfróðr, sciens veri, F, Sk. *b) hauka*, B. *c)* ita dedi; *konúngr manna*, A; *kóngmanna*, Sk.

principum exterorum, ut et de itineribus ipsius atque Thorvaldi Kodranis filii, scitatus est. Stefner ad ea, quæ interrogavit rex, respondit. Rex porro Stefnerem interrogavit, an ei in animo esset, cognatos suos in Islandia visere, iisque sanctam fidem annuntiare. Stefner respondet: ita Thorvaldus a plerisque hominibus ibi acceptus est, quando hoc consilio adiit Islandiam cum Fridreko episcopo, ut me hujus rei desiderium non teneat, et tamen ille ad hanc religionem annuntiandam omni nomine magis idoneus erat, quam ego. Rex contra: quoniam ita exorsus sum christjanam religionem heic in Norvegia annuntiare, ut omnino cum animo statutum habuerim, non prius hoc incepto desistere, quam totum populum ad veram religionem traduxerim, non minus omni studio operam dabo, ut ad deum perducam populum, qui Islandiam ceterasve incolit regiones boreales, quæ propter commercia, aut subvectiones necessariarum rerum, quibus nec ipsi carere possumus, et quarum nonnullis hinc exportatis hæ terræ multo minus carere possunt, huic regno conjunctæ sunt. Id vero minime convenit, homines christjanos fidem suam ita contaminare, ut cum ethnicis commercio aut amicitiæ consuetudine, ut fratres fratribus, jungantur. Quare potissimum animo statui, te in Islandiam mittere ad nomen dei prædicandum, et experiundum, quem exitum res habitura sit; neque ego alium hominem video heic apud nos, qui ad hanc rem magis idoneus sit, eorum enim conterraneus es, et illustri loco natus, et in sancta fide et moribus perfectus. Stefner respondet: libenter quidem jussam a te legationem suscipiam, sive me in Islandiam, sive alio, mittere

volueris, sed vereor, ne ad irritum cadat profectio mea, etenim Islandi, cognati mei, tractatu sunt difficiles, neque facile ab cœptis desistunt. Deinde Stefner, cum se ad profectionem in Islandiam paraverat, vela in altum dedit, aliquot secum habens doctos homines (clericos) et alios comites, ab rege Olavo traditos; prospero cursu ferebantur, brevi et commoda navigatione usi. Stefner aliquanto ante comitia in ostium Guvaæ navem appulit, et statim divinam doctrinam publice cœpit annuntiare; incolæ, cognita adventus ejus causa, et eum esse christjanum, male et indigne eum acceperunt, cognati vero pessime omnium. Ille decimus ipse tam occidentalem, quam australem, insulæ partem intrepidus obiit; cum vero intelligeret, neminem in his pagis adhortationibus suis moveri, quod in australi et occidentali quadrante omnes pagani erant, ira incensus, fana et aras demoliri, et simulacra deorum auxilio comitum comburere, occepit. Quo facto, ethnici coactis copiis, ne fana destruerentur diive læderentur, prohibuerunt. Eadem æstate in comitiis universalibus lege sancitum est, quemvis hominem exilii pœna multandum esse, qui deos vituperaret, aut illis noxam aliquam, aut contumeliam, afferret; hæc crimina persequerentur cognati, his, qui criminibus tenebantur, tertio et quarto lineæ collateralis æqualis gradu et intermediis gradibus juncti; ethnici enim christjanismum pro dedecore gentilitio habuerunt. Quam ob causam Stefner in jus vocatus est ab cognatis suis, filiis Osvifuris, filii Helgii, filii Ottaris, filii Björnis, filii Ketilis Silonis; his nomina fuere: Thorolvus et Askel, Torradus et Vandradus, sed Ospakus, frater eorum, noluit eum reum facere. Qui cum Stef-

nerem reum peregerant, hic iis ita respondit: hæc, qua me damnavistis, pœna non mihi nocebit, vos vero, paucis abhinc interjectis hiemibus, graves calamitates et malignam fortunam experiemini. Navis Stefneris hac hieme in ostio Guvaæ subducta stabat; sequenti autem vere, cum nix montana solvi cœpisset, inundatione fluminis et vehementia tempestatis abrepta et in altum delata est, ethnicis pro certo habentibus, deos, Stefneri iratos, hujus eventi auctores esse. Qua de re hos versus composuerunt:

Vehemens turbo, a montibus
ortus, proræ accipitrem Stefneris
totum confregit; vortex montanus
cavam alvum navigii circumfluit;
certum esse affirmo, tantos
motus effectos esse vi divina;
deos adesse præsentes apparet;
amnis glacierum fragmina volvit[1].

Paullo post navis Stefneris ad terram appulsa est, parum aut nihil collisa, eaque vectus Stefner in Norvegiam trajecit.

De genere Hördakarii.

Cap. 143. Rex Olavus, cum universos Vi-

[1]) Ordo: *Fjallrænt felli a) veðr hefir nú brotit allan stafnvalinn Stefnis b); straumr af fjalli ferr um hol knerri; ek kveð heldr víst, at ásríki c) valdi slíkum gný d); bönd munu vera í landi e); á geisar með ísi.* Abest in B, C; extat in Sk. II, p. 63.

a) fellr, ruit, S, hoc ordine: *nú hefir allan stafnvalinn Stefnis brotit; fjallrænt veðr fellr af fjalli; straumr*, &c., nunc tota fracta est navis Stefneris; ventus montanus a montibus ruit; æstus, &c. *b) Stefni*, Stefneri, eod. sens., Sk. *c) allríkr*, præpotens, F, Sk; *ásríkr* (rect. *áss ríkr*), potens deus, S. *d) Freyr*, F, Sk. *e) vindr sleit band á landi*, ventus funem (navis) rupit in terra, Sk; *vindr sleit bönd af landi*, ventus a terra (spirans) funes rupit, F; *vamu með bönd í landi*, sine sensu, S.

kiæ incolas christianos reddiderat, eadem æstate, qua Stefner Islandiam petiit, ut modo dictum est, boream versus littora terræ prætervectus, quacunque terram adiret, omnes homines ad christianam religionem convertit, eosque rectos mores docuit. Tum temporis in Hördia multi potentes et celebres viri fuerunt, a genere Hördakarii (Karii Hördensis) oriundi. Hördakarius quatuor habuit filios, quorum unus erat Thorleivus Sapiens, alter Ögmundus, pater Thorolvi Strabonis, patris Erlingi de Sola; tertius Thordus, pater Klyppi ducis, qui regem Sigurdum Sievam, Gunnhildæ filium, occidit; quartus Ölmodus priscus, pater Askelis, patris Aslaki Fitjaskallii; quæ stirps, ab genere Hördakarii oriunda, maxima et celeberrima in Hördia fuit. Hi cognati, de imminenti periculo certiores facti, adventare regem Olavum, ab oriente littora terræ legentem, magno stipatum comitatu, et civibus contra leges antiquas vim et injurias inferre, omnesque pœnis et iniquis conditionibus multare, qui voluntati ejus obsisterent, tempus locumque conveniendi condixerunt, ut de rebus suis consultarent, noverunt enim, regem brevi adfuturum. Cum vero omnes cognati in unum convenissent, is, qui inter eos auctoritate plurimum valuit: norunt, inquit, omnes, qui huc convenere, regem Olavum Tryggvii filium brevi nos visurum, virum artibus, robore, rebus gestis, quibus multis in locis regiones sibi subjecit, celebrem, gloria ejus et nominis fama per omnes borealis orbis partes perlata. Quapropter præstat quidem et convenit, tali tantoque regi subjectum esse, ejusque jussis obtemperare, modo ut justa et æqua postulet; religio vero ignota, quam promulgat, magnopere nobis displicet. Meum ita-

que consilium est, ut nos, cognati, his postulatis aures non præbeamus, nisi rex aliquid nobis gratificetur, quo noster augeatur honos et dignitas. Hæc ratio omnium applausu excepta est. Hoc concilium ita dirimtum est, ut omnium consensu et voluntate decretum sit, ut universi frequentes ad comitia Gulensia adessent, ibique regem Olavum, si vellet, convenirent.

Cap. 144. Hæc gens, ab Hördakario descendens, per longam ætatem in Hördia auctoritatem exercuerat. Thorolvus Strabo Jadari præfuit, vir opibus valens et factiosus, in re militari perquam versatus, atque injuriosus; filio ejus nomen erat Erlingus, ut supra docuimus; hic, dum tenera esset ætate, educatoris curæ commissus est, matureque magna erat statura et viribus, et ingenio haud facili esse credebatur.

De Rögnvaldo et Raudo.

Cap. 145. Vir nominatus est Lodin, qui Ærvikæ a meridie Stadi habitavit, vir dives, sed parum animosus; uxor ejus dicta est Gyda, forma venusta ingenioque vehementiore; his duo erant gnati: uni nomen erat Rögnvaldo, alteri Ulvo. Thorolvus Strabo amicus erat Lodini, uxori vero ejus amicior; idem sæpe a Lodine conviviis exceptus, et apud eum diu versatus est; is plurimum prolixos sermones cum uxore Lodinis habuit, famaque ferebat, eum ingratius eximia convivia et amica dona remunerare. Accidit aliquando, cum Strabo convivio Ærvikæ interesset, ut homines ante lucem cursu dietam intrantes, Thorolvo huntiarent, effractum esse cœnaculum, in quo Lodin dormiebat, ipsumque interfectum, ignaro hujus facinoris auctore. Thorolvus, acrius certari,

dixit; dicunt vero, rem parum cavisse, volgoque suspicionem habuit facinoris, quod ipsa res et ejus ibi commoratio admodum congruere videretur, nemo vero ausus est hoc palam proloqui. Thorolvus Gydæ procurationem suam offerebat, et annuentem domum secum duxit, fundos et res mobiles, quæ ibi erant, in possessionem suam redegit; filios Lodinis ad servitium cogere voluit; Rögnvaldus huic vitæ generi se submisit, Ulvus vero, cum servitutem pati nollet, ut mancipium venundatus et in longinquas terras ablegatus est, quare ejus in hac historia nulla fit mentio. Rögnvaldus cito maturuit, virque fuit magnæ staturæ et virium, forma spectabilis, brevique multo operi absolvendo par, et artificii fabrilis bene gnarus; hunc in numero servorum habitum, cum ad maturam ætatem pervenisset, aliis mancipiis regendis et operibus curandis Thorolvus præfecit. Aliquo tempore Rögnvaldus Thorolvo: volupe mihi foret, tecum versari, si mihi uxorem dederis, quæ ad animum meum fuerit. Ille contra: ea res mihi haud expedita difficilis videtur, cum familiæ serviles non desint; Sigrida nomen est feminæ, hanc tibi conciliabo; ea est filia minoris notæ rustici, hinc haud procul habitantis, quæ conditio tibi satis congruens est; tuam vero fidelitatem vicissim postulo. Rögnvaldus, se ei non sine fide servivisse, dixit. Res deinde ad effectum perducta, atque Sigrida Rögnvaldo nuptum data, venusta et operum muliebrium perita. Ex his brevi filius natus, nomine Gunnar, qui mature magna fuit statura pulcraque facie; hunc Thorolvus a parentibus abductum dilexit, ut si ipsius gnatus esset. Sic tres hiemes elapsæ sunt. Thorolvus Strabo quavis æstate piraticæ exercendæ causa excur-

rebat; Rögnvaldo rei familiaris procuratore domi interea constituto; per hiemes vero domi quietus manebat, magnam secum habens hominum multitudinem. Vere ejus anni, cum puer Gunnar, filius Rögnvaldi, trium annorum erat, Thorolvus pro more se ad expeditionem piraticam paravit; ante vero, quam domo proficisceretur, Rögnvaldum conveniens ita loquitur: hac æstate heic plus operis, quam proposito, administrari volo, constitui enim ingentem mihi diætam compotationis ædificandam curare, et hoc opus quam diligentissime elaboratum voluerim; hujus operis tu cum ceteris servis inspector esto, fabrosque comparato, magnam enim habes in administrando diligentiam et in fabricando dexteritatem; ego vero ita rem bene administratam putaverim, si in hac æde proximo autumno potuero amicos meos convivio excipere, et sic meam domum reditionem celebrare. Annuit Rögnvaldus. Thorolvus ad piraticam proficiscitur; Rögnvaldus vero, quæ ad ædificationem diætæ usui erant, comparat, duo fabros, genere Vindlandos, summos artifices, optima data conditione, conducit, peculiis Thorolvi non parcens, et cum his intimam jungit societatem; opus bene et cito processit. Rögnvaldus diligenter omnia lignorum segmenta et ramenta servanda curavit, et singula ad fabricam pertinentia unus præscripsit. Cum perfecta erat diæta et crypta[1] circumcirca, servos jussit ligna

[1]) *Skot* in veterum ædificiis fuit cavædium quoddam, sive μεσότοιχον, inter tabulatum et parietem, qua de re satis habeo lectorem delegare ad Egl. p. 397; eodem etiam spectat hypocausti descriptio in fragmento Vigastyrssagæ: *eldahúsið var ... lágað, að handraðar voru innan veggja, svo gángo mátti milli þeirra ok veggjanna á baki mönnum*; vita Vigaskutæ Cap.

domum vehere, et ab omnibus dimtis partibus struces parietibus altitudine pares accumulare; quæ omnia, ante quam Thorolvus autumno domum rediisset, absoluta sunt. Ut vero advenit, fabricam inspexit et probavit; quærit ab Rögnvaldo, cur tantas lignorum strues domum advehi fecerit. Ille respondet: primo, quia me distædet, tantas audire querelas lignorum inopiæ quavis hieme heic loci, ubi magna copia opus est; deinde vero, quod nolui parietes domus recentes, neque satis picatos, solibus fumos agere. Thorolvus, hæc non amplius curans, splendidum convivium in diæta apparari fecit, amicosque suos advocavit. Potus erat validissimus, et abunde præbitus est. Rögnvaldus plurimum in eo negotii curæque habuit, ut cerevisiam provideret, et intro afferret; fabri Ørlandi cerevisiam infundebant. Hortatus est Rögnvaldus, ut potum quam studiosissime convivis afferrent, neque enim copia defuit, dicens, in eo maxime verti magnorum conviviorum famam, si convivæ primo statim tempore inebrientur; et pocillatores consiliorum ejus erant consortes, et propositorum conscii. Thorolvus Strabo puerum Gunnarem intimo amore diligebat, eique nuper rubram tunicam coccineam concinnandam curaverat, et eum [illegible] in primaria sede collocaverat. Jam primo statim vespere tam immodice pocalis indulserunt convivæ, ut in sua quisque sede somno oppressus jacuerit. Quo cum res devenisset, quamvis non opus esset cerevisiam intro portare, tamen Rögnvaldus nondum ab opere cessavit, [illegible]

[illegible] i. hann (Arnórr) var at ok smíðaði skot. um skála [illegible] gaf (Þórbergr) honum hálft hundrað silfrs til, at hann [illegible] þeim miklum þar í skotinu hjá sér, et post: nú fleygr [illegible] fylit, ok menninnilt fram, &c.

tum innotuit, cui usui essent lignorum ramenta, quæ præcedente æstate conservaverat. Vindlandi enim, operis administri, magnam lignorum copiam ad fores diætæ congesserunt, omnia ramenta domum ad diætam apportarunt, deinde his omnibus atque ingentibus struibus ignem subjecerunt; quo facto, tota cœpit diæta conflagrare. Tum Rögnvaldus ingressus Gunnarem filium ex sede primaria ab latere Thorolvi corripit, et dormientem ad matrem effert, optans, sero ut evigilaret: nunc enim valde sumus occupati, inquit. Illa nimium occupatos affirmavit. Homines, qui in diæta fuerunt, adeo erant quasi vino immortui, ut non prius evigilarent, quam lambente flamma hauriren-tur; quare diæta cum omnibus, qui intus erant, flammis absumta est. Rögnvaldus quoque cubiculum servorum, igne subjecto, cum omnibus, qui ibi intus erant, concremavit. Deinde ad litus descendunt, navigium comparant, et in sinum propellunt. Tum puer somno expergefactus, flammam et fumum in terra prospiciens, loquitur: mira se jam offerunt, nunc huc, neveni, sed paulo ante a latere nutritoris mei obdormivi; tu, sceleste Rögnvalde! sine dubio magni hujus incendii auctor es, quod præsium versus conspicio; præoptaverim ibi apud Thorolvum nutritium meum esse, quam hic apud te, non enim bene de me consules, qui in illum male consulueris. Rögnvaldus eum tacere jussit, excordem appellans. Post hæc boream versus contenderunt, magnam secum habentes pecuniam, tam supellectilem mensalem, quam argentum defæcatum, quas res Vindlandi extulerant domo, dum Rögnvaldus incendium apparabat. Cursu non facillimo usi, a meridie Stadi nave subversa, homines

Vindlandi periere, omnisque pecunia, quæ in navi erat; Raudus vero uxorem suam et filium servatos ad prædium Ærvikam deduxit. Thorolvus Strabo possessionibus, quæ ei hic erant, homines exiguæ dignitatis præfecerat, quibus expulsis, Rögnvaldus fundum occupavit; cognati ejus lætati sunt, quod res suas et bona a patre relicta recuperavisset. Rögnvaldus, cum boream versus Ærvikam pervenerat, ita dixit: Thorolvum Strabonem libertati se donavisse, possessiones suas pro diutino et fideli famulatu sibi reddidisse; quæ relatio omnibus veri esse similis videbatur. Incendium Thorolvi fama late perlatum est, nemo vero scire sibi visus est, quis auctor esset, neque magnopere de ea re perquisitum est, nam Erlingus, filius ejus, puer erat ætate, Thorolvus vero insolens et avarus fuerat, et ob eam causam minus apud populum gratiosus; quo accessit, quod plerique ejus cari amici cum eo in æde concremati fuerant. Cum vero Rögnvaldus paulisper se domi Ærvikæ continuerat, Gunnarem filium secum ad mare deduxit, exiguam scapham comparavit, deinde, sumto majori navigio, scapham longius in altum provexit, tum sumtum puerum cestis navigii minoris illigavit, deinde ventorum arbitrio permisit, ipse vero ad terram remigavit. Sigrida de ejus profectione quæsivit, quidve de puero fecisset. Ille, se non aperturum, plura, dixit, quam puerum non dicturum, quis Strabonem in æde concremavisset. Deinde Rögnvaldus in prædio suo Ærvika se continebat, et vir magnus existimatus est. Hoc vero de puero referendum, quod scapha, qua vehebatur, vento et æstu maritimo incitata, tandem ad insulam quandam depulsa est. Rögnvaldus rem ita instituerat, ut, quamvis deligatus ad navem puer

se ipse vinculis exsolvere non posset, tamen solutas haberet manus, ut cibum capere posset, quem ei ad vitam sustentandam Rögnvaldus dederat. Insulæ, ad quam appulsa est scapha, idololatra quidam præerat; ibi ingens erat fanum, Thori dicatum; hic vir scapham terræ appulsam reperit, miratusque, ut singula erant ordinata, puerum solvit, et alloquitur; ille vero tacuit. Vir sublatum puerum domum ad uxorem portavit; visus illis puer exoptatus et venustus, ipsi vero nullos liberos habuerunt; periculum faciunt, an quid loqui possit, neque verbum ab eo elicere possunt. Colonus vicinis suis, quid invenisset, aperuit, et scitatus est, an aliqui de hoc puero cognoscerent, unde venisset; nemo vero hoc dicere potuit. Tum colonus: quandoquidem hunc puerum nemo agnoscit, quid aliud, quam ut eum educem, meumque gnatum appellem: nomen vero ex colore tunicæ sortietur, et Raudus (rufus) appellabitur; itaque ibi adolevit, et in magnam staturam excrevit, et vir gnavus extitit. Hunc nutritius suus adeo dilexit, ut ei omnes facultates, quas moriens reliquisset, donaret. Hic idololatra ad multam ætatem non pervenit, illo vero mortuo, Raudus, in omnia ejus bona succedens, rei familiaris administrationem suscepit, et observantissimus deorum cultor extitit; hic dicitur simulacrum Thoris, quod in fano erat, magnis sacrificiis tanta vi auxisse, ut diabolus per simulacrum cum eo collocutus sit, idque ita moverit, ut interdiu cum eo sub dio ambulare videretur; quare Raudus simulacrum sæpe secum per insulam duxit.

Divortium Rögnvaldi et Sigridæ.

Cap. 146. Jam de Sigrida, Rögnvaldi Ærvikensis uxore, dicendum; ea aliquo tempore

in colloquium mariti veniens, sic infit: nos diu una amore juncti et contenti viximus, jam vero in animo est, nostram consuetudinem dirimere, rem enim, quo loco nunc est, non amplius profuturam existimo; consentiens et conscia tecum fui ingentium facinorum, quæ tam occulte patrasti; quippe experientia docuit, neminem, qui vel unum hominem clam interfecerit, felicem ad extremum finem esse; hæc vero gravia crimina, quibus impliciti sumus, majoris sunt momenti, quam unius hominis cædes furtiva. Jam vero audivi, in multis orbis terrarum locis aliam observari religionem, quam eam, quæ a nobis observatur, eosque, qui hanc religionem observent, nomen a deo, quem colant, Hvitakristo (albo Christo) appellato, sortitos, Christjanos appellari; audivi quoque, album Christum tam esse misericordem, ut nemo tam graviter deliquerit, quin ei omnia crimina condonentur, si christjanus esse, ejusque religionem servare, velit; accepi quoque, virum, conterraneum nostrum, multa terræ loca ad hanc religionem annuntiandam circumire; is appellatur Olavus, et est filius regis Tryggvii, Olavi filii; hunc ego quæsitum ibo, et si hæc omnia, quæ de his rebus accepi, vera esse deprehendero, religionem ab eo annuntiatam acceptabo, quo facto, fieri potest, ut res nostræ melius se habeant, quam quem in locum nunc sunt deductæ. Rögnvaldus respondet: penes te hujus rei arbitrium sit, ego vero remanebo, atque rerum nostrarum nulla foret mutatio, si mea valeret auctoritas. Deinde Sigrida cum mercatoribus in Angliam navigaturis peregre profecta, regem Olavum ab occidente maris convenit; quæ facultatem colloquendi nacta, ita infit: ideo huc veni, quod accepi, te aliam

tradere religionem, quam quæ in Norvegia recepta est; jam ego baptismum subire, et, quam tradis, religionem tenere et observare volo. Rex respondet: bono consilio ades, atque pauci sic christianismo sponte se offerunt, et equidem lubens faciam, ut hoc officium tibi præstetur. Tum Sigrida baptizata est. Deinde Sigrida regi locuta est: si hoc bene accidisse existimas, eveniet, quod vulgo dicitur: munus semper remunerationem respicere; tu in Norvegiam venies, ibique veram religionem annuntiabis, majore, ut spero, divinæ adjuvante clementia, fortunæ tuæ successu, quam incolarum malitiæ et contumaciæ. Notum vero tibi facere volo, virum esse, nomine Rögnvaldum, potentem et divitem, Ærvikæ a meridie Stadi in Norvegia habitantem, et hunc meum esse maritum; jam te rogo oroque, domine! ut in Norvegiam delatus, hunc virum leniter et speciosis verbis ad veram religionem perducas, blandis enim alloquiis, magis quam minis, homo movebitur. Alter vir est nomine Raudus, qui insulæ cuidam, Halogiam adjacenti, præest; hic, qua me attingat necessitudine, haud ita liquet. Hi utrique magni sunt viri, neque multis in rebus ingenio admodum dissimiles; atque, o rex! haud leve momentum habere judicabis, hos viros amicos tibi, magis quam inimicos, esse. Deinde regi diligenter exponit de rebus inter Straboneum et Rögnvaldum intercedentibus, item de potentioribus in Norvegia viris, qui qualesque tunc essent. Sigrida regem Olavum digredientem eximiis muneribus donavit, magnam enim pecuniam ab Norvegia advexerat; postea ad terras exteras peregrinata est, ibique vitam magna cum bonitate finivit. Post non ita multo rex

Olavus Tryggvii filius orientem versus in Norvegiam trajecit, ut supra scriptum est.

Erlingus Skjalgi filius uxorem ducit.

Cap. 147. Nunc inde ordiendum est, unde deflexit narratio: rex Olavus copias suas ad comitia Gulensia duxit, hic enim postulatis ejus responsa daturos coloni, missis nuntiis, significaverant. Cum vero utrique in comitiis aderant, rex primo, cum principibus populi instituto colloquio, his adventus sui causam exposuit, et, ut alios incolas, christjanam religionem amplecti jussit. Tum ex iis, qui potentia ceteros præstabat, respondet: nos cognati hac de re colloquia habuimus, et inter nos ita transegimus: si tu, o rex! nos ad aliquid cogere, legesque nostras conculcare, et nos vi sub imperium tuum redigere, cogitas, decrevimus totis viribus contra resistere, ut, quos adjuvabit fortuna, victoria potiantur; sin vero, rex! nos cognatos aliquibus beneficiis ornabis, id tam prolixe facere poteris, ut fidele tibi officium præstare omnes velimus. Respondet rex: quid ab me accipere vultis, ut quam firmissima pace et gratia jungamur? Tum idem princeps respondet: primum est, ut sororem tuam, Astridam, filiam Tryggvii regis, Erlingo Skjalgi filio, propinquo nostro, colloces, quem omnium in Norvegia juvenum optimæ spei judicamus. Rex contra: hanc conditionem bonam et honestam judico, Erlingus enim opibus et amplitudine generis et formæ gratia valet; sed penes Astridam hujus rei arbitrium est, quare explorabo, in qua voluntate sit, nam, ut divina religio christjana progressus faciat, nulli rei parcam, quam quidem propria facultate facile præstare potuero. Deinde rex mentionem de hac re

cum sorore sua fecit, an, se suasore, Erlingo nubere vellet. Cui Astrida: ergo parum mihi proderit, inquit, regis esse gnatam, regis esse sororem utrinque germanam, si viro nuptui collocabor, ignobili loco nato; ego vero potius aliquot per hiemes aliam exspectabo conditionem; ita finito colloquio, discessit. Rex accipitrem, qui Astridæ fuit, sumi et plumis omnibus nudari jussit, hunc deinde sorori misit. Heic Astrida: nunc iratus est frater meus; surgit illico, convenit regem; ille bene eam excepit; tum ea orare, quæ ipsi placeat, conditionem sibi ut rex prospiciat. Ille: putavi, inquit, esse in potestate mea, quem vellem hominem hoc in regno ad honores evehere. Tum rex Erlingum omnesque ejus cognatos ad se vocari jussit; deinde de re uxoria agi cœptum, eo exitu, ut Astrida Erlingo desponderetur. Deinde rex conventum habuit et colonos religionem christianam amplecti jussit, quæ res, auctore Erlingo et adjutoribus omnibus cognatis ejus, ab universo populo probata est, quod nemo ex optimatibus erat, qui contra diceret. Tum omnis populus baptizatus et christianus factus. Paulo post Erlingus nuptias suas celebravit, magnaque hominum multitudine frequentavit; aderat rex Olavus, qui cum Erlingo dynastæ titulum et amplam ditionem polliceretur, Erlingus respondit: duces fuere majores mei, nolo majorem gerere honoris titulum, quam illi, illud vero optarim, rex, ut esse me facias summum hac in terra virum cum hoc titulo; quod pollicitus rex Olavus, Erlingo digrediens imperium donavit, versus boream, ab mari Sognico, orientem versus usque ad Lidandisnesum, eodem modo atque filiis suis dederat rex Haraldus Pul-

cricomus. Rex porro septemtrionem versus littora legebat, convivia obiens, et quocunque veniret, nomen dei annuntians.

Rex Olavus Rögnvaldum convenit.

Cap. 148. Rex Olavus, cum convivio prope ab Ærvika interesset, reminiscens, quæ Sigrida de Rögnvaldo, marito suo, ut supra dictum est, commemoraverat, missis nuntiis Rögnvaldum ad se venire jussit. Missi Rögnvaldum convenerunt et ei mandata regis exposuerunt. His Rögnvaldus: exoptatos vos adesse jubeo, inquit, intro ad potandum ite, et hic, dum libuerit, manete; ego vero, quod regem conveniam, me causas habere nescio, si nescitis ipsi. Regii, ad regem reversi, exacte responsa ejus retulerunt. Tum rex: erit mihi res cum illo, si illi mecum non est, atque frequens eo veniam. Rögnvaldus, cognito, adfuturum regem, suos omnes domo ablegavit. Cum vero rex villæ adpropinquaret, videbant unum hominem foris. Regi, quis hic esset, quærenti, nuntiant, Rögnvaldum colonum esse. Rex: en vir magnus et magna fatorum spe! Rögnvaldus solus regi obviam ibat et eum salutavit, quem rex amice resalutavit. Deinde rex: eadem de causa veni ad te, Rögnvalde, atque ad ceteros omnes hujus terræ incolas, quod volo te credere in omnipotentem deum patrem et filium et sanctum spiritum, creatorem cœli et terræ et omnium rerum visibilium et invisibilium; hac recepta fide diabolum negato et omnia ejus opera et fraudes, et omnia idola, horumque cultum. Deinde tu, ut alius, quicunque animæ suæ consulere et æternam vitam adipisci vult, baptismum suscipito in nomine sanctæ trinitatis, cum vera pœnitentia et confessione peccatorum tuorum; deus vero, in quem creden-

dum tibi est, tam potens, clemens et misericors est, ut omnia hominis peccata in baptismo abluat, quantumvis mali ante fecerit, si modo se sacerdoti ad confessionem sistat et peccata sua vera poenitentia fateatur. Cum rex finem dictis fecerat, Rögnvaldus respondit: in mea religione secundam fortunam diu expertus sum, verumtamen placent mihi quæ proponis, uno excepto, quod dicis, subeundam esse confessionem actionesque fatendas, multo enim plura usu mihi venerunt, quam quæ eloquar, quapropter traditam a te religionem non acceptabo, neque tamen alios a profitenda religione christiana dehortabor. Tum rex comprehendi Rögnvaldum jussit, et eum in custodia habuit.

Quatuor provinciarum conventus in Dragsheida.

Cap. 149. Hac eadem æstate rex Olavus quatuor provinciarum conventum indixit in Stado in Dragsheida, quo Sognenses, Fjördenses, Sunnmærenses et Raumdalenses convenirent. Rex Olavus conventum frequentavit, magnam habens multitudinem hominum, quos ex regno orientali adduxerat, et præterea copias, quæ ad eum in Rogalando et Hordia venerant. Coloni, ut constitutum fuerat, in comitia venerunt. Ut vero rex eo cum copiis suis advenerat, ibi, ut aliis in locis, religionem christianam imperavit, et colonos ad imperata facienda tardiores animadvertens, optionem tandem dedit, ut aut prœlio secum decernerent, aut aliter baptismum et veram religionem acceptarent. Coloni, quod rex magnum habebat copiarum numerum, intellexerunt, se regi prœlio fore inferiores, quare eo descensum est, ut omnis populus christianus fieret et sacro baptismo ab-

lueretur. Postea rex insulam Seljam accessit, et ibi funus reperit sanctæ Sunnevæ, sacrasque reliquias beatæ cohortis, quæ comitata eam fuerat, ut ante scriptum est. Deinde rex in Nordmæriam cum suis profectus, hanc provinciam christianam reddidit.

Rex Olavus Raudum convenit.

Cap. 150. His peractis, rex Olavus per interiora Hladas navigavit, fanum destrui, et omnem, quæ ibi erat, pecuniam ornatumque deorum auferri jussit; ingentem annulum aureum, quem Hakon dynasta faciendum curaverat, ex janua fani demsit, eoque facto, tam fanum, quam ipsos deos, comburi jussit. Quo cognito, coloni, missa per omnes proximas provincias belli sagitta, copias evocant, regem infesto agmine aggressuri. Rex Olavus copias suas ex sinu eduxit, cursum septemtrionem versus secundum littora direxit, Halogiam petiturus, ibique religionem christianam introducturus; Naumudalum boream versus prætervectus, in Raudseyas trajicere cogitavit. Hoc mane Raudus, ut consueverat, fanum suum adiit; Thor erat mœstiore vultu, neque Raudo consulenti ulla dedit responsa; Raudus, rem miratus, variis modis responsa ex eo elicere studuit, et quid in causa esset, quæsivit. Tandem Thor respondebat, et quidem majori cum sollicitudine, sine causa non fieri: premit enim me adventus horum, qui huc in insulam trajicere cogitant, hominum, mihi quam maxime odiosorum. Raudus interrogavit, quinam essent. Thor dicit, regem esse Olavum Tryggvii filium cum copiis. Raudus ait: tu adversum illos barba tua persona[1], quo acrius eis resistere queamus. Thor hoc parum profuturum dixit; exibant ta-

[1]) fac barbæ aculeos horrescere, F.

men, atque cum Thor buccas fortiter inflaret et barba insonaret, tam vehemens tempestas adversum regem orta est, ut, nulla data renitendi facultate, naves ad eundem portum, ubi ante fuerant, rex reducere cogeretur, atque sic aliquoties res exiit. Rex vero hoc majori studio in insulam trajiciendi incitatus est, et tandem, deo adjuvante, ejus benevolentia plus valuit, quam dæmon ille, qui adversum stabat. Cum Raudus iterum fanum adiret, Thor vultum perquam torvum animumque indignabundum prætulit; Raudo causam percontanti, Thor regem insulam attigisse dixit. Raudus: itaque totis viribus illis resistamus, neque statim nos dedamus; Thor vero hoc parum profuturum asseruit. Rex nuntium Raudo misit, ut se conveniret. Raudus tarde respondit: haud ego ad regem festinabo[1], nam adventus ejus cum mihi ipsi minime gratus est, tum potenti Thori, deo meo, multo ingratissimus. Rex ad villam Raudi veniens, omnibus insulanis eo convocatis, Raudo, quique eo convenerant omnibus, verbum dei placide et clementer, nullis adhibitis minis, annuntiavit, et Raudum reliquosque omnes in rectam viam perducere studuit. Rex infit: hanc insulam eodem consilio, atque alia loca, adii, ut te, Raude! et totum hunc populum ab aviis locis, quibus nimium diu, illecebris diaboli seducti, erravistis, traducam, et expeditam illam viam vobis monstrem, quæ omnes ad æternam felicitatem ducit, qui eam insistunt recto tramite divinorum præceptorum: hoc est, in verum deum patrem et filium et sanctum spiritum credere, in ejus nomine baptizari, voluntatem ejus lubenter facere, sancta ejus præcepta servare, et recte factis præmii loco æternam felicitatem a

[1]) veniam, F

deo omnipotente accipere; is vero verus et omnitenens deus est, ut quisque prudens homo intelligere potest, qui cœlum, terram et mare, solem et lunam et res omnes in principio de nihilo creavit, et deinde omnem suam creaturam ex sua voluntate et pulcro instituto regit et gubernat; neque minus intelligi potest, non esse deos, quamvis ita appellentur, qui in formam malorum hominum efficti, hoc minus aliis opitulari possunt, quod ipsi sint cœci et surdi, muti et mortui, neque se loco movere possint, nisi eos aut homines gestent, aut diabolus dolis et præstigiis suis moveat, quo facilius homines decipere possit, si quid auxilii idola his præstare videantur ad scelera patranda, qui in ea credant; hi vero falsi dii eo minus habent veræ potestatis, quod ipsi dæmones ad potestatem omnitenentis dei valde infirmi et imbecilli sunt. Raudus ad dicta regis respondit: causam quidem tuam, o rex! probabilem dicendo facere potes, mihi vero animus non magnopere inclinat, ut religionem, quam colui, quamque me nutritius meus docuit, deseram; neque dicere fas est, Thorem deum nostrum, qui hic in fano habitat, parum valere, nam res futuras prædicit, et in rebus arduis indubiæ est fidelitatis, quare amicitiam nostram dissui nolo, dum fidem erga me servat, sed alios homines non prohibebo a tenenda religione, quæ cuique placuerit. Rex respondit: credibile quoque est, te solum frustra resistere, si ceteri omnes rectam rationem sequi volent, et audivisse te puto, me sæpe homines subito ab hereditatibus avertisse, qui, prout ipsorum salus et necessitas postulavit, imperata mea facere noluerint. Raudus reposuit: nunc ad minas res spectat, ego vero talibus

non moveor; verumtamen, quoniam tu, rex! hanc rem tanta contentione urges, atque confirmas, deum tuum viribus multum valere, et, quæ velit, omnia posse, vix dubium est, quin te ita roborare velit, ut multa efficere possis; Thorem appellas vescum et imbecillum, sed opinor te aliud experturum; ingentem rogum exstruam, quem tu ac Thor hinc illinc accedite, manusque invicem jungite, qui vero vestrum alterum in ignem protraxerit, victoriam reportare videbitur, spero autem, Thorem manuum robore prævaliturum. Rex ait: quis talia dicta audivit? nemo, cui sanctam fidem imperavi, ante ausus est, me ad certamen cum diabolis committere, periculum tamen faciam, omnipotentis dei misericordia confisus, dæmonem nihil adversus potestatem Jesu Christi valiturum; ea tamen conditione hanc commissionem subibo, ut neuter nostrum, neque ego, neque Thor, alteri opem ferat, cujuscunque tandem opus fuerit, neque quisquam nos adjuvet, utercunque victus fuerit. Tum pyra ingens exstructa, ignisque subjectus est. Thor invitus ad ignem accessit; ille ac rex manus jungunt, et nisu vehementiore invicem raptant; tandem Thor succumbens, ad ligna, quibus alebatur ignis, offendit, et in ignem procumbens horæ momento in cineres combustus est, rege incolumi. Rex Olavus ait: nunc omnibus apparet, eos mala uti religione, qui Thori confidant, qui se liberare incendio ipse nequiret. Raudus respondet: expertum nunc est, te in certamine cum illo victoriam reportare, quare ab hoc tempore nunquam in eum credam; tamen multum abest, ut in præsenti me baptizari patiar. Tum rex comprehensum Raudum apud se in custodia

tenuit, ita tamen, ut neque Raudus, neque Rögnvaldus, quid ageret alter, scirent, ceteri vero omnes insulani baptizati veram fidem acceperunt. Rex Olavus cognovit, Halogos copias evocasse, et regem, si in terras boreales venisset, prohibere terra constituisse; quarum copiarum principes erant, Harekus ex Thjotta, Thorer Cervus ex Vagis et Eyvindus dictus Kinnriva (genis laceris). Tum rex cursum austrum versus ad Thrandheimum reflexit et sinum intravit, audivit enim, Thrandos copias dimisisse, quas contraxerant, cum rex e sinu egrederetur et eum boream versus in Halogiam trajecturum cognovissent.

Errata. *Pag.* 7, *lin.* 8: povincias *l.* provincias. 84, 6—7: Haaraldi *l.* Haraldi. 113, 6: Naumudolo *l.* Naumudalo. 136, 35: Sluem *l.* Slesen. 138, 33: decerta *l.* deserta. 140, 16: Donorum *l.* Danorum. 161, 3: dani *l.* Dani. 175, 2: victor *l.* victor. 177, 12: piritarum, *l.* piratarum. 185, 13: inimosissimo *l.* animosissimo; 14: en *l.* in. 188, 15: pugam *l.* pugnam. 191, 14: pevenit *l.* pervenit. 200, 9: Clangbante *l.* Clangebant. 207, 12: concendendi *l.* conscendendi. 219, 6: obtrinxerunt *l.* obstrinxerunt. 224, 21: Hebrdies *l.* Hebrides. 254, 30: seljam *l.* Seljam. 270, 36: terre *l.* terræ.

THE NEW YORK PUBLIC LIBRARY
REFERENCE DEPARTMENT

This book is under no circumstances to be taken from the Building

Form 410